A Matthey

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
32 0
9
M

OBSERVATIONES MATTHÆI VEGLENSIS

MIN. CON.

THEOLOGI PVBLICI

IN VNIVERSITATE PATAVINA.

Super Epiſtola prima Libri de Septimo-Quæſitis, quæ eſt De creatione FILII DEI ad intra.

AD ILLVSTR.^MOS ET EXCELLEN.^MOS

STVDII PATAVINI REFORMATORES.

SVPERIORVM PERMISSV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, MDCLII.

Ex Dono. Apud Hæredes Ioannis Salis. Auctoris.

Ad usum f. Vincentij Preti à Seranalle Comissarij Gnlis S. Officij in R

ILLVSTRISSIMIS, ET EXCELLENTISSIMIS SENATORIBVS VENETIS,

Studij Patauini Reformatoribus,

VINCENTIO GVSSONO, Equiti, & Procuratori.

IOANNI PISAVRIO, Equiti, & Procuratori,

BERTVCCIO Valerio, Equiti.

Matthæus Veglenſis, Min. Con. Theologus publicus P. P.

MVltos iam annos, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Proceres, ſub fauſtiſſimo tribunalis veſtri regimine vitam, & ſpiritum duxi, functus in Vniuerſitate Patauina officio legendæ Theologicæ facultatis; ſperoque me perpetuò ſub vmbra culminis veſtri permanſurum, atque etiam lucubrationes meas. Solent vtique fructus cum arbore materna connexi, ſub eiuſdem cuſtodis cura, ac diligentia viuere: at cum ſeparantur decerpti, haud rarò in aliorum tranſire poteſtatem dominorum. Mihi verò longè alia mens eſt: nam libellum hunc tanquam meæ mentis fructum qualemcunque, quem priuatè mecum coniunctum, produxi, alui, auxi veſtra, Præſtantiſſimi, & Sapientiſſimi viri, Protectione fultus: non ſub alie-

num dominium, vel tutelam committam; ſed ſi veſtra Magnanimitas ferat, vt planè confido fore, ſub veſtrum dominium,& fauorem publicum faciam. Ita labor meus veſtro ſplendore coruſcus, authoritate munitus, benignitate ornatus,apparebit ſuauis,& fortis. Me igitur,opuſculumque meum vobis commendatiſſimos eſſe precor. Paruus liber ne multis verbis dicetur. Vos, Ampliſſimi Patres Patriæ, pro veſtri conſilij, grauitatis, conſtantiæ more,magnis,ac multis beneficijs protegendos,atque ornandos ſuſcipite. Omnipotens Deus,vos Reipub.Chriſtianæ,& Venetæ ſoſpitet incolumes,amplificet,exaltet.

Patauij 20. Martij 1652.

Noi Reformatori dello Studio di Padoua.

Hauendo veduto per fede del P. Comiſſario del Santo Officio, che nel Libro intitolato Obſeruationes Matthęi Veglenſis non ſi troua coſa alcuna contro la Santa fede Cattolica;& parimente per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza, che ſia ſtampato, douendoſi oſſeruar le leggi in queſto propoſito, e preſentarne due copie nelle librerie publiche di Venetia, e di Padoua. Dato 24. Agoſto 1651.

Vicenzo Guſſoni Caualier Procurator, & Reformator.
Zuane Peſaro Caualier Procurator, & Reformator.

Franceſco Verdizzotti Segretario.

Noi Reformatori dello Studio di Padoua.

Hauendo veduto per fede del Padre Comiſſario General del Santo Officio di queſta Città, che nel Libro Intitolato Errores Collecti ex Libro Fortunij Liceti de ſeptimo quæſitis, compoſto dal Padre Maeſtro Matteo da Veglia dell'Ordine de Minori Conuentuali, e med. nella confutatione di Maſtrio, non v'è coſa contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza, che ſia ſtampato, douendoſi oſſeruar le leggi in queſto propoſito, e preſentarne due copie nelle Librerie publiche di Venetia, & di Padoua. Dat. li 15. Nouembre 1651.

Zuane Peſaro Caualier Procurator, & Reformator.

Pietro Vianol Segretario.

Opus inſcriptum, Obſeruationes Matthæi Veglenſis Min. Conuent. Theologi in Vniuerſitate Patauina, ſuper Epiſtola de creatione Filij Dei ad intra, Fortunij Liceti, &c. iuſſu Reuerendiſſimi Patris noſtri Generalis Magiſtri Michaelis Angeli Catalani de Sancto Mauro Min. Conu. diligenter perlegi, & accuratè perluſtraui. Nil in ipſo Catholicæ Fidei, boniſue moribus diſſonum continetur; ſed quid quid in eo deſcribitur id totum ad tuendam veritatem, & errores euellendos à tanto Viro elaboratum eſt. Theologicis lucubrationibus, ſcripturarum æquis expoſitionibus, Sanctorum PP. doctrinis, & auctoritatibus, alijſque ad veri cognitionem, & defenſionem neceſſarijs, vndequaque repletum, ac proinde, vt typis mandetur, digniſſimum arbitror, & teſtor.

In quorum, &c.

Datum Venetijs die 31. Auguſti 1651.

Fr, Octauius Ragutius Veronenſis Sacræ Theologiæ Magiſter Min. Con. in magna Venetiarum Domo Regens.

Fr. Michael Angelus Catalanus à Sancto Mauro Artium, & Sacræ Theologiæ Doctor Vniuerſi Ordinis Minorum S. Franciſci Conuentualium Miniſter Generalis.

Opus, cui titulus eſt *Obſeruationes ſuper Epiſtola de Creatione Filij Dei, etc.* à Patre Mag. Matthæo Ferchio Veglenſe noſtri Ordinis in Vniuerſitate Patauina publico Theologo elaboratum, & à Patre Magiſtro Octauio Ragutio noſtri eiuſdem Ordinis in magna domo Venetiarum Regente, cuius examini illud commiſimus, diligenter peruentilatum; cum nil contineat, quod à prælo excludat, vt prælo detur per præſentes, quantum in nobis eſt, annuimus; ſeruatis de more ſeruandis. In fidem, &c.

Datum Aſſiſij in Sacro Conuentu die 23. Octobris 1651.

Fr. M. Angelus Min. Generalis.

Fr. Bonauentura de Sextrio Secr. Ordinis.

pag.	lin.	Errata:	Correcta.
Pag.14.	lin.11.	decretis	decreti
	16.	quaſdam	quoſdam
Pag.15.	lin.11.	Ieſt	Ieſu
	13.	ſine	ſine
	22.	ne	nec
Pag.16.	19.	arbitri, generalis	debe virgulam
	39.	minoribu	minoribus
20.	15.	ad N.	ad F, & N.
27.	22.	at	an
29.	34.	Thomas à Strabo in gloſa ordinaria,	Thomas à gloſa, mihi ignota.
30.	9.	Non eſt,	nec eſt
31.	22.	prolatam	prolatum
35.	in margine	D.Auguſt.	à. de geneſ. ad lit. cap.2.
39.	lin.vlt.	cauſas	cautus
53.	29.	Theologica	Theologicas. Sic alia quædã
58.	41.	creatum	creatam
59.	22.	æuas	duas
61.	16.	& hominis	eſt hominis
	17.	lib.21.	libri
63.	12.	Concinate	Soncinate
66.	18.	paratam ſit	parata ſit
70.	6.	Imo	Matt. imo
74.	19.	primo creatæ	primo corũ animæ creatæ.
76.	vlt.	ſe	ſed
79.	10.	ignorantia praua	ignorãtia pura
80.	7.	eſt Verum	eſt verus
86.	18.	de eo cur. 236	de Deo, car.238.
92.	21.	excludens	excludentem ob.
93.	28.	errores	errore
96.	19.	in 2.	in 2.diſt.2.
	vlt.	ſimiliter omnis	ſimilter, omnis
97.	in marg.	Vi. ho.	Vi.Scot.
99.	23.	rationalis	rationales
104.	9.	deficiat	definiat
	in margi. li.4.	Deuis	Deus
113	vlt.	animatum	animatam

pag.	lin.	Errata.	Correcta.
116.	35.	probatum	prolatum
125.	30.	difficultas.	difficultas:
129.	29.	in ſect. hip.	in Sac.Scrip.
130.	1.	eſt Patre	eſt à Patre
133.	6.	Nec ſemel	Hoc ſemel
136.	13.	vtitur operæ	vtitur: operæ
137.	13.	adde.	Vide obſer.41.
140.	6.	congerie	congeries
	21.	magnum	magnam
	39.	& prophetas	vt prophetas
142.	6.	ſpiritu	ſpiritui
	24.	at impropriè	an impropriè
144.	8.	102.	202.
146.	22.	profecit	pro fecit
	40.	rectum	rectam
149.	14.	tale erat omne	tale erat: omne
152.	33.	eſſe	eſſet
159.	2.	dictum ſuperiùs. Etenim	dictum: ſuperiùs etenim.
161.	23.	vt ex	aut ex
163.	15.	Bald.	dele. Bald.
166.	13.	lin.55.	lin.25.
167.	18.	videndus	videndus
172.	9.	mutilè	mutilant
175.	22.	ſex extra	ſed extra
	38.	porei	corporei
185.	31.	operatione operandi	ratione operandi
186.	15.	teſtis	terris
189.	39.	etiam	etiamſi
191.	12.	ſecula, ſecundum, ſæcula: qui	ſecundum humanitatem factus eſt caro in ſeculis.
195	in margin.	69	67.
194.	8.	adhibe	adhibes
206.	41.	quod à me	quod ad me
214.	34.	quis	quin
216.	20.	errore	errores
217.	22.	poſito	poſitos
223.	10.	omnis	omnes
225.	31.	ſacrilegi	ſacrilege
227.	27.	eſt. or	eſt ordinando
	37.	ea	eam
232.	20.	Dum	Primum
	31.	vt par	vt per
	33.	inconuenientia	conuenientia
233.	1.	producentes intellecta	producente intellectu
237.	16.	eſſe, ex aliquo eſſe	eſſe ex aliquo, eſſe

Pag.	lin.	Errata:	Correcta:
240.	41.	negatio	nugatio
243.	17.	definiri	definiui
244.	36.	Verè dictis	Verè dicis
245.	26.	Exodi 29.	Exodi 35.
247.	1.	in fide	infidè
248.	26.	cap. 11. & 4.	cap. 1. & 4.
249.	12.	exprimeje	exprimere
		S. In	§. 5. in
	17.	manufactū	manufacto
251.	4.	Grçca cum originali con ferantur	
	19.	decretoriæ	dedicato- riæ
	41.	Beranni	Beraani
	in margine adfinem		ἐκλίσε]
253.	19.	accipiat	accipias
	20.	ἐκλίσε	πίσαι
255.	31.	demonſtra- tore	demon- ſtratore, &
256.	3.	Lege ſic. Ego ex aliquo, Arius, Filium eſſe de ſub ſtantia alia à Patre, ego de ſubſtantia Patris. Arius, Filium eſſe ad extra creatum	
	41.	formare	formari
	43.	duobus	duabus
258.	1.	falſa	eſſet falſa
	25.	Lege (carnem coniungentis dicere oportuit)	
260.	1.	dimicueret	
	5.	effectiuum	
261.	12.	ſeipſum	
	29.	eſt &	eſt ei
	31.	& ex	& eſt
262.	13.	Impreſſor Italica non imprimenda impreſſit, tres paginas indicatas, quæ imprimendæ erant, non impreſſit	
262.	39.	non poſſunt.	non poſsū
263.	14.	quadriliterum	

Pag.	lin.	Errata:	Correcta:
	15.	quod Græcè	
	30.	voluntatis	
264.	4.	nullus eum	
276.	43.	eum dicis	
	19.	probādum eſt	
277.	2. & 3.	Hæbraicè malè sūt impreſſa	
278.	19.	Tertium inſtat.	
279.	21.	eſſentialiter, ſint	
281.	28.	eadem	
285.	31.	91. Sapientiæ.	9.1. ſapientia
294.	38.	dele totam lineam	
297.	25.	quod eſt formatum, dele eſt	
299.	32.	antequam	ante quem
300.	lin. penult.	primogenitura	
306.	15.	pagin. 42.	
	31.	per accidens	
321.	38.	Propter	
323.	25.	Licetus	ſr Licetus
325.	in margin. lin 22.	&	eſt
329.	25.	confutato	
	27.	illi	
	41.	& falsò	
334.	41.	vbi	vnde
336.	27.	rca	circa
339.	in marg. lin. 8.	filius non eſt	
340.	29.	Duplicis	
	in marg. lin. 21.		productione
251.	30.	ſignificare	ſignificato
	li 7.	dele, ab	
355.	2.	defenſionis	
356.	17.	pag. 202.	
357.	21.	eſt	
365.	41.	inueniet	
366.	35.	ſed dignitatem, & primatū	
371.	1.	poſuiſſe	
373.		in margine lin. 7. eſt	
377.	7.	ego	ἐγώ

Veni Sancte Spiritus,
Et emitte cœlitus
Lucis tuæ radium.

Obſeruationes ſuper Inſcriptione.

SEBASTIANVS BALDVS MEDICVS GENVENSIS.

MATTHÆVS VEGLENSIS THEOLOGVS PVBLICVS PATAVII.

Matth. TÆdet iam ſolitudinis, erudite Balde. Tu ſolus laboraſti ſcribendo epiſtolam contra me: Ego ſolus reſpondendo pro me. Nunc rogo, vt mecum labores in conſideranda Epiſtola CL. Fortunij Liceti, nam eſt ad te, ſed contra me data. Ad hanc ſocietatem nos hortari videtur Salomon in Eccleſiaſte cap.4. "Melius eſt,inquit,duos eſſe ſimul,quàm vnum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ. Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ ſoli, quia non habet ſubleuantem ſe„

Bal. Libenti animo conferam dicta Viri doctiſſimi,quem Ter maximum virum, ac doctrinarum omnium promptuarium dixi. Igitur Ter maximi ſapientis Ter maxima legam argumenta, quibus te, tuamque nouam opinionem refellit.

Matth. Si meam ad te Legiſti epiſtolam, intellexiſti meam opinionem, atque loquutionem eſſe in ſacris litteris proditam ante annos bis mille quingentos: atque adeò eſſe antiquiſſimam. Ab Apoſtolis traditam, à Patribus Eccleſiæ acceptam, à Theologis recentioribus repetitam.Tua,& Liceti opinio eſt noua,& inter Chriſti fideles,cum Sabellianis nata.Sed ne agamus actũ,lege librum *De ſeptimo quæſitis.*

Bal. 1.Lego. " De creatione Filij Dei ad intra Theologicè denuo controuerſa.

2. Numinis efficientia, ſiue concurſu Dei cum cauſis ſecundis ad effectus producendos, & prauos ſpeciatim.

3. Salute animæ Ariſt., &c.

4. Reſponſa Fortunij Liceti Genuenſis „

Matth. In hac inſcriptione ſunt quatuor propoſitiones, quæ ſcandalum generant. Sed prima eſt etiam ſuſpecta de hæreſi.

Bal. Cenſura hæc eſt valde ſeuera. Quam ob rem ſcito, tibi eam eſse probandam.

Matth. Propoſitio ſcandaloſa, aut piarum aurium offenſiua eſt propoſitio, quæ auditoribus pijs occaſionem ruinæ præbet: prout ſcribit

Alphonſus de Caſtro in lib.1. de Iuſta hæreticorum punitione Cap. 3. car.15. Tales ſunt quatuor propoſitiones. Sed circa primam poſtulo. Recipit ne Licetus, an reijcit iſtam propoſitionem, *Filius Dei* eſt creatus ad intra?

Bal. Reijcit, & acerrimè, tanquam hæreticam, & Arianam.

Matth. Ergo hic liber Liceti ex ſui Authoris iudicio portat in fronte titulum hæreticum, & Arianum. An titulus hæreticus non præbet occaſionem ruinæ, & Catholicis, vt credant propoſitionem eſſe veram; & hæreticis vt in hæreſi obfirmentur, authoritate tui Termaximi ſapientis?

Bal. At liber totus eſt contra titulum.

Matth. Aliud igitur in titulo, aliud in opere eſt. Ita ſcribunt, qui ad fallendum ſcribunt. Sicut Apuleius librum *de Deo Socratis* inſcripſit, quem de Dęmone Socratis ſcripſit: veluti Sanctus Auguſtinus animaduertit. Ita Pomponatius librum de immortalitate animæ prætitulauit, quem contra immortalitatem animæ exarauit.

Bald. Sed quare tu propoſitionem illam dixiſti ſuſpectam, & non potius abſolutè hæreticam?

Matth. Quæcumque propoſitio propter æquiuocationem alicuius vocis poteſt habere ſenſum verum & catholicum, atque ſenſum falſum & hæreticum: illa propoſitio non eſt iudicanda ſimpliciter catholica, nec ſimpliciter hæretica, ſed eſt ambigua, & ſuſpecta. Vnde & in ſenſu vero eſt recipienda, in ſenſu falſo reijcienda. Talis eſt iſta, Filius Dei eſt creatus, vel Filius Dei eſt creatus ad intra. Etenim vox *creatus* eſt æquiuoca, & multas habet ſignificationes. Dictum enim eſt in diſputatione Dom. Gaſparis de Boſchis iſtam *Filius eſt creatus*, habere poſſe ſeptem ſenſus catholicos, vnum hæreticum & Arianum. Quo circa illa propoſitio, Filius Dei eſt creatus ad intra, non eſt ſimpliciter hæretica, ſed eſt ſuſpecta de hæreſi: & Authorem reddit ſuſpectum de hæreſi, niſi præcaueat.

Bald. Quid nam obſeruandum eſt ad ſuſpicionem præcauendam?

Matth. Quando aliqua propoſitio eſt ambigua, & ſuſpecta: non debet à viro catholico abſolutè proponi; ſed cum duplici declaratione, Altera, quæ ſenſum hæreticum excludat, Altera, quæ ſenſum catholicum includat. Alioquin propoſitio ſuſpecta, abſolutè prolata, reddit proponentem ſuſpectum de hæreſi, præſertim ſi aliqua mala ſuſpicione laboret proponens. Ioannes à Roias id ſcribit in prima parte de hæreticis num.205. & 366. ac ſequentibus. Et in parte 2. à num.164. poſt Melchiorem Canum de locis Theologicis lib. 12. cap.11. Roiam ſequitur Franciſcus Pegna in direct. Inquiſit.3. par. commentario iii. cart.601. col.2. Quando autem proponitur cum declaratione catholica ſtatim coniuncta: tunc ceſſat ſuſpicio, & cauſa iuſtæ ſuſpicionis. Exemplo nobis eſt S.Thom.1. p. q.41. art.3. & 4. contra gentes cap.8. ſcribens, quòd Filius Dei *dicitur*

creatus, & genitus. Sed vtrobique appoſuit declarationem catholicam ex D. Hilario. Diuus Hilarius quoque in libro de Synodis can. 5. Synodi Antiochenę, idem ſeruauit. Quia enim in Synodo præcipitur, vt dicamus filium *gigni*, & *Creari*; diſtinguit Hilarius vocem Creationis, *nam ſi creatio ſit ex aliquo:* de perſona Patris ait, *Creauit ex ſeipſa, quod genuit*, ideſt filium. *Si Creatio ſit ex nihilo*: impiam appellat, & hæreticam applicationem talis creationis ad filium.

Bald. Perplacent iſta.

Matth. At non placet Licetus. Aliud quippe eſt in fronte operis ponere abſolutè *Filium Dei eſſe creatum ad intra:* aliud in operis decurſu: in quo declarari poteſt propoſitio ſuſpecta, excludendo intelligentiam hæreticam, includendo catholicam. At Licetus in ipſa inſcriptione operis Filio Dei tribuit Creationem ad intra, abſolutè, præcisè, nudam, crudam ſine vlla declaratione. Quare ſi propoſitio eſt ſuſpecta, vt verè eſt: ſuſpectum reddit Licetum de hæreſi. Si hæretica eſt, vt Licetus prætendit; multò minus erat abſolutè proponenda illa propoſitio, & multò magis reddit ſuſpectum proponentem. nempe quòd ipſe reſolutè afferat titulum, quem abſolutè proponit. Ad pag. 37. Licetus ſcribit; ex verbis inordinatè prolatis, incurritur hæreſis; inordinatè proferuntur verba talia, ſi abſolutè, & non cum determinatione proferantur. Ita Licetus benè ſcribit ex D. Thoma, ſed non benè obtemperare voluit.

Bald. Sed proponens nulla mala ſuſpicione infectus eſt: quare nec ſuſpectus eſſe poteſt.

Matth. Imò multis de cauſis eſt ſuſpectus, vti dicam ad quartam propoſitionem. Nunc ſcito, ante tres annos fuiſſe Licetum à me monitum, etiam ſcripto, quòd illa propoſitio non erat abſolutè afferenda. Ergo ſciens, & volens, atque volens pertinaciter, propoſuit abſolutè, quod proponere non debuit iuxta Doctores citatos. Catholici ex authoritate hominis, quem doctum exiſtimant, facilè in hæreſim cadent. Hæretici lætabuntur dicentes, iam hominem doctiſſimum pro noſtra ſententia habemus.

Bald. Mitte proponentem. Dic, quæſo, quas ob cauſas propoſitio illa ſuſpecta eſt?

Matth. Tres ſunt cauſæ. Abuſus hæreticorum, Aequiuocatio hæreticalis, Senſus ex fama hæreticus.

Bald. Explica primam.

Matth. Circa creationem filio tribuendam, vel negandam, atrociſſima extitit controuerſia catholicis contra hæreticos Patripaſſianos, Praxeam, Noetum, Sabellium, dicentes: Filium non eſſe creatum, quia non eſt Dei opus, neque factitium quippiam. Quæ controuerſia definita eſt in Conc. Romano præſidente Sancto Dionyſio Papa circa annum Domini 263. decretumque eſt, primò quòd vocabulum creauit eſt multiplex, & æquiuocum. Secundò, quòd *creaui*

me in Prouerbijs 8. non eſt *fecit me*; quodque creare, & facere differunt. Tertiò, quòd in illa ſcriptura *creauit* eſt *præfecit*. quia Pater præfecit filium operibus paternis per Filium conficiendis. Ex alia parte atrociſſima extitit controuerſia catholicis cum Ario dicente, quòd Filius Dei eſt factus ex non ſubſtantibus, ideſt ex nihilo; quia Filius Dei eſt *genitus & creatus* in prouerbijs 8. Controuerſia hæc iudicata eſt in Conc. Niceno 1. ſub Sancto Silueſtro Papa, damnatique ſunt dicentes, Filium Dei eſſe factum, vel eſſe factum ex non ſubſtantibus. Eædem hæreſes reuixerunt ſęculo ſuperiori in Polonia, Tranſiluania, Germania: nouique Sabelliani, & Arriani emerſerunt, Seruetus, Gentilis, Socinus, Eniedinus; teſtibus Gregorio de Valent. tom. 1. col. 114. Bellar. lib. 1. de Chriſto cap. 1. Penaloſa in lib. de Chriſti, & Spiritus ſancti diuinitate. Ergo propoſitio de creatione Filij non debuit abſolutè proponi in operis frontiſpicio propter abuſum hæreticorum, dum vel affirmant, vel negant, filium eſſe creatum. Legunt catholici, legunt hæretici creationem filij abſolutè, & in illorum mente adhæret. Non omnes emunt librum. Non omnes ementes legunt. Non omnes legentes intelligunt. Generaturque in multis praua fides, quòd Filius ſit creatus abſolutè & ſimpliciter; ſaltem ex libri titulo generari poteſt. Cogitatio hominis prona eſt ad malum potiùs.

Bal. Si non eſt in titulo poſita declaratio, in libro eſt poſita.

Matth. Imò tanta cum turbulentia ſcripta ſunt omnia, vt obſcurata, non declarata ſit veritas. tantumque eſt ſcandalum exortum apud viros ſacros & non ſacros, doctos & non doctos propter librum Liceti, & propter verba per vrbem hanc à Liceto, & conſortibus ſeminata: vt opus fuerit, ne dum viris doctis & ſacris, ſed etiam mulieribus pauló eruditioribus oſtendere codicem Bellarmini, & Patrum ab eo, & à me citatorum in epiſtola ad te perſcripta: quo cognoſcerent in aliquo ſenſu Catholico dici poſſe, Filium Dei eſſe creatum, in alio ſenſu hæretico non poſſe. Fueruntque nonnulli tàm diligentes, vt nullam, vel Scripturæ, vel Patrum authoritatem citauerim, quam in ipſis Scripturæ, & Patrum codicibus recognoſcere, & reexaminare non voluerint. Poſt examen conſtantiſſimum, acquieuerunt. Sed non omnes iſta vel facere poſſunt, vel faciunt.

Bal. Lector cautus non ſoli fidet inſcriptioni, ſed expoſitionem inſcriptionis in libro quæret.

Matth. Incauti hoc non facient, qui plures ſunt, quàm cauti. Cęterùm lector cautus maximè in errorem ducetur: & niſi Dei gratia, & hominis cooperatio cum Dei gratia laboret, errabit. Lecto titulo de creatione filij Dei ad intra, tranſgredietur ad primam paginam libri, & in linea ſeptima leget "Etenim elucet plurimum in opere creationis, quam in præſentia primariò tractamus „Quam crea-

tionem

tionem, Balde, putas tractari primariò: an illam, quam in titulo propoſuit, an aliam aliquam?

Bal. Ineptum eſset vnam proponere primariò, & aliam primariò tractare. Vel ergo illam præcisè primariò tractat, quam primò propoſuit, vel creationem in communi, ad illam primò intentam, & ad aliam aliquam.

Matth. Sic exiſtimo. Sed in eadem pag. 1. ad lineam 15. deſcribit Licetus creationem primariò intentam ſic "Porrò creationem à Deo ſolo ſub ratione Trinitatis edi certiſſimum eſt, quum generatim productio ſit rerum in eſse ſimpliciter, adeoque ipſius eſse dependentis ab independente, ac operatio Dei tranſiens ad extra, proptereaque communis, & indiuiſa tribus perſonis.,,

Tunc arguo. omnis res creata creatione generatim ſumptâ producitur in eſse ſimpliciter dependenti ab independente: Filius Dei eſt creatus per inſcriptionem libri, vnde eſt ſub re creata generatim ſumpta: ergo Filius Dei eſt productus in eſse ſimpliciter dependenti. Concluſio iſta eſt hæretica. Quod enim in ſuo eſse ſimpliciter eſt dependens, non eſt Deus. Filius ex prima concluſione deducta per duas propoſitiones Liceti, eſt dependens in ſuo eſse ſimpliciter, ergo Filius Dei non eſt Deus. Concluſio hæc eſt Arij, & Iudæorum: ergo Licetus fauet Ario, & Iudæis.

Bal. At Filius Dei non habet eſse ſimpliciter per creationem, ſed per generationem.

Matth. Non ita Licetus putat, qui affirmabit, te iſta dicentem blaſphemaſse cum Ario. Scribit nanque in pag. 148. lin. 2. "In Diuinis Pater Filium non creat, ſed generat, cui communicat ſuam naturam, non tamen illi tribuit eſse ſimpliciter, vt malè blaſphemabat Arius. „Idem leges in Liceti libro pag. 177. lin. 15. & pag. 199. 31. & alibi. Quare Filius Dei, ſi Liceto credimus, non habet à Patre generante ipſum *eſſe ſimpliciter independens*: ſed à Deo creante recipit eſſe ſimpliciter *dependens*, & *eſſe ad extra*, & *eſſe à tribus*. nam iſtæ tres conditiones *eſſe dependens*, *eſſe ad extra*, *eſſe à tribus*, conueniunt rei creatæ generatim.

Bal. Quid imponis Liceto creationem filij ad extra, cum in titulo ſcripſerit creationem filij ad intra?

Matth. Hæc eſt illa turbulentia dictorum; creatio filij eſt ad intra. Creatio primariò intenta, & generatim eſt ad extra; & confunditur animus lectoris inquirentis creationem filij ad intra, & ad extra. Inquirentis, quo pacto filius ſit creatus à ſe ipſo, & à Spiritu ſancto. Inquirentis, qua ratione Filius habeat eſse ſimpliciter dependens, & tamen ſit Deus ſimpliciter independens.

Bal. Crede mihi, te non intelligere dicta Liceti. lege pag. 130. lin. 17. ſcribentem « Interim caueat noui dogmatis author, ſimiliter diſtinguens Factorem à Creatore Deo. dum ponit Deum factorem ex nihilo.

hilo,proindeque forinſecus. nam nihil eſt extra Deum, in quo ſunt omnia, quique in omnibus ineſt intimus, vt aiunt omnes Theologi. „Vides, quid ſit extra Deum? Extra Deum eſt ipſum nihil, intra Deum ſunt omnia entia, & Deus eſt intra omnia.

Matth. Video, & audio; ſed quantum coniector iuxta hanc doctrinam, quòd productum eſt ad extra, eſt nihil, & nihil eſt productum à tribus perſonis. Vult ergo dicere Licetus, quòd à tribus perſonis nihil ſit productum.

Bald. Rem tenes, ſi benè percipis terminos Liceti: quod producitur ad extra, nihil eſt; quod producitur ex nihilo, producitur ex re ad extra.

Matth. O Calliditatem! vult ergo dicere, quòd à tribus perſonis diuinis nihil producitur per Creationem; nam quod extra eſt, nihil eſt, & ex conſequenti tres perſonæ dicuntur eſſe diuinæ, & eſse rationes creandi ad extra, ideſt nihil creandi: Quæ autem perſonæ nihil creant, non ſunt Deus. Igitur tres perſonæ diuinæ non ſunt Deus. Poterat ne magis aſtutè fauere Iudæis, & decipere Chriſtianos? Fauere Iudæis, quia perſonæ tres nihil creant, neque ſunt Deus: decipere Chriſtianos ſub verbis perſonarum diuinarum, & vnius operationis indiuiſæ?

Bald. Tu videris. interea velim ſcrupulum ex animo meo euelleres.

Matth. Modò valeam, velim.

Bal. Dixiſti à Sabellianis prolatam eſse negatiuam, *Filius non eſt Creatus* eoſque à catholicis eſse reiectos dicentibus, Filium Dei eſse Creatum. Subieciſti ab Arianis aſsertam fuiſse affirmatiuam *Filius eſt Creatus*, & hos repulſos à catholicis contradicentibus, Filium non eſse creatum. Quo pacto duo contradictoria, *Filius eſt creatus*, *Filius non eſt creatus*, verè à catholicis dici potuerint?

Matth. In æquiuòcis non eſt contradictio: imò ſi terminus æquiuocus inſit in affirmatiua, & negatiua, ambæ poſsunt eſse veræ, ambæ falſæ. Vt canis currit, canis non currit. harum affirmatiua, eſt vera de cane latrante, negatiua vera de cane ſtellante; iam verò ex decreto Concilij Romani ſi *creauit*, eſt *præfecit*; Filius eſt creatus; ſi *creauit*, eſt *fecit*: Filius non eſt creatus. Adi ad S. Athanaſium in Epiſtola de decretis Nicenæ Synodi.

Accipe ſanctius reſponſum à Sancto Hilario in lib. de Synodis ad pag. 95. F. ad ſimilem difficultatem de voce homouſio, ideſt, conſubſtantiali: & illam reſponſionem applica, ad vocem *creatus*. " malè, inquit Hilarius, intelligitur homouſion, quid ad me bene intelligentem? malè homouſion Samoſatenus confeſsus eſt, ſed nunquid melius Ariani negauerunt? Octoginta Epiſcopi olim reſpuerant; ſed trecenti decem, & octo nuper receperunt, &c. illi contra hæreticum improbauerunt. nunquid non & illi aduerſum hæreticum probauerunt? grauis eſt authoritas veterum: numquid & horum leuis

ſancti-

ſanctitas eſt? ſi contraria inuicem ſenſerunt: debemus quaſi iudices probare meliora. Si verò & probando, & improbando vnum vtrique ſenſerunt: quid benè conſtituta conuellimus? „Hæc Hilarius & illic plura, in quibus manifeſtat malam intelligentiam Samoſateni, & malam intelligentiam Arij eſſe damnatas: dum vox Homouſion ſemel eſt negata, ſemel affirmata. Id ipſum dicito in re noſtra. Vox *creatus* à Sancto Petro in conc. Apoſtolorum, & à Sancto Dyoniſio in concilio Romano eſt affirmata contra Iudæos & Sabellianos. Sanctus Athanaſius, & poſt illum multi Patres negauerunt *creatum* contra Arianos: damnata ſcilicet eſt mala intelligentia Sabelij, & Arij & affirmando, & negando: quæ autem ſit intelligentia tactum eſt, tum ex Diuo Dionyſio, tum ex Diuo Hilario. eademque intelligentia effuſius explicata eſt in epiſtola ad Baldum, & neceſſariò explicabitur in iſta tractatione dictorum Liceti.

Bald. Subſcribo Sancto Hilario. Sed nonne Licetus in titulo ponens Creationem Filij Dei ad intra, benè creationem intellexit?

Matt. Quid intellexerit, requiremus. Quid dixerit, aut non dixerit, apertum eſt. Dixit in Filio Dei eſſe creationem ad intra. Non declarauit, quid intelligat per creationem. Sed loquutionem ex abuſu hæreticorum ſuſpectam, in titulo ſine catholica declaratione poſuit.

2. *Æquiuocatio hæreticalis.*

Bal. QVidnam iudicem, non indico. Audire tamen opto ſecundum ex tribus cauſis, propter quas inſcriptionem ſuſpectam de hæreſi exiſtimas.

Matth. Secunda cauſa eſt *æquiuocatio hæreticalis*. Notat Franciſcus Pegna in Directorium Inquiſitorum p.3. Coment.22. car.430. hæreticos æquiuocatione, atque amphibologia frequenter vti; nempè ad fallendum, & latendum, hæc ſunt vtilia. Quare diſtinguendæ ſunt voces, & orationes: vt omnis exitus deceptoribus præcludatur.

Porrò *vox* creare eſt multiplex, quemadmodum in conc. Rom. ſub Sancto Dionyſio Papa deciſum fuiſſe teſtatur Sanctus Athanaſius de decretis Nicenæ Synodi. Rurſus idem Athanaſius in oratione tertia contra Arianos aliter diſtinguit illam vocem: & poſt Athanaſium S. Cyrillus Alex. in 5. theſ. cap.4. S. Fulgentius in lib. Obiectionum Arianatũ obiect.3. S. Auguſt. in lib.1. cõtra aduerſariũ legis & Prophet. cap.23. Sanctus Thomas p.p.q.45. art. primo. Ex modernis Gulielmus Voriron in 2.d.1.q.1. de creatione, ſex affert ſignificata vocis *creatio*. Franciſcus Aretinus ſuper 3. cap. Geneſis ſex. Angles in floribus ſecũdi ad initiũ, itidẽ ſex. Petrus Capullius in 2. ſent. pag.7. ſex. Salmeron ſuper epiſtolas Pauli octo ſignificata cõgeſſit; neque tamen eadem protſus ſignificata proponũtur ab his Authoribus. Quare ex voce *creare*, vel

creatio

creatio cum tanta æquiuocatione, tanquam ex radice colubri egreditur regulus, ideſt mortifera hæreſis. In ea, quam ad te miſi, epiſtola quatuor ſignificata ipſius creare collegi ex probatis authoribus. hæc ſunt

1. Producere in communi ſiue ex aliquo, ſiue ex nihilo.
2. Producere ex aliquo.
3. Facere in communi, ſiue ex aliquo, ſiue ex nihilo.
4. Facere ex nihilo.

Ex quibus tertium, & quartum ſignificatum faciunt aſſertionem hæreticam, vt Filius Dei eſt factus: Filius Dei eſt factus ex nihilo. Prima earum reprobata eſt in conc. Rom. ſub Sancto Dionyſio, & in primo Niceno, dicendo: *genitum, non factum*. Secunda in Anathematiſmo Niceno: dicentes *Filium Dei eſſe factum ex non ſubſtantibus*, anathematizat Eccleſia. Duo priora ſignificata, cõſtituunt propoſitiones veras & catholicas contra Sabellianos, & Iudęos, iſta, ſcilicet. Filius Dei eſt productus. Filius Dei eſt productus ex aliquo, nimirum ex ſubſtantia Patris. Collige ex dictis primam propoſitionem: *Proponere vocabula æquiuoca, & orationes amphibolas eſt hæreticorum*. Secundam, *In titulo proponitur vox creatio, quæ æquiuoca eſt; & proponitur ſine diſtinctione*. Ergo de hæreſi ex hæretico more eſt ſuſpecta.

Bal. Creare eſſe vocem æquiuocam, *ſono vnam, ſignificationibus multas*, non nego. Hoc verò etiam Termaximus Doctor in ſua notat epiſtola, redigens ad ſenarium numerum ſignificata creationis.

Matth. Appoſitè memoras: ſex ſignificationes ad placitum Termaximi determinatas per proprijſſimè, improprijſſimè, & c. quas breuiſſimè percurro.

Cap. 5. Liceti car. 38. Primò. Creatio ſumitur pro omni mutatione eſſentiali, vel accidentali. Hanc ſignificationem tribuere Filio Dei eſt dicere Filium Dei eſſe mutabilem, & eius generationem, vel productionem eſſe mutationem. At hoc hæreticum eſt.

Cap. 6. car. 42. 2. Creatio eſt productio ex principio materiali diſpoſito. In quo ſenſu dicere Filium Dei eſſe creatum, eſt hæreſis manifeſta.

Cap. 7. car. 48. 3. Creatio fit ex materia, patienteque phyſicè diſpoſito, ſed à ſolo Deo vno, & trino efficiente, non phyſicè, ſed ſupernaturaliter. In hoc ſenſu quoque hæreticalis aſſertio eſt dicere, Filium Dei eſſe creatum, ſiue ex materia, ſiue ex efficiente.

Cap. 8. car. 58. 4. Creatio pendet ab agente primo ſolùm circa materiam non vltimò diſpoſitam phyſice. Sed & iſta ſignificatio, ſi ad Filium Dei ad intra applicetur, plures hæreſes gignet.

Cap. 9. cart. 76. 5. Creatio eſt productio ex nihilo. Hanc ſignificationem applicare Filio Dei, quoad differentiam, eſt hæreſis Arij. affirmantis Filium Dei eſſe factum ex nihilo. Cur autem Licetus loco *factionis* pro genere poſuerit *productionem*, inquiremus infra.

 6. Crea-

6 Creatio deſcribitur cap.10. pag.101. lin.23. "Creatio in ſe complectens omnes perfectiones abſque penitus vlla imperfectione, creationi propriè ac vniuocè dictæ eſſentiali, eſt illa, quæ *fit* ab vnico creante, ſimpliciter, & abſolutè, ſine vlla *pluralitatis ratione*, producente creaturam ſine creantis vlla mutatione, pariter, ac in æternitatis itidem momento permanente, non fluxo temporis, non ex vlla materia, nec ex vllo principio patiente penitus? „Hanc definitionem in prolixo illo capite, & in cap. vlt. epiſtolæ ſuæ adſcribit Filio Dei ad intra.

Verùm, neque hæc ſignificatio applicatur Filio ſine nota hæreſis. Primùm. iſta creatio Licetica *fit*. Sed nihil exiſtens formaliter in Deo ad intra, vel *factum* eſt, vel *fit*, vel *fiet*. Et hæreſis eſt dicere aliquid in Deo eſſe factum, ſiue ſit perſona, ſiue ſit notio, ſiue ſit eſſentia.

Secundum. *ſine vlla pluralitatis ratione*. iſtam conditionem ponit tanquam perfectionem: & oppoſitam, *eſſe cum pluralitate ex parte creantis*, iudicat eſſe imperfectionem in creatione propriè dicta. At hoc erroneum eſt. quando enim Deus creauit Cęlum & terram, illa creatio eſt ex parte creantis cum pluralitate perſonarum Patris, Filij, & Spiritus ſancti; neque tamen iſta pluralitas dicit imperfectionem ex parte creantis. Quando item Pater & Filius ſpirant Spiritum ſanctum, ratio pluralitatis in illa productione (quam Sanctus Irenæus, ac Tertullianus creationem vocant) non dicit imperfectionem. Igitur excludere ſub nomine imperfectionis pluralitatem à creante non rectè ſe habet. Liceto autem eſt conditio imperfectionis, *pluralitas ſuppoſitorum*, etiam in generatione. Quòd enim generatio ponat diſtinctionem ſuppoſitorum generantis & geniti, eſt prima imperfectio generationis, in hac epiſtola Liceti ad pag.100. Qua aſſertione poſita, neceſſariò à diuinis remoueri oportet generationem, generans, & genitum ad intra, atque omnino Patrem & Filium, niſi velimus in Deo ponere imperfectionem.

Tertium. In hac definitione ſoli Filio Dei conueniente ex Liceto, dicit ipſum creantem producere *creaturam*. Vbi Filium creaturam abſolutè nominat, contra doctrinam Patrum, quos citaui in epiſtola ad Baldum pag.79.

Quartum. Definitio eſt imperfecta; ponit enim immutabilitatem in Patre creante. in Filio autem ita creato, & in omnipotentia creatiua communicata à Patre Filio immutabilitatem nõ ponit, in tàm prolixa definitione. Callidè, quia in capite quinto creationem, quæ eſt mutatio applicat Filio: ideò immutabilitatem in ſexta definitione Filio non applicat. Si verò filius in productione, ſeu creatione paſſiua non ſit immutabilis, incurritur error quartus in Ario damnatus à Niceno Anathematiſmo. Profectò remoto vno contradictorio, reliquum aſſeritur ex cap.1. de oppoſitis poſt prædicamenta & 5. Met.27. ſed Licetus à generatione Filij remouet immutabilitatem.

Igitur aſſerit mutabilitatem. Aſſerere autem, generationem filij neceſſariò non eſse excluſiuam mutationis, & filium non eſse immutabilem, eſt Arianum dogma.

Quintum. *non ex vlla materia, neque ex vllo patiente penitus.* Clauſula iſthæc infert particulam *ex nihilo* in epiſtola Liceti pag.98. lin.3. & 4. Sanè ſi *ex nihilo* nihil dicat, niſi negationem materiæ, patientiſque: Filius Dei ex nihilo erit, prout Caetanus 1.p.q.41.art.3. aduertit. Quare tota definitio creationis Arianæ in iſta Liceti definitione includitur. Si quidem in prima particula productio Filij, quæ ſecundum iſtum Liceti modum dicitur creatio, *fit*. Filius autem, & productio ſua ſunt idem eſsentialiter, & realiter; igitur Filius eſsentialiter, & realiter *fit*: & in abſtracto productio filij ſeu creatio filij eſt factio. Et in vltima particula definitionis includitur dictio *ex nihilo*. Ergo tota definitio Arij, quæ eſt factio ex nihilo, includitur in productione filij, & filius eſt factus ex nihilo, quæ eſt abſurdiſſima hæreſis Arij.

Bal. Territus planè ſum: dum conſpicio, inſcriptionem libri à Termaximo appoſitam, eſse prorſus hæreticam in quinque ſignificationibus: & in ſexta valde periculoſam.

Matth. Ita eſt. Nec licuit Liceto æquiuocationem hæreticalem, vt in pluribus ſignificationibus, ſuo libro pro titulo præfigere, ſi volebat ſuſpicionem à ſua propoſitione, & à ſe proponente profligare. Iam duæ cauſæ ſunt expoſitæ.

Tertia. Senſus ex fama hæreticalis.

Bal. DIc tertiam ſuſpicionis cauſam.

Matt. Regula protrita eſt. Nomen analogum abſolutè prolatum, ſtat pro ſuo famoſo ſignificato.

Bal. Notiſſima regula ex 4.Met.2.

Matth. Si quæras famoſum ſignificatum iſtius vocis *creatio*, docebit te Licetus tuus in cap.9. Sic "Quintus verò modus creationis eſt propriiſſimus, vniuocè dictus, & celeberrimus, apud omnes Patres orthodoxos in concilijs Eccleſiam conſtituentibus, & apud eorum ſingulos. quæ quidem creatio ad propoſitorum omnium differentiam, eſt productio entis ex nihilo. „Igitur creatio abſolutè prolata in titulo libri Liceti, & Filio Dei adſcripta eſt productio entis ex nihilo: hoc eſt, creatio Ariana. Verè tamen Licetus errauit in genere: propterea quod in pag.156. contra me contendit, quòd genus proximum creationis *eſt facere: producere* verò eſt genus remotum. Non poteſt autem eadem differentia eſſe æquè immediata generi remoto, & proximo. Particula *ex nihilo*, quæ eſt differentia ipſius *facere* diuiſiua immediatè, non debuit attribui ipſi producere. Sed vtcumque verſetur, quod eſt productum ex nihilo, eſt factum ex nihilo.

hilo. Reſtatque, vt in titulo ſit propoſita factio ex nihilo tanquam conueniens Filio Dei.

Bal. Ne fuſtra nitaris: compertiſſimum enim eſt, hoc vocabulum *creatio* ex primo, & famoſo ſignificato importare factionem ex nihilo. Ita prorſus intelligo Termaximum meum. Ita intellexi tuum librum, in quo Filium dixiſti, eſſe creatum: quanquam in præſentia fatear, te in vocabulo creationis accepiſſe productionem ex aliquo, & eam applicauiſſe verbo ſub nomine creationis: non accepiſſe factionem ex nihilo, nec eam applicauiſſe Filio Dei ſub nomine eodem creationis.

Matth. Lectorem liberum à ſtudio partium, & ad ea, quæ tu in tua epiſtola retuliſti, attentum poſtulo; nihil vtique aliud eliciet, niſi id, quod tu retuliſti. Sed tamen adiungo. Dum Licetus dicit, Filium Dei eſſe creatum, ideſt, factum ex nihilo ad intra, multò deterius errat in fide, quàm Arius.

Bal. Rem incredibilem dicis.

Matth. Faciam, vt credas. Sanctus Thomas 1.p.q.27.art.1. aſſerit, quòd Sabellius, & Arius agnouerunt ſolam proceſſionem ad extra: Vnde & omnem proceſſionem ad intra in Deo negauerunt. Iudæi quoque omnem productionem, & omne productum ponunt ad extra. Solum Deum eſse improductum, & ſolùm improductum eſse Deum affirmant. Hi tres errores, quemadmodum vulpes Sanſonis, habent facies aduerſas, ſed caudas colligatas in hoc principio. Hac doctrina Sancti Thomæ ſuppoſita, quando Arius ponebat *factum, vel creatum ad extra*, dicebat rem poſſibilem: omnis enim res ad extra eſt facta ex nihilo, ſicuti legimus in 2. Machabæorum 7. dictum: & in Sancto Auguſtino lib. de fide, & ſymbolo cap. 2. explicatum. Sed per Arium, filius erat productus, ſiue procedens ad extra (falsò quidem, ſed tamen ab ipſo aſſertum.) ergo loquebatur conſequenter, dum aſserebat rem, quæ eſt ad extra, & eſse factam, & eſse ex nihilo. Sed Licetus inconſequenter penitus loquitur, quando in Deo ad intra ponit factionem ex nihilo. Etenim non ſolùm filius non eſt factus ex nihilo, ſed nulla omnino realitas, aut formalitas eſt in Deo realiter, quæ poſſit eſse, vel facta, vel ex nihilo. quo circa propoſitiones quatuor ſequentes ſunt falſæ, impoſſibiles, implicantes contradictionem omninò.

1. Aliquid in Deo ad intra eſt factum.
2. Aliquid in Deo ad intra eſt nihil.
3. Aliquid in Deo ad intra eſt factum ex nihilo.
4. Aliquid in Deo ad intra eſt productum ex nihilo.

Similiter ſi creatum ſignificet eſse *factum ex nihilo*: propoſitio iſta *Filius Dei eſt factus ex nihilo, aut creatus*, in tali ſignificato, eſt falſa, Impoſſibilis, hæretica.

Errauit Arius applicans creationem in iſto ſignificato ipſi Filio Dei:

errauit multò magis Licetus applicans famoſam iſtam creationem, Filio Dei,& applicans *ad intra.* poſuit Arius factionem ex nihilo in rebus extra Deum, in quibus factio ex nihilo & eſt, & eſse poteſt. Errauit,eam applicando Filio Dei; at Licetus factionem ex nihilo aſcripſit *Filio Dei*, & aſcripſit *ad intra*. Vna cauſa impoſſibilitatis eſt in dicto Arij, ſcilicet *Filius*: duæ cauſæ impoſſibilitatis ſunt in dicto Liceti, nempe *filius, & ad intra*. nihil ad intra eſt factum, aut poteſt eſse factum, & hoc eſt generale in Deo. Filius item nec eſt factus, nec poteſt eſse factus; id quod eſt ſpecialiter definitum de filio in concilio Niceno primo, & antea erat definitũ in conc. Rom. ſub Sancto Dionyſio, vt eſt apud S.Athanaſium de decretis Nicenis.

Bal. Dic ſodes. Eſt ne controuerſia de Creatione Filij Dei denuò inter Theologos, prout in titulo aſſerit meus Termaximus ſapientum?

Matth. Quod ſemel definitum eſt de fide, amplius retractari non debet. prout ſanxit Gelaſius Papa in cap.*Maiores* 24.q.1., qui in huius rei confirmationem adducit, quòd decretum in concilio contra Sabellium, nunquam eſt retractatum. Iſtud decretum contra Sabellium factum fuit in conc.Rom. ſub Sancto Dionyſio Papa; in quo item concilio præiudicium de Ario nondum exorto, factum eſt. Quod ergo decretum eſt aduerſus Arium in 1.Conc.Niceno, non poteſt à Theologis denuò in controuerſiam reuocari. qui autem reuocaret, neque Theologus, neque catholicus eſſet, neque Chriſtiano nomine dignus. Decretum verò fuit in Conc.Niceno,quòd Filius Dei eſt *genitus, non factus*: quod *non eſt factus ex non ſubſtantibus*, hoc eſt, vt nunc loquimur, non eſt factus ex nihilo. Quam ob rem ſi vox *creatio* accipiatur in hoc ſignificato famoſo ex infamia Sabellij & Arij, vt ſcilicet creatio eſt factio ex nihilo; non eſt controuerſia inter Theologos. Et quantum ad me ſpectat in lib. defenſionis pag. 249. expreſsè negaui, Verbum eſſe factum ex nihilo, atque dixi, quòd Arius accepit hoc modo vocabulum creare: propter quod negaui & genus, & differentiam, & totam definitionem Arij, atque adeò definitum in ſignificato Arij. Accepi verò creare in alio ſignificato, vt eſt producere non ex nihilo, ſed ex aliquo præſuppoſito: atque hoc modo Filius Dei eſt productus de ſubſtantia Dei Patris quæ non eſt nihil, ſed aliquid: ac præcisè in iſto ſignificato Filius dicitur creatus, ideſt, productus ex aliquo. Quocirca controuerſia eſt non de re, ſed voce, nempe vtrum productio filij de ſubſtantia Patris poſſit appellari creatio: quod ritè,& legitimè poſse fieri ex authoritate Diuinæ ſcripturæ,& traditione Apoſtolorum apud antiquos Patres,& recentiores theologos frequenti, abundè probaui in epiſtola, quam ad te, Balde, dedi

Secun-

Secundus titulus ſcandaloſus.

Matt. Lege ſecundam tituli partem ex libro Liceti.

Bal. Legam,& libens quidem. " De Numinis efficiētia,ſiue cōcurſu Dei cū cauſis ſecundis ad effectus producēdos,& prauos ſpeciatim „

Matth. Audi,quid in Sacra Congregatione Sanctæ Gen. Inquiſitionis aduerſus hæreſes ſtatuerit Vrbanus Octauus.

Feria quinta die prima Auguſti 1641.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ,& Vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſsimo D.N.Vrbano diuina prouidentia Papa Octauo,ac Eminentiſsimis & Reuerendiſſimis DD.S.R.E.Cardinalibus in vniuerſa Republica Chriſtiana contra hæreticam prauitatem Inquiſitoribus Generalibus à S.Sede Apoſt. ſpecialiter deputatis.

Alias fel.record. Paulus Papa Quintus ad tollenda ſcandala,ac diſſenſiones,quæ in Eccleſia Catholica oriebantur, occaſione editionis librorum, & operis de auxilijs tractantium, in generali congregatione Sanctæ Romanæ,& vniuerſalis inquiſitionis, decretum infraſcriptum edidit. Sanctiſsimus D.N.decreuit,vt ſcribatur Nuntijs Apoſtolicis, quòd notificent,& ordinent, ſuperioribus Religionū,Vniuerſitatibus ſtudiorū,& ordinarijs ſuæ Nuntiaturæ,vt non ſinăt imprimi in materia de Auxilijs, etiā ſub prætextu Commentādi Sāctum Thomam,aut alio modo; & qui volūt de hac materia ſcribere,& imprimere, prius mittant tractatus, & compoſitiones ad hāc Sanctam Inquiſitionem.

Cuius quidem decreti tenor in executionem mentis ſanctitatis ſuæ omnibus prædictis per Nuntios legitimè fuit intimatus. Ne tamen contra prædictum decretum aliquid attentari contingeret,ſed ſcandala,& diſſenſiones omnino ceſſarent. Sanctiſsimus D.N. in eadem Congregatione Generali S. Romanæ & vniuerſalis Inquiſitionis feria 5.die 22. Maij Anno à Natiuitate Domini 1625. aliud ſuum decretum edidit tenoris infraſcripti.

Sanctiſſimus D.N. ſupradictum decretum hoc ſuo præſenti decreto confirmauit,& innouauit, diſtrictè præcipiens,& mandans omnibus & ſingulis, cuiuſuis Religionis, Ordinis, Congregationis, Inſtituti, Societatis etiam de neceſsitate exprimēdæ,Regularibus,& alijs quibuſcumque tàm Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, perſonis cuiuſque ſtatus, conditionis,gradus,ordinis,& dignitatis, tàm Eccleſiaſticæ, quàm ſæcularis, vt in poſterum non audeant imprimere, vel quoquomodo in lucem edere, libros tractatus, vel compoſitiones, ex profeſſo, vel incidenter, aut prætextu commentandi D. Thomam, vel quemlibet alium Doctorem,aut alia quauis occaſione, prætextu, vel modo de materia auxiliorum diuinorum,tractantes ſine ex-

preſſa,

preſſa, & ſpeciali facultate à ſanctitate ſua in congregatione ſancti officij obtinenda, donec aliud in hac materia à Sede Apoſtolica fuerit ordinatum.

Vt autem huiuſmodi decretum inuiolabiliter obſeruetur, eadem ſanctitas ſua voluit, & declarauit contrauenientes pœnas priuationis dignitatum, officiorum ſuorum, vocis actiuæ, & paſſiuæ, facultatis concionandi, publicè legendi, docendi, & interpretandi, ipſo facto abſque alia declaratione incurrere, & nihilominus alijs etiam pœnis Sanctitatis ſuæ, & ſucceſſorum ſuorum Rom. Pontificum arbitrio infligendis ſubiacere.

Libros porrò, quos in futurum contra præſentis decreti tenorem edi contigerit abſque alia declaratione, tanquam expreſsè prohibitos haberi voluit. Et impreſſores præter amiſſionem librorum, pecuniarijs, alijſque corporalibus pœnis iuxta criminis grauitatem teneri mandauit. contrarijs quibuſcumque non obſtantibus.

Cum verò ſanctitati ſuæ nuper innotuerit in Ciuitate Louanienſi quaſdam aſſertos Cornelij Ianſenij, olim Epiſcopi Iprenſis, Executores ex teſtamento in lucem edi curaſſe librũ, cui titulus, *Auguſtinus*, ex profeſſo continentem, & tractantem materiam de Auxilijs, nulla penitus petita, vel obtenta ab hac ſacra Congregatione licentia, illum imprimendi; cuius operis occaſione PP. Societatis Ieſu in Ciuitate Antuerpien:. de eadem materia tractantes, Theſes pariter abſque licentia eiuſdem Congregationis imprimi curaſſe, opinioneſque Ianſenij in prædicto libro oppugnaſſe. Rurſuſque non nullos alios libellos, orationes, ſcripturas, epiſtolas, theſes inferius regiſtrandas tàm prædicti libri Ianſenij, quàm Theſium à PP. Ieſuitis editarum defenſiones impreſſas fuiſſe, nõ ſolum contra præſentium decretorum prohibitionem, ſed in graue ſcandalum, & offenſionem Eccleſiæ Catholicæ. Vt malis huiuſmodi imminẽtibus quanto citius occurratur, vt in poſterum nullus audeat dictis decretis contraire. pronunc eadem ſanctitas ſua, inhærendo decretis à Paulo Quinto, & à ſanctitate ſua emanatis, dictum librum Ianſenij, cui titulus *Auguſtinus* Louanij impreſſum, nec non Theſes a PP. Ieſuitis Societatis Ieſu Antuerpiæ in lucem editas, aliaſque ſcripturas in calce præſentis decreti regiſtrandas, iam vigore ſupradictorum decretorũ prohibitas, hoc ſuo præſenti decreto de nouo prohibet, ac pro prohibitis omnino haberi voluit, mandauitque ſub pœna excõmunicationis ipſo facto incurrendæ, ne quis cuiuſcũque ſtatus, gradus, conditionis, & qualitatis etiam ſpeciali, ſpecialiter nota dignæ librum, & Theſes prædictas, aliaſque ſcripturas vt ſupra, abſque ſedis Apoſt. licentia, in Cõgregatione Sancti Officij obtinenda retinere, ac legere poſſit. Inſuper mandauit omnibus, & ſingulis cuiuſuis Religionis, Ordinis, Congregationis, Inſtituti, Societatis etiam de neceſſitate exprimendæ Regularibus, & alijs quibuſcunque tàm Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus perſo-

perſonis cuiuſque ſtatus conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis, Abbatiali, Epiſcopali, Archiepiſcopali, & Patriarchali ſuffultis, collegijs, vniuerſitatibus, ſub prædictis pœnis vt ſupra excommunicationis ipſo facto incurrendæ, interdicti Eccleſiaſtici reſpectiuè, alijſque arbitrio Sant. ſuæ pœnis infligẽdis, etiam corporalibus, ne in poſterum audeant imprimere, nec quoquomodo in lucem edere libros, tractatus, compoſitiones ex profeſſo, vel incidenter, etiam ſub prætextu commentandi D. Thomam, ſeu in philoſophicis agendi, de concurſu cauſæ primæ cum ſecunda, & præſertim defendendi, aut impugnandi librum D. Cornelij Ianſenij, cui titulus, *Auguſtinus*, vel Theſes PP. Societ. Ieſu aliaſque ſcript. vt infra prohibitas, aut alia quauis occaſione vel modo de materia auxiliorum diuinorum, ſeu de gratia, & libero arbitrio tractantes ſine expreſſa, & ſpeciali licentia à Sanct. ſua in Congreg. Sancti officij obtinenda: donec aliud in hac materia à Sede Apoſtolica fuerit ordinatum. Abſolutionem vero à prædicta excomunicatione, necnon interdicto, ſuſpenſionem, & relaxationem Sanct. ſuæ, & ſacr. congregat. reſeruauit. non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs, etiam ſanct. Cruciatæ, Iubilei generalis, & facultatibus Miſsionariorum, ac alijs à ſancta Sede emanatis, ſeu emanandis, quibus omnibus in hac parte Sanct. ſua derogat. voluitque Sanct. ſua hæc omnia ſuum plenarium ſortiri effectum, omneſque contrafacientes vt ſupra ligate, nequemquam excuſari poſſe, etiam ſub prætextu, quòd decreta Pauli V. & Sanctitatis ſuæ alias emanata, non fuerint in prouincijs intimata, vel vſu recepta, irritum quoque, & inane quidquid ſuper ijs à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernit. Contrarijs quibuſcumque non obſtantibus; Et ne præmiſſorum ignorantia poſſit ab aliquo prætẽdi, voluit vt decretũ huiuſmodi, ſeu illius exemplum ad valuas Baſilicarum Sancti Ioannes Laterani, ac Principis Apoſt. de Vrbe, & in acie Campi Flore affixa, omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimata fuiſſent. „

Bald. Heu heu heu. Termaximus meus tribus grauiſſimis malis premitur, peccato mortali publicæ inobedientię, excommunicatione reſeruata latæ ſententiæ, & prohibitione libri ſui ipſo facto.

Matth. Decretum lege, nil addo. Nec ſemel de concurſu Dei cum cauſis ſecundis diſputauit Licetus, vt in tota ſecunda epiſtola. verum etiam in epiſtola contra me tribus vicibus, & latè quidem diſputauit.

Car. 45.
Car. 96.
Cart. 145.

Cum hac de re nulla ſit mecum controuerſia. Sed vel hoc fecit ad implendam cartam, vt maiorem contra me epiſtolam ſcriberet: vel vt laqueum mihi pararet, ſi fortè inter confirmandum, vel confutandum in laqueum mihi paratum inciderem. Ad hoc referam Dei

ora-

oraculum. Eccl.27.29. " qui laqueum alij ponit, peribit in illo ,,

Bald. Nimium es ſuſpicioſus.

Matth. Fortaſſe. At ab homine tale cauendum eſt. Verùm non eſt ſuſpicio, ſed certitudo de ſcandalo ex iſta tractatione prohibita nato, & naſcituro. Siquidem Doctores Theologi, ac Philoſophi, qui ad Sãctæ Sedis Apoſtolicæ pedes expectant iudicium, non poſſunt non commoueri, dum priuatum hominem laicum vſurpare poteſtatem iudiciariam cernunt; dum ſe vel damnari, vel abſolui à Liceto ſentiunt.

Bald. Suſtine; vna meæ clauſula epiſtolæ commotionem hanc ſedabit. ſic alloquor Licetum " Tu, qui Mineruam geſtas in pectore, & qui Arbiter es omnium ſcientiarum, rem diſcuties plenius, illuſtrabis, vt me, & orbem doceas, cuius in omni ſcientiarum genere Magiſter audis, & prædicaris ,, Summus Pontifex ſit iudex ordinarius. Termaximus eſt Arbiter, iudex omnium ſcientiarum, omnium Magiſter, potens docere in hac diſcuſſione & Pontificem, qui edoctus doceat, & Theologos, & Philoſophos.

Matth. Inobedientia Termaximi tranſibit in exemplum, vt quilibet ſcientia inflatus, præſumat ſe non teneri præceptis Summi Pontificis, & ſacræ Congregationis; quin & minores exemplo iſtius Arbitri, generalis, Magiſtri vniuerſorum contemnent præceptum, peccatum, pœnam. A Boue maiori diſcit arare minor.

Bal. Miſericordiæ opus eſt docere ignorantes. Cum ergo Termaximus omnes ſcientias geſtet in pectore, docere Doctorem Eccleſiæ optauit, qui ſubinde doceret Eccleſiam, quid ſentire debeat de Auxilijs gratiæ, & creatione rerum, de concurſu primæ cauſæ, de actu peccaminoſo, & alijs multis: ſi qui autem ſcandalizabuntur, deſerendi ſunt vt cęci, & duces cęcorum.

Matth. Vtinam non eſſet iſta miſericordia, ne eſſet illa inobedientia. Saul Rex ſub ſpecioſo prætextu ſacrificiorum, Dei mandatum tranſgreſſus eſt. Cui Samuel diuinitus intonuit. in 1.Reg.15. " Melior eſt obedientia, quàm victimæ: & auſcultare magis, quàm offerre adipem arietum. Quoniam quaſi peccatum hariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. ,, Si ergo tu, qui honoras Licetum, vt Doctorem orbis, & arbitrum ſcientiarum omnium: qui defendis factum, quo publica Pontificis Maieſtas contemnitur: dignumque iudicas Licetum, qui doceat Pontificem, non diſcat à Pontifice: nec conſideras peccatum eſſe, peccatum defendere; conſidero ego, quanta occaſio defendendi errorem Liceti data eſt amicis Liceti, datum exemplum minoribus contemnendi pœnas eccleſiaſticas, data cauſa indignationis doctoribus à Liceto confutatis, iuſta quærela data obedientibus ſacræ congregationi, dum publicum tranſgreſſorem impune ſe ſe rebus ſacris miſcentem, & publico applauſu gaudentem obſeruant.

Bal. Nimium exaggeras iſta.

Matth. Veriſſima tamen dico, ſcilicet in fronte operis publica tranſgreſſio decreti Pontificij, & Eccleſiaſtici mandati non poteſt non generare ſcandalum; nec video qua ratione excuſari poſſit Licetus, niſi prætextu ignorantiæ.

Bal. Caue, obſecro, ne pleno ſcientia homini adſcribas ignorantiam.

Matth. Parce: ſciens, & volens Sanctæ Rom. Eccleſiæ & capitis eius mandatum cõculcauit. Licetus publice legit, Piſis, Bononiæ, Patauij; non potuit ignorare, quod publicis Vniuerſitatibus eſt promulgatum.

Tertius titulus ſcandaloſus.

Matt. Tertia propoſitio Liceti eſt de ſalute animæ Ariſtotelis. Qua de re Licetus in pag. 250. lin. 7. concludit. "Quare iam nullus ambigas de Summi Philoſophi ſalute, conferens iſta cum alijs à me dudum de illius pietate prolatis „Hac in re Licetus plura cõmittit.

1 Summi Pontificis authoritatem vſurpat.

2 Chriſtianæ legi detrahit.

3 Patrum Eccleſiæ ſententias de Ariſt: abijcit.

4. Hiſtoricis de Ariſt: fidem abnegat.

5. Cultorem Deorum immeritò ſaluat.

6. Doctrinam ſupra fas laudat.

7. Mortem Ariſtotelis non commemorat. Denique ſalutem certam, cum eſt incertiſſima, aſſerit.

Circa primum. Ad Summum Pontificem Vicarium Chriſti Saluatoris ſpectat decernere de ſalute alicuius hominis ſaluati per gratiam Saluatoris. Prout Bellarminus docet de Sanctorum beatitudine in to. 2. lib. 1. cap. 8. & 9. col. 738. Sed & Vrbanus VIII. cum congregatione Sancti officij modum impoſuit circa opinionem, & honorem exhibitum ijs defunctis, qui non ſunt ab Apoſt. Sede titulo Beatorum, vel Sanctorum inſigniti. Vt refert Diana in 4. par. car. 28. decretum anno 1626. die 13. Maij. Quod decretum amplificatum eſt, vt in Tom. 4. Bullarij in appendice car. 38. Incipit *Cæleſtis Ieruſalem* ſub die 5. Iulij 1634. in quibus decretis diſcimus, ad Sãctam ſedem Apoſt. reſeruari declarationem de ſalute alicuius animæ ſine dubitatione tenenda. Nunc autem Licetus nouellus Pontifex factus à ſeipſo, ſine omni ambiguo nos certificat de ſalute animæ Ariſtotelis.

Circa ſecundum. Iniuſtum eſt plus dare certitudinis de ſalute non Chriſtiano, quàm Chriſtiano. Si ex lege Iudæorum obſeruata, poteſt quilibet priuatus decernere indubitatam ſalutem obſeruatori legis Iudaicæ: ex lege Chriſtianorum nulli priuato licet certam ſalutem aſſerere de Chriſtiano, qui cum fide & ſacramentis defunctus ſit, & cum odore bonorum operum, & integræ famæ: ergo melior eſt conditio legis Iudaicæ, quàm Chriſtianæ. Quod conſequens Iu-

daiſmo viam aperit: & Apoſtolo ad Hebræos 7. dicenti; nihil ad perfectum adduxit lex, apertè contradicit. Dicam cum Sancto Bonauentura tom. I. in lib. prætitulato, Principium ſacræ Scripturæ, cart. 5. col. I. F. "Lex, quæ obuiat ſacræ Scripturæ, & decretis Papæ, & moribus bonis, nullius debet eſſe momēti. „Si de lege publica hoc dicitur, multò magis hoc ſentiendum eſt de priuatis ſcriptis Liceti; qui contra Scripturam ſacram, contra Pontificis ſanctionem, contra bonos mores dat Ariſt. tanquam Iudæo, quod neque, ſi Chriſtianus eſſet, dari poſſet. Dedi nunc Ariſt. fuiſſe Iudæum, quamuis hoc exiſtimem eſſe iudaicam fabulam, in gratiam Iudæorum à Liceto receptam, & à quodam Iudæo confictam contra hiſtoriarum fidem.

Circa tertium. Sententias Patrum de Ariſt. colligit Ioannes Cottunius in libro de triplici ſtatu animæ diſp. 5. in Appendice car. 147. & Franciſcus Collius de animabus paganorum par. 2. lib. 1. ex quibus pauca delibo.

Sanctus Hieronymus in Eccleſiaſten 12. ſuper illud; "Labor ſtultorum affliget eos,, tradit Ariſt. cum pluribus è diuina ciuitate deiectum. „ Lege Platonem, Ariſtotelis reuolue verſutias: Zenonem & Carneadem diligentius intuere, & probabis verum eſſe, quod dicitur: labor ſtultorum affliget eos. Veritatem illi quidem omni ſtudio quæſierunt, ſed quia non habuerunt ducem, & præuium itineris, & humanis ſenſibus rati ſunt ſe comprehendere poſſe ſapientiam, ad Ciuitatem minimè peruenerunt „

Macarius ſenior hom. 42. „Nam ſapientes huius mundi Ariſt. & Plato, Socrates, qui rerum notitiam callebant, non aliter ſe habebant quam Vrbes amplæ: at erant ab hoſtibus vaſtati, quia carebant ſpiritu diuino. „

Reijciunt Patres Ariſt. placita de felicitate, de anima, de mundi æternitate, ſed præcipuè de prouidentia Dei reiecta.

Nazianzenus in prima oratione de Theologia "Ariſtotelis pręparcam, & anguſtis finibus circumſcriptam prouidentiam, & artificium; mortales de anima ſermones, atque humana dogmata confuta.„

Sanctus Epiphanius contra hæreſes tom. 2. lib. 3. "Ariſt. dixit, quæ ſupra lunam ſunt diuinæ prouidentiæ eſſe; quæ verò infra lunam, extra prouidentiam eſſe, & ratione quadam temeraria ferri, prout cōtingit.

Sanctus Ambroſius lib. 1. de officijs cap. 13. "Qui Deum putant curam mundi nequaquam habere, ſicut Ariſt. aſſerit, vſque ad lunam eius deſcendere prouidentiam.„

Sanctus Cyrillus Alexan. lib. 2. contra Iulianum. "Verùm diſcipulus eius Ariſtoteles non idem ſentit, neque animatum mundum totum, neque mentalem; ſed neque prouidentia gubernari.„

Athenagoras in oratione pro Chriſtianis. "Hoc ipſo & Ariſt. adductus, partes cęli inferiores nulla prouidentia regi dixit.„

Ta-

Tatianus oratione ad Græcos. "Ariſtoteles terminũ prouidẽtiæ impudẽter præfixit. „Nimirũ Ariſt. Dei eſſentiam in ſuprema Cęli parte poſuit, ab inferiori parte Mundi, maximè à terra, relegauit; gubernare autem poſuit mediante motu Cęli. Re vera vbi Deus nõ eſt, ibi non operatur, neque gubernat. Quam Ariſtotelis opinionem Licetus in hoc lib. de ſeptimo quæſitis repetit, nempè Deum nõ eſſe in terra, neque regere hæc Inferiora, quæ ſunt in eo & in quibus eſt Deus, niſi vt & Rex in regno, & Regnum in Rege. De qua re poſt. Alia quoque ex Patribus infra. Ariſt. 8. phyſ. 84. 1. cęli 22.

Circa quartum. Hiſtorici non pauca notarunt in Ariſtotelis vita, tanquam vitioſa, vt eſt apud Laertium, Collium, Patritium, referentes Quæ ſi vera ſunt, de anima Ariſt. actum eſt.

Reſpõdet Licetus, multos inuidiſſe Ariſtoteli. "Collius reprobat reſpõſum. "Quis enim liuoris, & inuidiæ notam inurere audeat, Sanctiſſimis Eccleſiæ catholicæ proceribus, Epiphanio, Ambroſio, Chriſoſtomo, Hieronymo, Cyrillo, ac cęteris, quos in Ariſt. vitia teſtes locupletiſſimos protulimus? „Inſuper hæc ratio defendendi iuſtificabit Iudam proditorem, quaſi Matthæus, & Ioannes Euangeliſtæ de illo detraxerint inuidè: quòd Iudas loculos haberet, & rerum adminiſtrationem, ipſi minimè. Iuſtificabit Neronem principis Apoſtolorum, & Eccleſiæ perſecutorem, omniumque hiſtoricorum fidem eleuabit ſub inuidiæ calumnia. Fuerit inuidia, in ijs, qui cum Ariſtotele vixerunt: in poſteris inuidiam ponere eſt fingere.

Circa quintum. Ariſt. multorũ Deorum cultor extitit, prout oſtendi in veſtigatione 4. peripatetica. Licetus in lib. de pietate Ariſtotelis conatus eſt effuſiſſimè oſtendere, Deum eſse vnum, cum abuſu ſcripturarum, atque textuum Ariſt. Nullum textum inuenire potuit, vel Græcũ, vel Latinũ vulgatæ verſionis, in quo Ariſtoteles doceret vnũ numero eſse Deum. Confugit ad verſionem Arabicam, nec animaduertit, Arabicum interpretem non fidelem fuiſſe in vertendo Ariſtotelis textu; ſed ſuæ legi fidelem fuiſse, ac miſcuiſse ſuam ſectam cum Ariſtotelicis dictis. Sic Sanctus Bonauentura in 1. d. 2. q. 4. producit ex principio de cęlo, & mundo tex. 2. ſecundum verſionem Arabicam talem. "Omne enim perfectum in tribus dicimus, & hoc numero adhibuimus noſmetipſos magnificare Deum, Vnum, Creatorem omnium, eminentem proprietatibus eorum, quæ ſunt creata. „Sed in textu noſtro ſic lego. "Qua propter à natura accipientes tamquam leges illius, & ad ſacrificia Deorum hoc vtimur numero. „hinc factum eſt, vt Scholaſtici veteres Arabicam lectionem ſequentes concorditer dixerint ſecundum Ariſtot. vnum eſse Deum. Fefellit eos interpres. Quòd ſi Græcum, vel Latinum noſtrum legiſsent, longè aliter de Ariſt. cenſuiſsent. Io. Frãc. Picus li. 4. examinis ca. 1.

Sed Sanctus Ioannes Chryſoſtomus ſuper epiſt. ad Romanos hom. 2. in cap. 1. inuehitur in philoſophos, qui cultum diuinum Creatori de-

C 2 bitum

bitum Creaturis perſoluerunt, & ait, "Et Ariſt: quidem aduerſus Platonem inſurrexit, &c. vt non tàm illos conueniat ob ſapientiam admirari, quàm auerſari.,, Et paulò poſt de Apoſtolo ait; "Accuſationes in illos intendēs taxat, omnem illorũ idolo-latriam.;, In eumdem locum Apoſtoli legatur Cornelius à Lapide, ideſt ſuper epiſt. ad Rom. cap. 1. ver. 16. Vbi & pellicatum Ariſtotelis, & Idolo-latriam, ac tandem eum cum alijs in orcum concludit. Perſeuerauiſſe autem Ariſtotelem in idolorum cultu ad finem vſque, conuincitur ex eius teſtamento apud Laertium.

Circa ſextum. Doctrinam Ariſt: contra ius, & fas nimium laudat. Laudabilis vtique eſt, & magnopere Ariſtoteles; ſed intra menſuram hominis: nec plus eſt illi homini, aut æqualiter fides habenda, vt Deo. Itaque Doctor ſubtilis maximè addictus Ariſtoteli, ſed multò magis addictus Chriſto Domino, Ariſtotelis ſententias reprobat, vt in prima prolog. ad N. ponit errores de Deo, & de Angelis; ſed & de hominibus in politia, quòd Dijs cultus ſit exhibendus, Filij orbati non ſint nutriendi, Abortus procurandus in caſu: atque ad Deos luxuriæ colendos deſcendit, vt ego in gratiam Scoti animaduerti. Scotus quoque in 1. d. 8. q. 5. in 2. d. 12. q. 2. in 4. d. 43. q. 2. & ſæpius Ariſt: dogmata confutat. Sed vnum dogma de mundi æternitate, & ex conſequenti de neceſſitate naturali Dei in mouendo ad extra, euertit fidem de creatione mundi, de fine mundi, de reſurectione vniuerſali, de iudicio finali, de vita æterna, ac denique totam ſacram Scripturam, & Apoſtolicas traditiones ponit vt humanas inuentiones. Licetus hæc Scoti, & Scotiſtarum dicta ægerrime tulit: & in lib. de pietate Ariſt. aſſimilauit Scotum & ſuos (ſuppreſſo nomine) ipſi Cham, qui verenda patris Noe detexit. Quaſi Theologi Chriſtiani officium ſit, diſſimulare ea, quæ ſunt contra Chriſtum in fide & moribus, ne Ariſtotelem detegat. Fortè tamen Scotiſtarum aliquis procedente tempore hæc à Liceto repoſcet.

Quid ſi ego nunc referam initium, medium, finem Ariſtotelicæ doctrinæ dęmonis nomine eſſe obſignatum? nec fruſtra Dęmon vera dicit: dicit enim, vt fallat.

Io. Franc. Picus ſequitur li. 4. examinis cap. 1.

Initium philoſophandi fecit Ariſt: iuſſu diaboli. Cum enim conſuleret oraculum diabolicum, Pythia, perquam Apollo Pythius reſponſa dabat, iuſſit Ariſtotelem philoſophari. Ita ſcribit Philoponus in vita Ariſt: quæ ad initium Logicæ Ariſt: impreſſa eſt.

Ariſtoteles Dęmonem familiarem habuit, à quo diſcebat: teſtibus Iodoco Coccio in to. 1. theſauri Catholici lib. 4. art. 5. car. 367. qui citat ad idem Gullielmum Aruernenſem. D. Dionyſio Carthuſiano in 2. d. 5. q. 1. cart. 145. qui & ad hoc affert Gullielmum Pariſienſem.

Denique Ariſt. ſuam doctrinā in teſtamento conclusit his verbis "Animalia lapidea cubitorum quatuor Ioui ſeruatori, ac Mineruæ ſeruatrici

trici in Stagiris. „Ab iſtis Dijs talem ſalutem potuit expectare, qualem *ipſi* habent, hoc eſt æternam damnationem. Sic enim cæleſtis propheta cecinit: omnes Dij gentium dæmonia.

Circa ſeptimum. De morte Ariſtot: duplex eſt enarratio. Prima, quòd Ariſt: quærens cauſam fluxus, & refluxus maris in Euripo, nec inueniens; præ indignatione ſe ſe in mare ſubmerſerit. Narrat hoc S. Bonauentura rom. 1. in lib. cui titulus, Principium ſacræ ſcripturæ pag. 4. col. 2. E. Idem ſcribunt Sanctus Gregorius Nazianzenus prima oratione in Iulianum, & antiquiſſimus Sanctus Iuſtinus tom. 1. pag. 61. in oratione ad Gentiles. Idem docent, Paulus Areſius in lib. de generat. & corrupt. diſp. 1. q. 2. ſect. 1. car. 23. col. 2. aſſerit Maginus in Geographia, in deſcriptione Euboeæ, quæ Negroponte *vocatur;* & Ioannes Valenſis apud Patritium. Rhodiginus lib. 29. cap. 8. Eandem rem referunt Fonſeca in proœmium Methaph. pag. 3. Collius de animabus paganorum in Ariſt. Io. Franciſc. Picus lib. 4. examinis vanitatis Doctrinæ gentium, cap. 1.

Secunda naratio eſt, quòd Ariſt: Athenis, accuſatus religionis ab Eurimedonte ſacrifico Cereris, Athenis profugerit Chalcidem: neque illic tutus, ſponte aconitum biberit. Commemorant hoc ex Eumelo hiſtorico, Laertius, & ab eo Patritius, & alij, vt Collius. Vtrouis modo obierit, damnatus eſt, qui ſe ſe ſponte interfecerit.

Bal. An tu iſta credis de Ariſtotele.

Matth. Mihi ratum eſt de actis vitæ, & mortis Ariſtotelicæ non credere quicquam, niſi ex veterum authoritate. Amici, quæ in laudem ſunt, extollunt: quæ contra, imminuunt: & hæc in æmulationem, & liuorem vertunt. Ego ex Patrum authoritatibus, & hiſtoricorum propendeo in damnationem Ariſtotelis. An ſit ita, Dei iudicium eſt. Tantùm dico, ſi res eſt incerta ex hiſtoricis ſæcularibus, atque ex Patribus Chriſtianis magis in perditionem inclinata: non debuit Licetus Summi Pontificis authoritatem vſurpare, & ſalutem Ariſtoteli ſine ambiguo decernere.

Huc refero Sacri Conc. Trident. ſeſſ. 6. can. 1. ex cap. 1. de iuſtificatione. "Si quis dixerit hominem ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam fiant, abſque diuina per Ieſum Chriſtum gratia poſſe iuſtificari coram Deo; anathema ſit. „ Non ergo per naturalem philoſophiam potuit à peccatis cauere Ariſtoteles vt prætēdit Licetus in lib. de pietate Ariſt. aut Geneſius Sepulueda in Apologia pro Ariſt: neque per literam legis Moyſi, vt Licetus exiſtimat. Credidiſſe autem Ariſtotelem in Ieſum Chriſtum venturum recentiorum quorundam excogitatio eſt, vt oſtendit Collius, ſed antiquorum teſtium, qui ſint hiſtorici, non dialogiſtæ, vel Poetæ, authoritate caret: ideò qua facilitate aſſeritur, eadem negatur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ariſto-

Ariſtotelem verò circũciſum fuiſſe,nec Laertius ait in Ariſtotelis vita, nec Volateranus de Ariſtotile ſcribens in tractatu de claris viris, nec Guetinus Veronenſis, qui prolixè vitam Ariſtotelis proſequitur,nec Theatrum vitæ humanæ, nec Ioannes Franciſcus Picus Mirandulanus de Stud.diu.& huma. philoſ. libro 2.qui multa & magna pro, & contra Ariſtotilem congeſſit. Nec item Philoponus, aut Fonſeca, aut Areſius in vita Ariſtotelis. Sed Licetus Iudæorum fautor Iudæi, neſcio cuius, fabulam nouam, omnibus hiſtoricis antiquis, & recentioribus præfert.

Quarta propoſitio ſcandaloſa.

Bal. LEgam ſequentia. "Reſponſa Fortunij Liceti Genuenſis ex Leuitica communitate in almo Liceo Patauino Medici Theorici ſupremæ Cathedræ.

Matth. Scandalum eſt, quia Licetus eſt laicus & vxoratus (niſi forte ſit clericus vxoratus) vxorem enim habet, vt notorium eſt in hac Vrbe. Sed à Summo Pontifice excluditur quiuis laicus à diſputatione de rebus ſacris. extra de hæreticis in 6. capit.2. incipiente *Quicumque* §.inhibemus, "Inhibemus quoque,ne cuiquam laicæ perſonæ liceat publicè, vel priuatim de fide Catholica diſputare; qui verò contrafecerit, excommunicationis laqueo innodetur „Alfonſus de Caſtro in lib.1. de iuſta hæreticorum punitione cap.19. car.99. pag.2. declarans iſtum Canonem ſcribit. "Nam illic Papa veram diſputationem prohibet, non autem fictam. Ficta quidem eſt diſputatio, quæ ſolis verbis, & non animo fit; qualis eſt inter illos, qui cum ſint in eadem ſententia concordes, argumentantur, & reſpondent, vt rei veritatem clarius inueniant. Sicut etiam eſt bellum fictum inter eos, qui haſtiludia exercent. Diſputatio vera eſt inter illos,qui non ſolum verbis, ſed etiam animis contradicunt, & ſententias prorſus contrarias tutantur. Diſputationem fictam faciunt viri catholici, cum de rebus fidei diſputant: quia idem concordi animo ſentiunt, & ſolis verbis contradicunt. Diſputationem veram, & non fictam habent viri catholici contra hæreticos cum de fide catholica diſputant: quia ſicut exterius verbis pugnant, ita interius animis diſſentiunt. Hanc veram diſputationem,quæ cum hæreticis de fide habetur, prohibet Papa perſonis laicis; ne videlicet publicè, aut priuatim de Fide catholica cum hæreticis diſputare audeant: Et meritò id prohibuit: quia licet eſſent aliqui laici docti,qui benè,& ſine periculo poſſint cum hæreticis diſputare; leges tamen non decernunt de ijs, quæ rarò contingunt, ſed de ijs, quæ vt in plurimum eueniunt. Raro autem contingit, laicos eſſe doctos in fide, & ad diſputandum de ea diſertos: & ideò ne ipſi in diſputatione ſuccum-

bentes

bentes ſibi ruinæ occaſionem aſſumerent, aut alijs auditoribus præberent; meritò illis fuit talis diſputatio interdicta. Alia vero diſputatio de fide, quæ fictè inter Catholicos exercetur, non eſt laicis per illud capit. *quicumque* interdicta: quoniam diſputatio ficta non eſt propriè diſputatio: nec bellum fictum eſt propriè bellum, nec homo pictus eſt propriè homo. Et ſi hoc benè aduertiſſet Gloſa in illo cap. *quicumque* *§.inbibemus*, non tantis premeretur anguſtijs, quibus illic premitur: & facile diſſoluiſſet laqueos, quibus ſe teneri putauit.„

Cornelius à Lapide in epiſt. ad Romanos cap. 10. ponderat Apoſtoli verba. "Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur? Sicut ſcriptum eſt: quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona?„ Lapidius ex hac authoritate docet, neminem poſſe de rebus ſupernaturalibus diſſerere, niſi à Deo mittatur. "Hinc patet, neminem eſſe audiendum, niſi legitimè mittatur ad prædicandum à Deo, vt ſatis patet ex Iſaia, quem citat, hic Apoſtolus. A Deo, inquam, vel proximè & immediatè: & tunc opus eſt miraculis, vel ſignis ſupernaturalibus: quibus is, qui mittitur, hominibus probet, ſe mitti à Deo; vel mediatè, vt nimirum mittatur à Chriſti Vicarijs, & ſucceſſoribus, ſcilicet Pontificibus, & Epiſcopis, vti ordinariè fit ex inſtitutione Chriſti „Hæc ille. Atque Licetus non eſt à Deo immediatè miſſus ad tuẽdam Fidem catholicam: nulla enim miracula fecit Licetus, quibus probaret ſe à Deo miſſum. Nec miſſus eſt mediante Chriſti Vicario: imò inhibita eſt laico diſputatio de fide. De qua diſputatione Sacerdoti à Deo reſeruata, plura congerit Melchior Cano de locis Theologicis lib. 5. à car. 289. ad 294. & Paulus Apoſtolus ad Hebræos 5. "Nec quiſquam ſumit ſibi honorem; ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit vt Pontifex fieret; ſed qui loquutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. „Ergo cum Deus officium docendi res ſacras Sacerdoti mandauerit ex Malachia cap. 2. "Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. „ideò neque Sacerdos legalis, neque Sacerdos Chriſtianus, neque Chriſtus Dominus Sacerdos Sacerdotum aſſumunt ſibi honorem docendi res diuinas; ſed expectant à Deo mitti. At laicus noſter Deum non expectauit, neque Dei Vicarium: ſed cum concertatio inter offenſores meos & me, à meis offenſoribus delata eſset ad Tribunal Summi Pontificis, vt Licetus publicauit per hanc Vrbem patauinam; noluit hic laicus homo expectare iudicium Summi Pontificis, ſed præuenire, & præiudicare: videlicet

licet docere Pontificem ſummum,non ab eo diſcere.

Qua in re aſcribo Sancti Bonauenturæ ſententiam ex lib.2. d.34. q.4. n.23."Et huius ratio eſt potiſſima ipſa mater cęcitatis ſuperbia,quæ regnat in quibuſdā laicis quantum ad ea,quæ ſunt Fidei,& morum. Cum enim ſint idiotæ præſumunt ſacram Scripturam exponere, quæ eſt profundiſſima omnium ſcripturarum. Cum iterum habeant quandam honeſtatem exteriorem, contemnunt vitam omnium aliorum, & meritò huius duplicis ſuperbiæ excæcantur. „

Bald. Sanctus Bonauentura inſurgit in laicum idiotam: at Licetus eſt omnium doctrinarum callentiſsimus.

Matth. Sit in alia aliqua facultate. In rebus Theologicis nunquam fuit diſcipulus,quamuis haberi velit Magiſter in Iſrael. Lege in pag.14. lin.8. "Hanc ex ore mei prorſus infantis in rebus Theologicis, atque vix Theologicum nectar lactentis, perficere laudem voluerit æternæ ſuæ generationis? noui me de rebus Theologicis eloquentem non eſſe ab heri,& nudiustertius,ex quo de ſacris Dei Myſterijs a plerisque viris Theologis interpellatus ſum. „Duæ hic ſunt laudes ſpecioſæ:altera, quòd non ſit diſcipulus in Theologiæ: altera, quòd à viris Theologis,vt Magiſter eorum interpelletur. Si hæc vera ſunt,idiota eſt in rebus ſacris. Si vera non ſunt,ad inanem laudem apponuntur.

Verùm Sanctus Hieronymus in epiſt. ad Paulinum ſic loquitur. " Hæc à me perſtricta ſunt breuiter,vt intelligeres te in ſcripturis ſacris ſine pręuio,& monſtrante ſemitā non poſſe ingredi. „ Id oſtendit in grammaticis, rhetoribus, & omnibus ſcientijs,atque artibus concludens." Abſque Doctore eſſe non poſſunt quod cupiunt.Quod medicorum eſt, promittunt medici: tractant fabrilia fabri. ſola ſcripturarum ars eſt,quam ſibi paſſim omnes vendicant. Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus,hanc vniuerſi pręſumunt, lacerant,docent,antequam diſcant. Alij adducto ſupercilio,grandia verba trutinantes,inter mulierculas de ſacris literis philoſophantur„ Et infra, "Taceo de mei ſimilibus, qui ſi fortè ad ſcripturas ſanctas poſt ſæculares literas venerint,& ſermone compoſito aures populi mulſerint: quidquid dixerint,hoc legem Dei putāt:nec ſcire dignantur,quid Prophetæ,quid Apoſtoli ſenſerint, ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia; quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum docendi genus deprauare ſententias, & ad voluntatem ſuam ſcripturam trahere repugnantem „ Hæc de primaria Theologia inter viatores,hoc eſt,de ſacra ſcriptura Sanctus Hieronymus. Hoc idem de theologia ſecundaria, nimirum de ſcholaſtica, quæ maximis eſt laboribus ac difficultatibus diſcenda, dicam ego.

Bald. Tu iſthæc liberè admodum dicis. Licetus enim ex Concilijs, & ex Patribus vtramque theologiam hauſit, qui optimi ſunt theologiæ Doctores.

Matth. Vtinam ſic eſſet.Iactat Concilia & Patres in generali. Sed hoc ge-

nus

mus probationis cuilibet homini verboſo eſt in promptu. Citare autem concilia, & Patres in ſpeciali, eſt hominis in conciliorum, & Patrū lectione verſati. Videbimus in decurſu, Licetū præter concilia, & Patres, à me indicatos, vix aliquem proferre. Ex eis autem, quos illi ſcripto dedi; quos potuit ad ſuum ſenſum torquere, vtcumque exaggerauit. Concilium Apoſtolorū à Sancto Clemente primo ſcriptum, Concilium Romanum ſub Sancto Dionyſio noluit videre. Patres, Sanctum Ignatium, S. Iuſtinum, S. Ciprianum, S. Ambroſium, S. Athanaſium, & alios plures, quaſi nihil eſſent, præteriuit. Debuit vtique authoritates à me allatas afferre, & illis reſpondere: ſed non eſt poſſibile. Verùm ne præueniamus iſta: nūc oſtendo rationem ſcādali quintam. Quando coram Principe cauſa aliqua pendet, licentiæ immoderatæ eſt, ſi homo priuatus, vel etiam publicus Iudex inferior, decidere cauſam velit, & Tribunal cōtra Tribunal supremū erigere.

Scripſi meum librum defenſionis. Offenſores mei cauſam ad ſummum Tribunal Eccleſiæ detulerunt. Libellus infamis 1647. ſine authoris nomine per hanc Vrbem Patauinam vagauit, & Licetus illum præſeminauit: ſimul me traducens tanquam hæreticum, & Arianum. Non poteram habere libellum. Felicior fuit ille ſeminando, quàm ego inquirendo. Arripui calamum & contra librū quendam, qui aliquid tale ſcriptum habebat, collegi ſacræ Scripturæ authoritates, & cathenas Patrum, atque Scholaſticorum, qui ſcripturas illas expoſuerant de Filio Dei, ſicut & ego expoſueram: quorum plures in Epiſtola ad te *Balde* repoſui. Licetus publicauit meum librum iudicari à Sacra congregatione, & multa talia. Quare ſciens & volens præcipitauit iudicium poſt tres annos, videns ſacrum Tribunal præcipitare nolle. Interim meum ſcriptum videbatur mihi cum Fide catholica conſentire: nec tamen mihi fidens aliorum quoque Theologorum quæſiui Iudicium. Itaque excellentiſſimum Patrem Theologum Dominicanum in Vniuerſitate publica ſic ſum alloquutus. Scimus inter Thomiſtas. & Scotiſtas creberrimas eſſe de opinione controuerſias; ſed eſſe conſenſum in fide. Accipe quæſo, ſcriptum meum, & ſepoſita cura de opinionibus, examina diligentiſſimè, ſi quid à Fide catholica diſſidet, illudque ſinceré mihi indica, nam libentiſſimè emendabo. Sin autem non diſsentit à fide, in teſtimonium veritatis meo ſcripto ſubſcribe. Legit Pater doctiſsimus accuratè quantum voluit. Eiſdemque verbis alios duos ſum alloquutus, viros valde doctos & pios: hi tres ſunt.

Magiſter Cyprianus Philippinus in Vniuerſitate Patauina publicus Theologus.

Magiſter Benedictus Bartholinus, Venetus ſacræ Theologiæ Magiſter ordinis Prædicatorum.

Magiſter Bernardinus Francus Carmelita Cremonenſis in Collegio Carmelitarum Regens.

D Tres

Tres alios de facie non cognoſcebam, ſed neque nunc noui omnes; detuli autem ſcriptum meum ad ſuperiores locorum ſacrorum, qui examinandum darent meum ſcriptum, quibus vellent: atque hi ſunt.

D. Franciſcus Finetus Venetus Theatinus ſacræ Theologiæ profeſſor.

D. Ioannes Morandus Cl. Regularis ſacræ Theologiæ Lector.

Magiſter Octauianus Ferretus Peruſinus apud Eremitanos Sancti Auguſtini Regens. Neminem ex Franciſcanis volui, ne domeſticos teſtes adhiberem.

Licetus legit iſtos ſubſcriptos, & laicus non Theologus de Theologis cenſuram talem tulit pag. 204. ad lin. 18. "Quare mirandum eſt iſtam opinionem nouam, non ſolum collaudatam eſſe ſubſcriptionibus aliquorum etiam hoc æuo Theologorum apud nos, vel ex Diuo Thoma profitentium. Sed etiam in animum irrepſiſſe celebris authoris, qui contrariam ſententiam veram prius, & publicè profeſſus fuerat in ſcolis, & inuulgauerat editam typis in epitome conſentiens communi Patrum doctrinæ.

Cæterùm vt de ſubſcriptoribus illis exiſtimare licet, eos non tàm argumentis & authoritate primi Magiſtri recentis opinionis perſuaſos, atque permotos, quàm obſequij cauſa, rogatos ab amico ſubſcripſiſſe nouo placito, reclamãte ne quicquam Ariſtotele, veritatem amicitiæ ſemper anteponendam eſſe. ,, Iudicauit præſumptus Theologus veros Theologos tanquam deſertores veritatis Chriſtianæ & Chriſti in gratiam mei vt amici. Cum nemo illorum mihi eſſet amicus propter ſolitariæ meæ vitæ inſtitutionem. Iudicauit patrem Theologum publicum, profeſſorem Diui Thomæ vt alienum à D. Thoma. Cum ille totam ætatem in D. Thomæ doctrina diſcenda, atque docenda conſumpſerit: Licetus verò, auſim dicere, nec tres quidem D. Thomæ quæſtiones integras legerit. Iudicauit meam ſententiam antiquiſſimam, tanquam nouam: & maximè concordem meo Epitome, atque patribus, eſſe diſcordem., Iudex inexpertus nouorum, & antiquorum dogmatum, conſentientium, vel diſſentientium. Iudicium de ſeptem Theologis, & præiudicium ante iudicium Summi Pontificis oſtendunt, quantum ſibi aſſumat Licetus.

reſiqua ... ad pag 377 uſque ad 380

LIBER

LIBER SECVNDVS.

Obſeruationes in Epiſtolam Liceti de creatione Filij Dei.

Bal. EXordiamur obſeruationes à pag. 1. & ea, quæ tibi videbuntur per ordinem excutiamus.

Matt. Sic agendum eſt, ne quicquam prætermiſſum dicatur. † Illud moneo, quæ breuem excuſſionem exigunt, per ordinem tangenda videri: quæ prolixiorem, eſſe reponenda ſeorſum ne inſtitutus obſeruationum ordo nimium interrumpatur. †

Bal. Lego in prima pagina. "Septenarij numeri myſtica ratio mirificè congruit argumento præcipuo noſtri voluminis."

Matt. Quodnam eſt argumentum præcipuum Liceticі voluminis.

Bal. Ex inſcriptione libri præcipuum cognoſce argumentum: eſt enim creatio Filij Dei ad intra: hinc ſequitur Termaximus, "Etenim elucet plurimum in opere creationis quam in præſentia primario tractamus. "Quippe creatio nihil eſt aliud, quàm productio creaturarum à Creatore Deo?"

Matt. Hic obſeruatio prima fit. omne æquiuocum prius eſt diſtinguendum, quàm definiendum, vt logicorum regula eſt. Inde S. Ioannes Damaſcenus in ſua Logica cap. 30. edixit. "In æquiuocis porrò tria quærenda ſunt, nempè an ſint æquiuoca, tum de quot ſignificationibus dicantur: ac poſtremò, de quo ſignificatu interrogatio facta ſit. "Nunc Licetus nec dixit, an creationis vox ſit æquiuoca: nec quot ſignificationes habeat, neque de quo ſignificato ſit interrogatio, vel reſponſio. Ariſtoteles quoque in 2. Elenchorum cap. 2. iubet: cum vox, aut oratio multiplex offertur, peccatum eſſe non diuidere à principio, iubetque non eſſe cunctandum diuidere: tùm ne ſuſpicio ignorantiæ oriatur de reſpondente, ſi non à principio, ſed in fine diſtinguat: tùm ne redargutus videatur. Et in primo de Cœlo 110. præcipit, multipliciter dictum diuidi, nam & ſi nihil referret ad rationem, tamen indeterminatus eſt animus. Cum enim in voce multæ naturæ ſignificantur, immanifeſtum eſt, ſecundum quam loquutio fiat. Meritò diſtinctio vocis æquiuocæ præcipitur à Theologo, & à Philoſopho: quoniam æquiuocatio, & amphibologia eſt latibulum hæreticorum, & Sophiſtarum. Statim igitur vox æquiuoca eſt diſtinguenda, & ſignificatum determinatum eligendum, ne deceptori pateat occaſio fallendi: ne intellectus lectoris, vel auditoris indeterminatus hæſitet.

Bal. Termaximus Doctor nõ ignorauit hanc regulam ad pag. 35. ſcripſit

LIBER SECVNDVS.

Obſeruationes in Epiſtolam Liceti de creatione Filij Dei.

Bal. EXordiamur obſeruationes à pag.1. & ea, quæ tibi videbuntur per ordinem excutiamus.

Matt. Sic agendum eſt, ne quicquam prætermiſſum dicatur. † Illud moneo, quæ breuem excuſſionem exigunt, per ordinem tangenda videri: quæ prolixiorem, eſſe reponenda ſeorſum ne inſtitutus obſeruationum ordo nimium interrumpatur. †

Bal. Lego in prima pagina. "Septenarij numeri myſtica ratio mirificè congruit argumento præcipuo noſtri voluminis."

Matt. Quodnam eſt argumentum præcipuum Licetici voluminis.

Bal. Ex inſcriptione libri præcipuum cognoſce argumentum: eſt enim creatio Filij Dei ad intra. hinc ſequitur Termaximus. "Etenim elucet plurimum in opere creationis quam in præſentia primario tractamus. "Quippe creatio nihil eſt aliud, quam productio creaturarum à Creatore Deo?"

Matt. Hic obſeruatio prima ſit. omne æquiuocum prius eſt diſtinguendum, quàm definiendum, vt logicorum regula eſt. Inde S. Ioannes Damaſcenus in ſua Logica cap. 30. edixit. "In æquiuocis porrò tria quærenda ſunt, nempè an ſint æquiuoca, tum de quot ſignificationibus dicantur: ac poſtremò, de quo ſignificatu interrogatio facta ſit. "Nunc Licetus nec dixit, an creationis vox ſit æquiuoca: nec quot ſignificationes habeat, neque de quo ſignificato ſit interrogatio, vel reſponſio. Ariſtoteles quoque in 2. Elenchorum cap. 2. iubet: cum vox, aut oratio multiplex offertur, peccatum eſſe non diuidere à principio, iubetque non eſſe cunctandum diuidere: tùm ne ſuſpicio ignorantiæ oriatur de reſpondente, ſi non à principio, ſed in fine diſtinguat: tùm ne redargutus videatur. Et in primo de Cęlo 110. præcipit, multipliciter dictum diuidi, nam & ſi nihil referret ad rationem, tamen indeterminatus eſt animus. Cum enim in voce multæ naturæ ſignificantur, immanifeſtum eſt, ſecundum quam loquutio fiat. Meritò diſtinctio vocis æquiuocæ præcipitur à Theologo, & à Philoſopho: quoniam æquiuocatio, & amphibologia eſt latibulum hæreticorum, & Sophiſtarum. Statim igitur vox æquiuoca eſt diſtinguenda, & ſignificatum determinatum eligendum, ne deceptori pateat occaſio fallendi: ne intellectus lectoris, vel auditoris indeterminatus hæſitet.

Bal. Termaximus Doctor nõ ignorauit hanc regulam ad pag. 35. ſcripſit

prius diſtinguenda eſſe æquiuocorum ſignificata, quàm eorum definitiones afferantur ex Ariſt. 1.topicorum cap.14.

Matt. Ergo Licetus ſciens & volens tranſgreſſus eſt regulam Theologicam Damaſceni, philoſophicam Ariſtotelis, imo & propriam; etenim triginta quinque paginas contra regulam conſumpſit. Volebat quippe Licetus contra me diſputare ad nomen, non ad rem: noluit idcirco à principio commemorare Ariſtotelis regulam, qua prohibetur diſputatio ad nomen. Quo circa hic primo loco illam Ariſtotelis doctrinam referam. Secundo eam doctrinam obſeruabo, ne traſgreſſorem Licetum imiter.

Scribit autem Ariſtoteles, tres vtilitates oriri ex diſtinctione vocis multiplicis. "Vtile autem ipſum quidem quod quotupliciter dicitur conſideraſſe.

1. Ad diluciditatem. maximè autem quis ſciet, quid ponatur, manifeſto facto quotupliciter dicitur.

2. Et ad fieri ſecundum rem eamdem, & non ad nomen ſyllogiſmos; Si enim immanifeſtum ſit, quotupliciter dicitur, contingit non ad idem, & qui reſpondet, & qui interrogat ferre intellectum. Manifeſto autem quotupliciter dicitur, & ad quid ferens ponat; ridiculus videbitur interrogans eſſe, ſi non ad hoc ſermonem faciat.

3. Vtile etiam, & vt non falſa ratione decipiamur, ſed decipiamus potiùs: nam ſcientes quotupliciter dicitur, non allucinabimur, ſed ſciemus, ſi non ad idem ſermonem faciat is, qui interrogat; & ipſi interrogantes poterimus apparenti ratiocinatione fallere, niſi is, qui reſpondet agnoſcat, quotupliciter dicitur. Hoc non in omnibus ſemper poſſibile, ſed quando fuerint eorum, quæ multipliciter dicuntur alia quidem vera, alia autem falſa.„

Subdit Ariſt. "Eſt autem propriè non conueniens modus hic dialecticæ. Quare omnino vitāda dialecticis huiuſmodi ad nomen diſputatio, niſi quis aliter non poſſit de propoſito diſſerere„ hæc Ariſtot.

Quo monitore, diſputatio debet fieri ad rem ſignificatā, nō ad nomen; nam diſputatio ad nomen eſt omnino aliena à dialectico & propria ſoſphiſtico, vt ibi Sueſſanus aduertit. In quo Ariſt. documento aliquid eſt recipiendum homini Chriſtiano, & ſtudioſo; ſcilicet *ne fallamur*; & ad hoc vtilis eſt diſtinctio vocis multiplicis. Non eſt recipiendum dictum, *vt nos fallamus*: non enim amator veritatis debet, aut vult fallere, ſiue quærere ſibi ea, per quæ poſsit fallere; ſed ſummopere cauere debet, ne fallat vel fallatur.

Bal. Sub hac regula Ariſtot. quid colligis?

Matt. Primo dico vocem *creatio* eſſe multiplicem, quod in declaratione de fide S. Dionyſius Papa cum Concilio Romano docuit, & S. Athanaſius in epiſt. de decretis Nicenæ Synodis retulit. Ad hæc Licetus in cap.5.6.7.8.9.10. multas ſignificationes (nec tamen omnes, quibus vtitur) numerat: non ergo nunc ſincerè agit, non diſtinguens nomen

mul-

multiplex,vt dilucidè clareſcat; quid dicat, vel non dicat. Item ne argueret ad nomen, ſed ad rem: tùm ne falleret, vel falleretur: ſic enim non diſtinguens proceſſit,vt lectorem falleret,& in me arguendo latere poſſet: & tertiò duo oppoſita ſtatim poneret, nam in titulo libri ponit creationem ad intra, in prima pagina lin.18. ponit creationem ad extra, vt primariò intentam.

Bal. Iſta placidè diſcernemus: nam ita dicere eſt vti accuſationibus, non argumentationibus.

Matt. Argumentatio ſit. Quilibet Theologus,vel Philoſophus tenetur à principio vocem æquiuocã diſtinguere, & ſignificatũ ſibi propoſitũ determinare.Licetus *creationis* vocem æquiuocam(ex probatis)propoſuit, neque diſtinxit ſignficata, neque ſignificatum propoſitum determinauit. Ergo contra regulam egit; neque optauit fines propoſitos obſeruatori ipſius regulæ, ſed propoſitos tranſgreſſori.

Bal. Et ſi non diſtinxerit à principio *Termaximus*, diſtinguet opportunè, ne queraris.

Matth. Interim multiplici abutitur,ad nomen diſputat, lectoris animum incertum relinquit.

Secundò dico, in epiſtola ad te data collegiſſe me hæc quatuor ſignificata vocabuli *creatiō*.

1. Creare eſt producere ſiue ex aliquo, ſiue ex nihilo.
2. Producere ex aliquo.
3. Facere ſiue ex aliquo, ſiue ex nihilo.
4. Facere ex nihilo.

Nunc ex illis duo recipio cum D.Thoma p.part.q.45.art.1.Vnum enim ſignificatum eſt, "creare eſt ex eo, quod eſt,ordinando aliquid conſtituere: vel prout ego mutaui pro voce *conſtituere* actiuè,eſt producere ex eo,quod eſt: quod autem eſt,eſt aliquid. Alterum ſignificatum creare eſt facere aliquid ex nihilo. Primum ſignificatum. D. Thomas prompſit ex D.Auguſtino in lib.1.contra aduerſariũ legis & prophetarũ cap.23.& in lib.de Moribus Manichæorum cap.7. D.Auguſtinus prompſit ex diuina Scriptura, in qua frequenter, & expreſsè legimus creationem ex aliquo;vt Sapientiæ 11.Eccl.17.& 33.& 38.& alibi. Secundũ ſignificatũ ſumit D.Thomas à Strabo in gloſa ordinaria ſuper caput 1.Geneſis. Citauit Beatus Doctor gloſam extra ſcripturam,quia nõ habebat textum Scripturæ expreſſum, quem citaret pro creatione ex nihilo. S.Bonauentura quoque in 2. vtroque vtitur ſignificato:nam in prologo ſecũdi cũ ſcriptura creationem ex aliquo adhibet:in q.6.d.1.& ſępius in diſputatione Scholaſtica,creationẽ ex nihilo.Has duas ſignificationes determinatas poſuit D.Tho.& ſufficere credidit. Has ego poſui in lib.defenſionis,& tu in hoc libro ad pag.8. retuliſti. Hæc duo ſignificata mihi ſufficiunt in præſentia.

Sufficiunt ad probandum præter creationem ex nihilo à Scholaſticis vſitatã,dari creationem ex aliquo vſitatam in ſcripturis. Quia verò

aliquid

aliquid & *nihil* ſunt duo contradictoria, ex quibus non poteſt conſtitui vna ratio ſubſtantiæ: propterea vox *creatio* æquiuocè dicitur de creatione in primo, & ſecundo Significato: quemadmodum & Doctor Angelicus indicauit, loco laudato. Sufficiunt tamen ad declarandum, quo pacto Filius Dei dicatur *creatus*, vel non *creatus*; dicitur enim creatus creatione, quæ eſt productio ex aliquo: de fide enim eſt, quòd Filius ſit productus de ſubſtantia Patris (quæ eſt aliquid) vt de principio præſuppoſito in Patre, & interno in filio. creatus non dicitur, non eſt, creatione, quæ eſt factio ex nihilo: quia Filius Dei nec ratione diuinæ naturæ, nec ratione diuinæ perſonæ eſt factus, ſiue ex nihilo, ſiue ex aliquo; quare neque eſt creatus in hac ſecunda ſignificatione.

Bald. Conſpicio duas ſignificationes creationis, quas nominare poſſimus vel ex genere, vt ſint creatio productio; & creatio factio; vel ex differentia creatio ex aliquo, & creatio ex nihilo. Conſpicio fontes vnde prodeunt, ſcilicet diuinam Scripturam, & ſcholaſticam facultatem. Conſpicio applicationem, nam applicas ad Filium Dei creationem, quæ eſt productio ex aliquo, non quæ eſt factio ex nihilo.

Matth. Verè conſpicis. Sed ſimul conſpice in libro Liceti nunquam fieri argumentationem ad rem, ſed ad nomen; ſiuè quantum ad ſignificationem creationis, ſiuè quantum ad applicationem creationis ad Verbum Dei.

Obſeruatio Secunda.

Bal. NEſcio, an hæc duo ſignificata creationis contineant definitionem creationis aſſignatã à Termaximo in hac prima pagina.

Matth. Definitiones dicere debueras Liceti, non definitionem. Abſurdum eſt Ariſtoteli in lib. 6. Top. loco 18. eiuſdem rei dari duas definitiones, ſed Liceto licent omnia.

Primo ſic definit creationem pag. prima lin. 9. "Creatio nihil eſt aliud, quàm productio creaturarum à Creatore Deo."

Secundo ſic lin. 16. Creatio "Generatim ſit productio rerum in eſſe ſimpliciter, adeoque ipſius eſſe dependentis ab independente, ac operatio Dei tranſiens ad extra. proptereaque communis & indiuiſa tribus perſonis diuinis." In quibus definitionibus illud ommiſſum eſt, de quo præcipua controuerſia viget, videlicet de differentia, an creatio ſit ex aliquo, an ex nihilo.

Si prima definitio extenditur ad Filium Dei: malè Filius dicetur *creatura*. nam Patres concedentes Filium dici ſapientiam creatam, non concedunt dici creaturam, quos citaui in epiſtola ad Baldum pag. 79. Quibus addo in ſecũdo Tomo, Cõcilium Toletanum 3. car. 862.

colum-

columna 1. Canone 5. in hæc verba. "Quicun que Filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,& Spiritum ſanctum eſſe Patre minorem aſſeruerit,& gradibus ſeparauerit,creaturamque eſſe dixerit, anathema ſit.„

Si ſecunda definitio Liceticа filio applicatur: tres ex ea erumpunt hæreſes, quòd eſſe filij *ſit dependens*, quod ſit *ad extra*, quod ſit *à tribus*. Quanquam etiam illa conſequentia Liceti ſit ſuſpecta: Eſt productio in eſſe ſimpliciter, ergo in eſſe dependenti; hanc enim vim conſequentiæ habet particula illatiua, *atque adeò*. Suſpecta eſt conſequentia,inquam, quoniam Filius Dei à Patre, Spiritus ſanctus à Patre & Filio producuntur in eſſe ſimpliciter,non tamen in eſſe dependenti.

Si autem neutra definitio aptetur Filio Dei: hæc tractatio de creatione non eſt ad propoſitum primarium iſtius epiſtolæ. In titulo libri creatio attribuitur Filiò; nunc tractatur ad longum de creatione paſſiua, quæ non compètit Filio.

Bal. Ad id,quod obieceras, in his definitionibus compactis de creatione deeſſe differentiam *ex aliquo*, & *ex nihilo* ſupplebit tertia definitio creationis, quam in pag.*6*. compinxit Termaximus. "Creatio, inquit, proprijſſimè dicta,eſt productio rerum à ſolo Deo ſummo peracta ſine interuentu materiæ, per verbum ſuæ iuſſionis ore prolatum.

Matth. Hæc tertia definitio, ſi Liceto credis,eſt de creatione proprijſſimè dicta. Sed ſecunda definitio eſt de creatione generatim ſumpta, vt in 1.pag. legere poteris. Nec tamen idem ſunt *ex nihilo*, & ſine *materia interuentu:* quoniam Filius Dei non eſt productus *ex nihilo*, & tamen eſt productus ſine interuentu materiæ. Id quod & Scotus in 1.d.5.q.2. & Caetanus in 1.par.q.41. art.3. obſeruauere,vt in epiſtola dixi. Sed Licetus non vult diſcere à prioribus Theologis, vult docere. Cętera quoad hanc definitionem tertiam, infra obſeruabimus circa paginam *6*.

Obſeruatio Tertia.

Bal. QVando conquieſcis, proſequar legendo in prima pag. à lin.11. "Sed in Creatore ternarius diuinatum perſonarum numerus effulget, in creaturis autem quaternarius ordinum: ex quibus duobus conflatur ſeptenarius numerorum myſterioſiſſimus.„

Matt. In his tria obſeruo. Primum,quia Licetus numerat,& nihil numeratur:Sed inde perſonas,hinc ordines,quibus nihil idem numeratur.

Secundum, quòd perſonas diuinas connumerat cum creaturis: quaſi Creator, & creatura ſint duo miſcibilia, conflatilia, è quibus conflatus eſt ſeptenarius.

Tertium,

Tertium, quòd ſeptenarium aſſerit eſse numerorum myſterioſiſſimum; Sit hæc obſeruatio circa primum ex tribus. Quæ enim connumerantur, debent in aliquo vno conuenire, vt in vniuoco, vel analogo. Aequiuoca enim numerantur, quoad dici, non quoad eſse, aſsertore Beato Bonauentura 1.d.14.q.2.num.15. Cum enim æquiuoca non habeāt vnam rationem quoad eſse, nec poſsūt numerari quoad eſse.

Sanctus Auguſtinus in 7. de Trinit. cap. 4. amplè oſtendit, quæ numerantur, debere in vna ratione formali conuenire: ita vt interrogati, quid *tres*, vel quid *quatuor?* reſpondere debeamus vnam rationem communem numeratis. "Cum dicimus, inquit, equum tuum non eſse eum, qui meus eſt, & tertium alicuius alterius, nec meum, nec tuum: Fatemur tres *equos* eſse, & interrogati quid *tres?* reſponderemus tres *equos* nomine ſpeciali: generali autem tria *animalia*. Item cum dicimus bouem non eſse equum, canem verò, nec bouem eſse, nec equum; tria quædam dicimus; & percontantibus *quid tria?* non iam ſpeciali nomine dicimus tres *equos*, aut tres *boues*, aut tres *canes*, quia non eadem ſpecie continentur, ſed generali tria *animalia*; ſiue ſuperiori genere tres *ſubſtantias*, vel tres *creaturas*, vel tres *naturas, &c.* Sic, quoniam Pater, Filius, Spiritus ſanctus ſunt tres, *qui* teſtimonium dant in cælo. quærentibus quid *tres?* reſpondemus tres perſonas: Tunc ad rem. ſi tres perſonæ ſunt, & quatuor ordines: non poſsumus nomine ſpeciali dicere *ſeptem perſonas*, nec *ſeptem ordines*. At ex Liceto ſunt ſeptem. Sciſcitanti mihi quid *ſeptem?* Reſpondeat vno nomine, quid commune numeretur in hoc ſuo conflato ſeptenario?

Tametſi neque ſit conſtans: nunc etenim numerat quatuor ordines; inferius numerabit quatuor ſubſtantias, ſiue creaturas, Angelum, Animam rationalem, Mundum cæleſtem, Mundum elementarem. Quæ ſunt quatuor ſubſtantiæ, atque ideò quatuor entitates abſolutæ, non quatuor ordines.

Si numerat perſonas; in Angelis ſunt penè innumerabiles perſonæ, non vna. Verùm anima rationalis, Mundus cęleſtis, Mundus ſubcęleſtis non ſunt perſonæ. Igitur hìc non ſunt quatuor perſonæ numeratæ. Si numeret naturas; in Deo non ſunt tres naturæ, ſed vna: at in cęleſti Mundo, & elementari ſunt naturæ quam plurimæ, vehementer excedentes ſeptenarium.

Quid denique *ſeptem?* non ſeptem creatores, quia neque tres creatores: etenim Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnus creator ad extra, & vnum principium omnium cauſatorum, non tres creatores, non tria principia: Neque ſeptem ſunt creaturæ, quia tres perſonæ diuinæ, non ſunt creaturæ. Numerat ergo ſeptem, & nihil numerat.

Bal. Imò numerat ſeptem vnitates; tres perſonarum diuinarum, quatuor rerum à Deo factarum.

Matth. Vnitas entitatem conſequitur. Vnum enim, et ens, ſe ſe conſequuntur

quuntur, vt colligimus ex 4.Met.3.& 10. Met.8. Nunc autem Scotus Doctor ſubtilis, qui plus alijs philoſophis, atque Theologis pro vniuocatione entis pugnat, in quolibeto 19.K. docet entitatem æquiuocè dici de entitate quiditatiua, & entitate hypoſtatica. Tres verò perſonæ diuinæ ſunt tres entitates hypoſtaticæ: Angelus, Animus, Cęlum, elementa ſunt entitates quiditatiuæ. Tunc arguo. Nullum æquiuocum eſt numerabile, quia non habet vnam rationem connumerabilem: imò neque comparabilem, per 5.phiſ.24. Sed entitas quiditatiua, & entitas hypoſtatica ſunt quid æquiuocum, habentes vnum nomen, non vnam rem, aut rationem: igitur entitas quiditatiua, & entitas hypoſtatica non numerantur in ſeptenario Liceti, ſed nihil.

Bal. Numerabit res, non entitates.

Matth. Ridiculum, quaſi ens, & res non ſint ſynonyma.

Quarta Obſeruatio.

Bal. QVid, obſecro, vetat, ne Creator, & creatura connumerentur?

Matt. Ratio dicta eſt, quia æquiuocum non poteſt numerari; ſi tamen inueniretur aliqua ratio vniuoca, vel analoga, illa facilius videretur connumerari poſſe in Deo, & in creatura; non quidem numero de genere quanti, ſed numero traſcendenti de genere entis. Sed tunc quoque numerus eſſet diſtrahendus à ratione numeri. Conuertamur ad Patres Eccleſiæ. Sanctus Athanaſius in epiſt. de decretis Nicenæ Synodi pag. 266. proponit argumentum Arianorum ex libro inſcripto, *Paſtor*, ex quo ſic legebant. "Ante omnia crede, quòd vnus ſit Deus, qui omnia creauit, & abſoluit, atque fecit ex non ente vt eſſent omnia."

Aduertit Athanaſius librum *Paſtor* non eſſe canonicum. Deinde reſpondet dicens. "Sed id rurſus nihil ad filium ſpectat: loquitur enim liber de omnibus per filium creatis, à quibus ipſe alius, & diuerſus eſt. Non enim licet Creatorem cum rebus ab ipſo creatis ***connumerare***, niſi ſcilicet architectum eumdem cum ædificijs ab ipſo architectatis per delirium dicas."

Sanctus Baſilius car.367. contra Sabellium, & Arium ait. "Qui verò ſeparant à Patre, & Filio, & annumerant creaturæ ſpiritum; imperfectum faciunt baptiſmum, defectuoſamque fidei confeſſionem: neque enim filius manet, ſi ſpiritus ſubtrahatur: & rurſus ſi vna aliqua creatura adiuncta fuerit, tota creatura ſimul accedet ad Patris, & Filij cõnumerationem," quod Baſilius infert, vt incõueniens, Liceto licet vt cõueniens, videlicet creaturas cum Trinitate connumerare.

Sãctus Cyrillus Alexan. lib.1. in Io. cat.103. A. de filio ſcripſit "Si omnia per ipſum facta ſunt, non poteſt ille cum omnibus ſimul enumerari."

E Beatus

ita & thesauri cap. 2. car. 38 et sanctus Epiphanius col. 650 C.

Beatus Bonauentura in 1.d.24.q.1. ad 4. & 5. in oppoſitum num.8. 9. fundatè, ac dilucidè aſſerit, Deum non eſſe connumerabilem cum creatura: aſſerit iſtam eſſe falſam, *Deus & creatura ſunt duo* à parte rei. Sed tamen ſi à parte intellectus tantùm ponatur numerus inter Deum, & creaturas; inueniri oportet rationem aliquam connumerabilem.

Numerus quippe ex 1.d.19. q.vltima Sanct.Bonauenturæ "Eſt aggregatio multitudinis,in qua plus eſt in toto,quàm in ſingulis partium. Hæc autem aggregatio eſt ex his ſolùm, quæ habent vnitatem limitatam, quæ plus eſt cum alio, quàm per ſe ipſam." Deus autem non poteſt habere rationem partis, vel compartis reſpectu cauſatorum: non rationem potentiæ ad aliam compartem: non rationem ordinabilis, ſicut pars eſt ordinabilis ad totum: non rationem limitati,vel aucti à parte,vel exceſſi à toto. Quare ex Trinitate diuina,& ex cauſatis non conflatur numerus ſeptenarius,vt Licetus prætendit contra Patrum authoritates, & contra rationem. Quin & ad intra non ponitur in Deo numerus abſolutè, ſed cum particula *perſonarum* diſtrahente; multò minus numerabitur Trinitas, quæ ad intra eſt in Deo cum rebus extra Deum.

Adde his ſubtiliſſimas Doctoris ſubtilis rationes in 1.d.24.q.1. probantes non poſſe Deum connumerari cum creaturis.

Quinta Obſeruatio.

Bal. DIxeras ſeptenarium non eſſe myſterioſiſſimum, comparatis ternario,& ſeptenario.

Matt. Petrus Bongus in lib. de myſterijs numerorum multò plura de ternario, quàm de ſeptenario congerit myſteria. At S.Bonauentura in 1.d.2. q.4.num.22. latè docet, ternarium habere ex ſe primam perfectionem,& ſummam (ſic lego ex manu ſcripto Patauino in Bibliotheca ad Diui Antonij.) Prima perfectio eſt in ternario, quoniam primus numerus eſt, qui conſtat ex omnibus ſuis partibus,vnitate ſcilicet,& dualitate: ſenarius verò eſt primus perfectorum numerorum, quia conſtat ex omnibus ſuis partibus aliquotis, videlicet tribus, duobus,vno. Perfectio ſumma eſt in ternario, quia vnitas (quæ eſt principium,& completio omnis numeri) reflexa ſuper ſe ipſam, & quadratè, & cubicè; habet eum vnitate naturæ reali, trinitatem radicis, quadrati,cubi, & cętera illic, quæ Bongus, & Pythagoras pulcherrimè explicat in ternario.

Præterea, quantò magis numerus appropinquat ad perfectionem Dei repræſentandam, tantò magis eſt myſterioſus. Ternarius in vnitate ſuæ ſpecificæ eſſentiæ trinitatem vnitatum internarum continens, repræſentat Dei altiſſimum myſterium,vnam eſſentiam,& tres intra

illam perſonas, ſeptenarius non repræſentaret,niſi ſeptem perſonas, quod falſiſſimum eſt: non ergo eſt magis myſterioſus ſeptenarius.

Ad hæc. Si diuinæ Trinitati adiungas vnitatem aliquam creaturæ,non adiungis perfectionem ſimpliciter,ſed perfectionem in infinitum inferiorem, coniunctam cum imperfectione ſimpliciter. Quamobrem dum diuinæ Trinitati, in qua nulla eſt imperfectio, adiungitur quaternarius creaturarum;in ipſo ſeptenario includitur multiplex imperfectio. Quis autem crederet magis myſterioſum eſſe illum numerum, in quo multiplex imperfectio includitur, quàm ſit ille numerus, in quo nulla includitur imperfectio? Deinde ſi cum Doctore ſubtili quol.14. ex ternarijs in rebus cauſatis abſtrahas ternarium tranſcendentem communem ad ternarium in Deo, & ad ternarium in creaturis; iam ternarius permiſſiuè in aliquo ſuo inferiori eſt realiter, & eſſentialiter Deus, ſcilicet Trinitas perſonarum diuinarum. Septenarius non poteſt eſſe tantæ dignitatis, niſi ſeptem fingamus perſonas diuinas, quæ fictio eſt patentiſſima hæreſis.

Inſuper,ex numeris,alij ſunt inopes, alij opulenti, alij perfecti. Perfectus numerus eſt, qui conſtat ex omnibus partibus ſuis aliquotis. aliquotæ ſunt, quæ aliquoties ſumptæ reddunt ſuum totum. Sic ſenarius eſt perfectus, vt antea dixi cum B.Bon. Numerus deficiens, ſiue inops eſt, cuius partes aliquotæ ſunt minores toto: talis eſt ſeptenarius,qui ſola vnitate repetita conſtituitur.Numerus abundans, ſiue opulentus eſt, cuius partes aliquotæ ſuperant totum, vt numerus 24. eſt opulentus: partes enim eius aliquotæ ſunt 1.2.3.4.6.8.12. conſtituunt enim hæ partes numerum 36. In hac diſtinctione ſenarius numerus eſt perfectus,& inter perfectos primus: neque in perfectione cedit,niſi ternario, qui eſt primæ perfectionis, quoniam conſtat adæquatè ex omnibus ſuis partibus aliquotis, & non aliquotis. ſeptenarius verò eſt deficiens à perfectione,non perfectus: myſterioſus quidem, ſed non in ſummum. D. Aug. 4. de gen. ad lit. cap. 2

Obſeruatio Sexta.

Bal. PErgo legendo in pag.1.lin.15. "Porrò creationem à Deo ſolo ſub ratione trinitatis edi certiſſimum eſt.,,

Ad marginem citatur D.Thomas 1.p.q.46. B.O.

Matth. In eadem pag.1. lin.23. "quibus quatuor omnium creaturarum numerum contineri certiſſimè conſtat. attendis ne, vigilans Balde, quid *certiſſimum*, quid *certiſſimè*?

Bal. Equidem, nam Deus creat ſub ratione Trinitatis,& quatuor ſunt genera creaturarum vniuerſarum ſimpliciter, Angelus, Anima rationalis, Mundus cœleſtis, & elementaris.

Matth. Quando Licetus ponit ſimiles dictiones *certiſſimum*, *certiſſimè*

euidentiſſimum, euidentiſſimè: tunc ſub aſſeueratione propriæ authoritatis aliquid magnæ falſitatis occultat.

Bal. Certiſſimum, & euidentiſſimum eſt, me tibi non crediturum, niſi probes.

Matth. In hac prima citatione ad lin.15. tres certiſsimas falſitates ſub titulo *certiſſimi* contexit.

Prima falſitas eſt, & quidem turpis, quòd in prima pag. prima citatio à Liceto facta, ſit citatio falſa. Legi ego D.Th. in p.1.q.46. & legi totam quæſt. ab initio ad finem, ſed nihil tale reperi. Quam rem cum alteri Theologo indicaſſem, & ille ægerrimè crederet, primam citationem à viro doctiſſimo factam eſſe indoctè, & falsò factam; me præſente legit totam quæſt.46. citatam in 1.p. D.Thomæ viſurus, an ego, an Licetus falleret. Legit, & nihil reperit. Tu, ſi placet, tertius legito.

Bal. Piget: ſed duobus teſtibus credere par eſt. Interim falſa illa citatio fortè eſt error impreſſoris.

Matth. Fortè authoris, cuius erat ſaltem primum errorem emendare.

Bal. Sed quæ eſt ſecunda falſitas, quam hic incuſas?

Matth. Secunda falſitas eſt grauior. S.Thomas tenet, quòd Deus creat ſub ratione vnitatis, & Licetus illi attribuit contrarium, videlicet, quòd Deus creat ſub ratione Trinitatis. Etenim S.Thomas 1.p.q. 32.art.1. probat, non poſſe agnoſci myſterium Trinitatis per effectus. "Virtus autem, inquit, creatiua Dei eſt communis toti Trinitati; vnde pertinet ad vnitatem eſſentiæ, non ad diſtinctionem perſonarum. Per rationem igitur naturalem cognoſci poſſunt de Deo, quæ pertinent ad vnitatem eſſentiæ, non autem eà, quæ pertinent ad diſtinctionem perſonarum." Quare ſicut eſſentia vna eſt in tribus, ſic potentia creatiua eſt vna in tribus, ſic etiam creatio rerum effectarum eſt vna in tribus. Tres ergo perſonæ creant ſub ratione vnius eſſentiæ, & potentiæ; & ex conſequenti vnam indiuiſam habēt operationem. Tres perſonæ creant, vt ſunt vnus Deus, non autem Deus creat, vt eſt trinus, aut ſub ratione Trinitatis. Sic Argumentor. Virtus creatiua non pertinet ad diſtinctionem perſonarum; Trinitas præcisè pertinet ad diſtinctionem perſonarum: ergo trinitas non eſt virtus creatiua Dei. Sed ratio creandi, & virtus creatiua idem ſunt; non ergo Deus ſub ratione Trinitatis creat, ſed ſub ratione vnitatis eſſentiæ, potentiæ, operationis.

Conſentit Scotus in prima prologi F. "Proprietas, inquit, naturæ eius (Dei) eſt, quòd ſit communicabilis tribus; ſed effectus non oſtendunt iſtam proprietatem, quia non ſunt ab ipſo in quantum trinus."

Et in 1.d.3.q.9.M. ad primum. "Quælibet eſſentia creata, in quantum hæc eſſentia producta ſecundum talem ideam; non repręſentat Deū ſub rationi Trini, ſed ſub ratione vnius; quia non cauſatur, nec ideatur à Deo ſub ratione Trini, ſed ſub ratione vnius."

Rurſus

Rurſus B.Thomas 1.parte q.45.art.6.ſcribit. "Et ideò creare conuenit Deo ſecundum ſuum eſſe, quod eſt eius eſſentia, quæ eſt communis tribus perſonis, vnde creare non eſt proprium alicuius perſonæ, ſed commune toti Trinitati. „Videtur hæc ratio D. Thomæ eſſe demonſtratio propter quid; in qua eſt ſubiectum, *quod* creat, idque eſt tota Trinitas; in qua eſt prædicatum commune tribus, *non proprium alicui perſonæ*, vt eſt *creare* : in qua eſt ratio *ſecundum quam*, vel *ſub qua* creare ineſt ſubiecto: & eſt ipſum *eſſe* atque *eſſentia communis* tribus perſonis. Falſiſſimè igitur Licetus nomine D.Thomæ ſcribit, quòd Deus creat ſub ratione Trinitatis: cum è contrario D.Thomas doceat, quòd Deus, & Trinitas creat ſecundum rationem eſſentiæ communem.

Secundò, Trinitas non eſt communis vlli perſonæ diuinæ: Pater nanque non eſt Trinitas perſonarum, vel tres perſonæ, ſed vna ex tribus. Filius non eſt tres perſonæ, Spiritus ſanctus non eſt tres perſonæ. Tunc arguo. Ratio, ſecundum quam perſonæ creant, non eſt aliquod proprium alicuius perſonæ, ſed commune tribus perſonis iuxta S. Doctorem; ſed ratio Trinitatis non eſt ratio communis, vel propria tribus perſonis ſigillatim ſumptis, ſed eſt nomen quaſi collectiuum trium perſonarum ex Magiſtro ſententiarum 1.d.22. & B.Bonauentura ibi dubio 2. ergo Deus non creat ſub ratione Trinitatis.

Deindè conſidero tria poſſe aſſignari prædicata, primum *commune* tribus, ſecundum *proprium* vnius perſonæ, tertium *commune appropriatum* vni perſonæ. Poſtquam D.Thomas docuit, an commune eſſentiale ſit ratio, ſecundum quam Deus creat; docet, quomodo ipſum commune tribus approprietur, vt ſapientia Filio, voluntas Spiritui ſancto, concludens. "Et ſecundum hoc proceſſiones perſonarum ſunt rationes productionis creaturarum, in quantum includunt eſſentialia attributa, quæ ſunt ſcientia, & voluntas „Proceſſio non competit in Deo ad intra, niſi Filio, & Spiritui ſancto: nam Pater à nullo procedit. Proceſſiones ſunt rationes appropriandi principium commune creatiuum vt ſcientiam, & voluntatem. At proceſſiones non ſunt Trinitas, nec Pater: igitur ex D. Thoma in hoc loco *Deus* non creat ſub ratione Trinitatis, *Trinitas* non creat ſub ratione Trinitatis, neque *Trinitas* eſt ratio creandi. Sed duæ proceſſiones ſunt rationes appropriandi ſcientiam, & voluntatem; at appropriatio nihil facit ad cauſationem rerum, ſed iuuat intellectum noſtrum ad cognitionem perſonarum, & proceſſionum ad intra.

Tertia falſitas eſt, ponere propoſitionem erroneam in Fide catholica, & eam tribuere D.Thomæ. Etenim Deus creat ſub ratione vnitatis eſſentiæ, vt principij primi, & radicalis: ſub ratione vnitatis omnipotentiæ, vt principij proximi, & formalis. Sic Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, hoc eſt, Trinitas creat ſub

ratione

ratione vnius eſſentiæ, & vnius omnipotentiæ. Vnde S. Athanaſius in ſymbolo ait: Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus ſanctus, & tamen non tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens. Ergo Trinitas creat, vt vnus Deus, & ſub ratione vnius Dei. Licetus autem vt certiſſimum aſſerit, quòd Deus creat ſub ratione Trinitatis. Trinitas eſt tres perſonæ, Pater Filius, & Spiritus ſanctus: quare Deus ſub tribus rationibus realibus realiter diſtinctis creat. Quam rem ſi S. Thomas legeret, pro zelo fidei Catholicæ fortiſſimè impugnaret.

Imò ratio trinitatis nullatenus eſt ratio creandi aliquid ad extra. Scotus in quodlib. 14. volens oſtendere, non poſſe nos ex naturalibus cognoſcere trinitatem in diuinis per effectus, ſic ait "Quia non poteſt quis ſcire illud de cauſa per effectum demonſtratione *quia*: quo circumſcripto remanet in cauſa, quicquid eſt neceſſarium ad cauſandum. Sed circumſcripta per impoſſibile trinitate, haberetur quicquid neceſſarium eſt in Deo ad cauſandam creaturam: quia & principium formale cauſandi perfectum, & completum, & ſuppoſitum habens illud principium formale perfectum, vt patet in quadam quæſtione præhabita de hoc mota: videtur autem ad cauſationem ſufficere ſuppoſitum perfectum habens principium formale perfectum." (In Quol. 8.)

Idem docuit S. Bonauentura in 3. d. 5. q. 4. & ante ipſos Ricardus de S. Vict. in lib. 3. de trinitate cap. 16. dicens. "Si tantum eſſet vna perſona, adhuc eſſet in ea plenitudo potentiæ, & ſapientiæ." Quam rem Scotus in 2. d. 1. q. 1. art. 3. cum Ricardo comprobat. Ergo ratio Trinitatis nullo modo eſt ratio creandi: propterea quod nullum efficiens poteſt aliquid efficere ſine ratione efficiendi. Sed Deus, etiam ſublata Trinitate per impoſſibile, haberet plenitudinem ſapientiæ, & potentiæ, & quicquid eſt neceſſarium ad efficiendum: ergo Deus non efficit aliquid ſub ratione trinitatis.

Duas ergo partes tangam circa iſtam tertiam falſitatem. Vnam in obſeruatione, quòd Licetus in iſta ſua aſſertione ſeminat ſemina Iudaiſmi. Alteram obiter, quòd hæc aſſertio Liceti eſt error in fide: dum aliquam rationem ſpecialem creandi attribuit Trinitati; pro quo nunc legantur Bannes, & Molina in 1. parte q. 45. art. 6. & Scot. quol. 8. & in 2. d. 1. q. 1.

Bal. Si hæc duo præſtiteris, magnum quid feceris.

Matth. Licetus aufert à diuinis perſonis id, quod illis conuenit, videlicet eſſe principium, *quod* creat: tribuit id, quod illis non conuenit, nempe eſſe principium *quo*, ſcilicet eſſe rationem *qua*, vel *ſub qua* creatio elicitur à Deo. Et ex vtroque ſequitur, quòd tres perſonæ diuinæ Trinitatis non ſunt Deus, quæ eſt intentio Iudaiſmi, prout S. Cyrillus Alexand. lib. 9. in Ioannem cap. 33. car. 226. B. "Verum, inquit, quoniam multi Iudaicam potius, quàm Euangelicam doctrinam

ſequentes, ſufficere putant vnius Dei confeſſionem, atque cognitionem, & Trinitatis fidem, hac de cauſa negligunt. „

Bald. Non dubito, quin Iudæi ſolam Dei vnitatem recipiant, & perſonarum Trinitatem, Patrem, ſcilicet, Filium, & Spiritum ſanctum denegent, ac deteſtentur.

Matth. Arguo. Tres perſonæ ſunt ratio *qua*, vel *ſub qua* Deus poteſt creare, & creat ex Liceto.

Ergo tres perſonæ non creant, neque poſſunt creare.

Ergo tres perſonæ non ſunt Deus: quod conſequens eſt Iudaiſmus.

Bal. Secunda conſequentia probatione non eget. Quæcunque enim perſona non poteſt creare, & ex conſequenti non creat; illa non eſt Creator, non eſt Deus. Accipiatur primum conſequens tamquam minor ſic; tres perſonæ dictæ non creant, neque poſſunt creare. planè ſequitur concluſio iſta: tres perſonæ dictæ, ideſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus non ſunt Creator, non ſunt Deus; quæ concluſio Iudaica eſt procul dubio: ſed conſequentiam primam probare, hoc opus, hic labor eſt.

Matt. Aſcribo ex Doct. Subtili in quolibeto 8. propoſitionem hanc. "Ratio quippe agendi non propriè agit. „ Perquam propoſitionem probat, quòd Pater, & Filius non ſe habent, vt agens, & ratio agendi. Sed vt innoteſcat, quanta cum abſurditate, & improprietate diceretur, ratio creandi creat, ratio agendi agit, profero Ariſtotelem magiſtrum Liceti in 1. de Anima contextu 64. ſcribentem. "Dicere autem iraſci animam, ſimile eſt ac, ſi quis dicat eam texere, vel ædificare: melius enim fortaſſis eſt non dicere animam miſereri, aut addiſcere, aut cogitare; ſed hominem anima. „ Audis profectò quàm congruè dicamus iſtam, homo miſeretur & cogitat, nimirum tamquam principium, *quod* exercet actus iſtos: quàm abſurdè dicamus iſtam, *anima texit, vel ædificat:* nam anima eſt ratio *qua*, vel *ſub qua* homo miſeretur, vel cogitat. Tunc ſyllogizo. Nulla ratio agendi agit, aut poteſt agere, niſi magna cum abſurditate, & improprietate loquamur; ſed perſonæ tres, vel Trinitas eſt ratio creandi *qua*, vel *ſub qua* Deus creat: ergo tres perſonæ, vel Trinitas, non creant, nec poſſunt creare: non agunt, nec poſſunt agere. Cui enim non conuenit actus, niſi abſurdè, eidem neque potentia inerit, niſi abſurdè: igitur tres perſonæ, quæ ſunt ratio creandi, non creant, niſi abſurdè attribuamus illis actum creandi: quare neque potentia creandi illis tribui poteſt, niſi abſurdè. Ita probata ſit à me prima conſequentia, abs te ſecunda.

Bal. Siniſtrè iudicas de Termaximi Theologi, & Philoſophi mente, quaſi Iudaiſmum ferat.

Matth. Quemadmodum hi, qui ſeminant, ipſa ſemina humo contegunt, ne videantur: interea cum ſemina radicem fixerint, reijciunt tegumentum, ſeſeque qualia ſint, oſtendunt, noxia vel innoxia; ita cautus

tus.

ſes ſeminator Licetus ſemina Iudaiſmi proiecit in hanc epiſtolam (nec dubito, quin in alijs quoque ſuis operibus); ſed ea ſemina paulò ante, vel paulò poſt occultat ſub veritatibus catholicis, ne zizania appareant; quæ poſtquam menti lectorum inhæſerint, & ipſa ſe prodent; & ſeminator docebit, illa fuiſse artificiosè appoſita, vt impunè poſset docere opiniones, quas volebat. Nunc docet creationem edi à ſolo Deo ſub ratione Trinitatis: ſed occultat ſub ſacro nomine D.Thomæ; occultat ſub vocabulo catholico vnius operationis adextra. Sed tamen perſpiciunt Theologi ipſum principium *quo* agendi non eſse principium *quod*; at perſonæ tres ſunt ipſi Liceto principium *quo*, ſeu ratio ſub *qua* creandi: ergo tres perſonæ non ſunt principium *quod* creat: & clarè, Pater non creat, Filius non creat, Spiritus ſanctus non creat.

Bal. Suſtine. lege epiſtolam, in qua ponit creationem eſse operationem indiuiſam tribus perſonis diuinis. Cum ergo operatio ſit vna trium perſonarum, ratio creandi erit vna.

Matth. Ita tu quidem dicis. Sed Licetus dicit, Trinitatem eſse rationem creandi. Multiplicata per ſe ratione agendi *ſub qua*, multiplicatur & actio; ſed Trinitas Liceto eſt ratio creandi, *ſub* qua Deus creat: ratio Trinitatis importat tres perſonas realiter diſtinctas, atque tres proprietates perſonales realiter diſtinctas: ergo tres erunt creationes realiter diſtinctæ reſpectu cuiuſuis vnius creaturæ; quod eſt abſurdiſsimum.

Exeat nunc aliquis Iudaiſmus nouellus, & argumentetur. Si Chriſtiani ponunt, quòd Deus creat ſub ratione Trinitatis, hoc eſt ſub tribus rationibus realibus realiter diſtinctis: ergo in vnius creaturæ productione erunt tres creationes reales, & realiter diſtinctæ. Conſequentia eſt manifeſta, quia multiplicato per ſe priore, multiplicatur per ſe poſterius, vt acutè docuit Scotus in 4. d.10. q.2. H. variato priori eſsentialiter variari poſterius; conſequens eſt abſurdum prorſus & ſuperfluum: igitur abſurdum eſt antecedens illud, quod ponunt Chriſtiani, vt certiſsimum ex Liceto: videlicet, tres perſonas eſse rationes, *ſub quibus* Deus creat. Negato igitur hoc antecedente infertur, quòd in Deo nec ſunt tres perſonæ, nec Trinitas. Quam concluſionem Iudaiſmus priſcus, & nouellus intendit.

Bal. Dum iſta conſidero, animaduerto à patribus catholicis poni Spiritum ſanctum *eſſe* vnicum, & ſpirationem eius eſse vnicam; quia Pater & Filius ſpirant, vt ſunt vnum in vi ſpiratiua. Conſimiliter Pater, Filius, & Spiritus ſanctus creant vnica creatione, quia creant, vt ſunt vnum in vi creatiua: S.Auguſtino teſte. 5.Trinit. cap.14. "Fatendum eſt Patrem & Filium principium eſse Spiritus ſancti, nō duo principia. Sed ſicut Pater & Filius vnus Deus, & ad creaturam relatiuè vnus Creator & vnus Dominus; ſic relatiuè ad Spiritum ſanctum vnum principium. Ad creaturam verò Pater, & Filius, & Spiritus

ritus

ritus ſanctus vnum principium, ſicut vnus Creator, & vnus Dominus.»

Matt. Verè dixiſti, tres perſonas ſub ratione vnius principij creare,& eſſe vnum creatorem; ſed Licetus contrarium dicit, Deum creare ſub ratione Trinitatis, hoc eſt ſub ratione trium perſonarum realiter diſtinctarum. Concludit Catholicus cum Auguſtino, vnam creationem ſingularem à tribus elici ſub vnica *ratione* ſingulari: ſed Licetus concludit vnicam creationem indiuiſam tribus communem ſub triplici ratione. Quia tamen vnum eſt indiuiſum in ſe, per tradita in 5. Met.11. & 10. Met.2. ideò diſtinguet vnitatem *eſſe* vel *collectiuam*, ſicut Apoſtoli ſunt vnus chorus, ſicut homines ſunt vna gens, ſicut faſcis eſt vnus; vel *ſimpliciter* vt vnitatem numericam, ſicut punctum,vel Sortes. Quando igitur manifeſtabit fructum ſeminati Iudaiſmi, ſubterfugiet Licetus apparentem contradictionem, dicens. Qualis eſt vnitas Trinitatis, vt rationis creandi, talis eſt vnitas creationis æditę ſub tali ratione creatiua. Sed vnitas Trinitatis eſt vnio, & indiuiſio collectiua, ſicut certiſſimum eſt Chriſtianis: non autem eſt vnitas ſimpliciter numerica. Similiter vnitas,& indiuiſio creationis eſt vnitas collectiua trium creationum, non autem vnitas ſimpliciter numerica.

Bal. Ratio hæc probandi pro Iudæis,& reſpondendi pro Termaximo eſt ſatis apparens.

Matt. Vtinam nullos hactenus deceperit. Porro vt alio quoque modo appareat ratio pro Iudaiſmo ex illo aſſerto Liceti, ſupponamus, quòd verum eſt iuxta fidem catholicam, in diuinis non eſſe Trinitatem ſecundum eſſentialia communia tribus, ſed præcisè ſecundùm notionalia propria perſonarum. Iſtud ſuppoſitum conſtat ex cap. *Firmiter* extra de Summa Trinitate & fid.cathol. «Hæc Sancta Trinitas ſecundum communem eſſentiam indiuidua, & ſecundum proprietates perſonales diſcreta.»

Ex Concilio Toletano 11. & adeſt in 3.tom. concil. car.217. colum.2. «Hæc ergo ſancta Trinitas, quæ vnus, & verus Deus eſt, nec recedit à numero, nec capitur numero: in relatione enim perſonarum numerus cernitur, in diuinitatis ſubſtantia, quid enumeratum ſit non inuenitur: ergo hoc ſolo numerum inſinuant, quod ad inuicem ſunt: & in hoc numero carent, quod in ſe ſunt». Igitur numerus Trinitatis cernitur in proprietatibus perſonalibus, & perſonis. Proprietates perſonales ſunt *generare, generari, ſpirari*; quæ proprietates ſunt incommunicabiles, *vt quo* per ſe primò. Perſonæ ſunt Pater, Filius, Spiritus ſanctus: quæ ſunt incommunicabiles *vt quo* per ſe, non primò.

Quam ob rem ratio, *ſub qua* Deus creat, ſcilicet Trinitas, non eſt communis Patri: quia Patri non communicatur *vt quo* filiatio, vel filius, ſpiratio, vel ſpiritus. Tunc argumentor.

Illa perſona, quæ non habet in ſe formaliter rationem formalem, *ſub qua* Deus creat: illa non creat,neque poteſt creare. Quod enim non habet rationem agendi, non agit, nec poteſt agere: ſicut aqua nón habens in ſe rationem calefaciendi,non calefacit: ignis non habens in ſe formaliter rationem frigefaciendi,non frigefacit. Nunc autem Pater æternus non habet in ſe formaliter filiationem,aut filium,ſpirationem, aut ſpiritum: quæ ſunt rationes, ſub quibus Deus creat. Igitur Pater æternus non creat, nec poteſt creare. Eadem ratio eſt de Filio, qui non habet in ſe formaliter ipſum generare,vel Patrem; ipſum ſpirari, vel Spiritum. Eadem ratio eſt de Spiritu ſancto, qui non habet in ſe formaliter generare, vel Patrem; generari, vel Filium; ergo nulla perſona diuina vel creat, vel creare poteſt; quare nulla perſona Trinitatis eſt Deus, & ecce concluſus Iudaiſmus propter illam Liceti aſſertionem.

Bal. Hæc ratio videtur planè efficax.

Matt. Efficax vtique ad concludendum Iudaiſmum. In nulla perſona eſt ratio Trinitatis, quia vna perſona non eſt tres perſonæ,nec Trinitas perſonarum; ſed ratio Trinitatis eſt ratio, *ſubqua* Deus creat: ergo in nulla perſona diuina eſt ratio, *ſubqua* Deus creat. Sed quæ perſona non habet rationem creandi,non creat,nec poteſt creare: ergo nulla perſona diuina poteſt creare, ergo nulla perſona diuina eſt Deus.

Bal. Breuiùs dictum, ſed idem dictum.

Matth. Si Trinitas eſt ratio creandi *qua*, vel *ſubqua*: ſequetur,quòd Pater non eſt omnipotens, Filius non eſt omnipotens, Spiritus ſanctus non eſt omnipotens: & iterum reſtat,quod nulla ex his perſonis eſt Deus.

Bal. Negatur conſequentia.

Matth. Probatur. Ratio faciendi res adextra eſt ipſa omnipotentia, vt in ſymbolo Niceno, *Omnipotentem factorem viſibilium omnium & inuiſibilium*. Omnipotentia factiua eſt potẽtia creatiua,vel eam in ſe continet quaſi totum vniuerſalè partem. Sed Trinitas per Licetum eſt ipſi Deo ratio creandi, ergo Trinitas eſt omnipotentia factiua. Pater autem non eſt Trinitas, ergo Pater non eſt omnipotentia, vel potiùs in concreto Pater nón eſt omnipotens. In quocumque enim ſuppoſito non eſt omnipotentia, ipſum non eſt omnipotens, ſed in Patre, in Filio, in Spiritu ſancto non eſt omnipotentia,quia nec Trinitas: ergo Pater non eſt omnipotens, Filius non eſt omnipotens, Spiritus ſanctus non eſt omnipotens.

Bal. Multis modis ex illa propoſitione Liceti concluditur negatio Trinitatis in Deo.

Matt. Omne ſuppoſitum eſt principium *quod* agit: nam actiones ſunt ſuppoſitorum,vel eorum,quæ ſe habent vt ſuppoſita. Vnde & ipſa ſuppoſita vltimò denominantur ab actione. Qua propoſitione

Ioannes

Ioannes de Turrecremata vſus eſt pro Latinis in Concilio Florentino. Sed neque à Græcis illa propoſitio fuit negata, & eſt inter Theologos protrita. Verùm per illam propoſitionem Liceti tria ſuppoſita diuina non habent actionem creandi, neque vllum ipſorum dici debet creans: etenim tria ſuppoſita, ſeu Trinitas eſt principium *quo*, ſeu ratio *ſubqua* Deus creat. Cum igitur ſuppoſitum ſit *quo* per Licetum, non poteſt eſſe *quod*: & in idem incidimus, quòd nullum ſuppoſitum diuinum creat, nullum eſt Deus iuxta optata Iudaiſmi.

Bal. Satis ne dixiſti.

Matth. Multæ veritates Catholicæ applicatæ ad illam Liceti concludunt Iudaiſmum. Sic etenim in ſyllogiſmo ad impoſſibile proceditur: ex vna propoſitione manifeſtè vera, & ex poſitione aduerſarij infertur concluſio manifeſtè falſa: vt quia diſplicent concluſiones falſæ, diſpliceant poſitiones aduerſarij. Ita Sanctus Auguſtinus in 2. de doctrina Chriſtiana cap. 31. "Sunt enim veræ connexiones ratiocinationis, falſas habentes ſententias, quæ conſequuntur errorem illius, cum quo agitur. Quæ tamen ad hoc inferuntur à bono, & docto homine, vt in his erubeſcens ille, cuius errorem conſequuntur, eumdem relinquat errorem.„ Sed Licetus non relinquet errorem, neque faciem habet vt erubeſcat, neque, me doctum, vel bonum hominem appellabo, ſed Chriſtianum. At inter Chriſtianos hæc propoſitio eſt vera, Ratio creandi eſt communis tribus perſonis, Patri, Filio, Spiritui ſancto. Iunge poſitionem Liceti. Sed Trinitas collectiuè accepta pro tribus perſonis non eſt communis Patri, vel Filio, vel Spiritui ſancto; ſed & Trinitas pro ſingulis perſonis non eſt communicabilis, perſona quippe eſt naturæ intellectualis incommunicabilis exiſtentia, ſecundum Ricardum de Sancto Victore communiter acceptum: igitur Trinitas non eſt ratio creandi, ſicut ponitur à Chriſtianis ex aſſerto Liceti. Hinc ſequitur argumentum pro Iudæis, nam ſi Trinitas debeat poni in Deo, maximè ponenda eſt ſicut ponitur à Chriſtianis: etenim neque Iudæi, neque gentiles ponunt Trinitatem perſonarum in Deo, ſed ſoli Chriſtiani, qui ponunt eam vt rationem creandi communicabilem tribus. Sed Trinitas ſeu collectim, ſeu ſeorſim non eſt communicabilis: ergo Trinitas non eſt ponenda in Deo, ſicut ponitur à Chriſtianis. Igitur nullo modo.

Bal. Plenus ſum; Vis ne ad aliam obſeruationem tranſeamus?

Matth. Duobus modis poteſt intelligi Trinitas eſſe ratio creandi, *ſubqua* ipſi Deo. Primus eſt, vt ſingula quæque perſona habeat aliquam ſpecialem rationem creandi, quam rationem alia perſona non habet: ſed ex tribus perſonis ſimul collectis, quaſi cauſis partialibus, colligatur triplex vis creatiua in vnum. Sicut in producenda prole ſolus mas vel ſola fœmina non ſufficiunt, ſed ſimul coniunctim ſufficiunt. Hunc ſenſum directè impugnat Scotus in 2. d. 1. q. 1. & multò clariùs in quolib. 8. atque in hoc ſenſu Bannes, & Molina ſuperius

relati in 1.p.q.45. art.6. cenſent iſtam ſententiam eſſe errorem in fide. Secundus eſt, vt nulla perſona diuina per ſe ſe virtutem creandi, ſeu rationem creandi habeat, ſed tota Trinitas collectim, quemadmodum nullus Apoſtolorum eſt duodecim, ſed collectio Apoſtolorum continet duodecim. Sic tota Res publica deliberat, ac decernit de bonis publicis, ſed nullus priuatus ciuis hoc poteſt. Quo dato nulla perſona diuina erit creator. Sed vtrouis modo dicas argumentabor ſic. Ratio ſeu potentia creandi dicit perfectionem ſimpliciter; ſed in nulla vna perſona ſola, vel duabus eſt tota ratio creandi primo, vel ſecundo modo: ergo aliqua perfectio ſimpliciter eſt in tribus collectis, quæ non eſt in vna, vel duabus perſonis, & ex conſequenti maior perfectio, & bonitas eſt in tribus, quàm in duabus, quàm in vna perſona. Concluſio eſt abſurdiſſima, & contra æqualitatem perſonarum diuinarum. Quam concluſionem Magiſter Sententiarum 1.d.19.& 20. reprobat cum omnibus Theologis ſub ducatu Sancti Auguſtini in 8. de Trinit. cap.2.

Friſeſmo.

Bal. Verum mihi videtur, quòd neque perſona ſingula, neque tres ſimul creant ſub ratione Trinitatis. Neque idem Deus creat ſub ratione Trinitatis. Vox catholica eſt reduplicando, Deus creat vt vnus, non vt trinus; at particula reduplicatiua fertur ad rationem formalem termini reduplicati, vel ſpecificati: Deus ergo vt vnus creat, & ſub ratione vnitatis, non ſub ratione Trinitatis.

Matth. Itaque in ipſa prima pag. & in prima citatione ſua Licetus tres commiſit errores.

Primus eſt, falsò citare D.Thomam 1.p.q.46. in qua nihil ad rem.

Secundus, doctrinam Diuo Thomæ contrariam eidem ſancto tribuere.

Tertius, in Theologia ſerere propoſitionem falſam, & radicem Iudaiſmi.

Obſeruatio Septima.

Licetus in pag.1.lin.19. "Creaturæ verò ſimpliciter vniuerſæ, quaternario numero comprehenduntur ab inuicem ordine, ſiue genere diſtinctæ: quarum duæ ſunt incorporeæ, Angelus, & Anima rationalis: totidem corporeæ, Mundus cęleſtis, & elementaris; quibus quatuor omnium creaturarum numerum contineri certiſſimè conſtat."

Bal. Legi. Cauè à vocabulo *certiſſimè*, ſi tua obſeruatio vera eſt.

Matth. Veriſſima, ſiue errorem à Liceto aſſertum, ſiue cauſam erroris lucubres.

Bal. Quis error? Tu ne audes errorem notare in homine defęcatiſſimo ab erroribus?

Matth. Cicero in 1. de offic. docet. "Prætetire aliquid maximum vitium

in

in diuidendo eſt. „Vitium vtique, nam bona diuiſio nihil ſuperfluum, nihil diminutum habere debet. Licetus diuidendo creaturas ſimpliciter vniuerſas, *hominem* præteriuit. Creaturæ incorporeæ ſunt duæ, angelus, & anima rationalis; ſed homo non eſt creatura pura incorporea, quare nec angelus, nec anima eſt. Creaturæ corporeæ ſunt duæ, mundus cęleſtis, & mundus elementaris. Homo verò non eſt creatura merè corporea, ergo nec eſt mundus cęleſtis nec mundus elementaris; homo enim conſtat ex parte incorporea, ideſt ex anima rationali, & ex parte corporea, ideſt ex corpore humano: igitur homo excluſus eſt ex numero vniuerſarum creaturarum. Ex aduerſo tamen nulla res à Deo facta dicitur creata, vel creatura frequentiùs, quàm homo. Nimirum vt homo maximè cognoſcat diuinum beneficium creationis, totumque ſe Deo deuoueat, atque ſummum benefactorem ſuum gratus adoret. Imò Sanctus Gregorius hominem, homilia 29. in Euang. notat appellari à Deo, *omnem creaturam* in illud Marci 16. *prædicate Euangelium omni creaturæ*. Sed ſi à Deo homo *omnis creatura* cenſetur, à Liceto pro nulla creatura habetur.

Bal. Sed quid in cauſa eſt hominem prætermittendi?

Matth. Amor propriæ inuentionis, & neglectus doctrinæ Patrum, atque Conciliorũ. Profectò D. Thomas quæſt. 75. primæ partis ſic inchoat. "Poſt conſiderationem creaturæ ſpiritualis, & corporalis, conſiderandum eſt de homine, qui ex ſpirituali, & corporali ſubſtantia componitur.„ Sanctus Bonauentura quoque in 2. d. 1. q. 8. vniuerſitatem creaturarum in tres partitur creaturas, ſpiritualem, corporalem, & compoſitam ex his. Eamdem diuiſionem attulit in Breuiloquio Theologico parte 2. cap. 1. Eandem diuiſionem exhibet Sanctus Ioannes Damaſcenus libro 2. de fide cap. 2. Sanctus Auguſtinus to. 9. in Soliloquijs cap. 32. eiſdemque verbis Auguſtini, concilium Lateranenſe ſub Innocentio 3. extra de Summa Trinitate, & fid. catholic. cap. *Firmiter* ait. "Qui ſua omnipotenti virtute, ſimul, ab initio temporis, vtranque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam: ac deinde humanam, quaſi communem, ex ſpiritu & corpore conſtitutam. „Tria diuiſionis membra concilium ponit: quatuor Licetus concilio ſapientior. Puræ creaturæ ſunt angelus, & mundus: communis creatura eſt homo, qui particeps eſt ſpiritus, & corporis mundi. Anima non ponitur cum angelo, ſed particeps angelicæ ſpiritualitatis. Corpus humanum non eſt mundus, ſed particeps mundanæ corporeitatis. qua in re bifariam concilium arguitur.

Primò, quòd cum angelo non connumerauerit animam rationalem.

Secũdò, quòd hominẽ inter creaturas ſimpliciter vniuerſas numerauerit.

Bal. Noluit Licetus Conciliũ, & Patres ſequi in diuidendo: quoniam pro quaternario deſiderato, quinarius creaturarũ numerus eſſet obortus.

Matth.

Matth. Ita, propter propriam inuentionem receſſit ab Eccleſiæ traditione, receſſit à diuina Scriptura, quæ hominem creberrimè creaturam vocat.

Bal. Oportebat ſanè ad ſeptenarium conſtruendum quatuor creaturarum genera, tres rationes creandi in Deo ponere.

Matth. Sic eſt. Omiſit vnitatem eſſentiæ ex parte Creatoris, ſimulque prætermiſit veram vnicam rationem creandi eſsentialem, communem tribus. Statuitque tres rationes creandi, & ex conſequenti tres creatores. Omiſsa eſt in creaturis quædam creatura principalis nempe homo: qui ſi non eſt dignitate ſuperior Angelo intenſiuè: extenſiuè eſt ſuperior; in homine namque omnes creaturarum gradus continentur. Sic Licetus adiungit, diminuit ea, quæ numeranda ſunt, vel non ſunt, vt propriæ inuentioni deſeruiat. Audi Ariſt. in 2. de cęlo 75. de Pythagoreis. "Non ad apparentia rationes, & cauſas quærentes, ſed ad quaſdam opiniones, & rationes ſuas apparentia attrahentes, & tentantes adornare. „Ita Licetus & Creatorem & creaturas ad ſuum trahit arbitrium. A Creatore vnam rationem eſsentialem creandi aufert, & tres rationes creandi intrudit; à creaturis aufert vnum diuiſionis membrum, & duo adiungit, vt ſuum ſeptenarium adornet, & quæ apparent ex ſcriptura, & Patribus, ad ſuam opinionem trahat.

Obſeruatio Octaua.

Bal. IN pag. 1. lin. 25. Termaximus meus ad ſuum ſeptenarium conſtruendum ex Iſaia Propheta teſtimonium profert, promptum è capituli 45. verſ. 5. Ego Dominus, &c.

Matth. Ex iſta Prophetæ authoritate, quia ter ponitur, *Ego Dominus*, Licetus colligit ternarium diuinarum perſonarum. Quia quatuor referuntur, lux, tenebræ, pax, malum, concludit quaternarium creaturarum.

Bal. Ingenioſiſſimè, vt cętera. Quid potes hiſcere in contrarium?

Matth. Sanctus Hyppolitus contra Noetum monuit, ne circumcidamus Scripturam. Igitur Iſaias Propheta inducit Deum loquentem ad Cyrum, nondum natum, ſed iſtam prophetiam poſt ducentos annos lecturum. Ergo Deus vnico contextu ſic alloquitur Cyrum.

Verſ. 3. „Et dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum, vt ſcias, quia *Ego Dominus*, qui voco nomen tuum Deus Iſrael.

Verſ. 4. Propter ſeruum meum Iacob, & Iſrael electum meum vocaui te nomine tuo:, aſſimilaui te, & non cognouiſti me.

Verſ. 5. Ego Dominus, & non eſt amplius: extra me non eſt Deus: accinxi te, & non cognouiſti me.

Verſ. 6. Vt ſciant hi, qui ab ortu Solis, & qui ab occidente, quoniam

abſque

abſque me non eſt. *Ego Dominus*, & non eſt alter.

Verſ.7. Formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: *Ego Dominus* faciens omnia hæc.

Verſ.8. Rorate cęli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem. *Ego Dominus* creaui eum.,,

In iſto textu ſacro quinque vicibus profertur vox *Ego Dominus*. An tu, optime Balde, ex quinque prolationibus dicti *Ego Dominus* affirmabis in Deo quinque eſſe perſonas?

Bal. Minimè tantum nefas.

Matt. Sed Licetus, vt ex tribus prolationibus ad proprium ſpiritum concluderet tres perſonas, circumcidit iſtam Scripturam. & verſum tertium, in quo primò ponitur particula *Ego Dominus*, noluit referre. Verſum octauum, in quo iteratur *Ego Dominus*, noluit referre: ſed vtrinque Scripturam circumcidit, vt eam ad ſpiritum Liceticum traheret repugnantem.

Bal. Iudæorum mos eſt circumcidere. Sed non ne poſſes animi gratia concedere Liceto, vt ſolis verſu quinto 6. & 7. vteretur ad ſuam intentionem probandam.

Matth. Vſurpauit hanc licentiam Licetus, ſiue dem, ſiue negem. Interim ſcrutare tres verſiculos à Liceto citatos. In verſu 5. phraſis. *Ego Dominus* præciſè ad Cyrum directa eſt. Coniunge finem verſiculi quarti. *Aſſimilaui te, & non cognouiſti me. Ego Dominus, & non eſt amplius, extra me non eſt Deus: accinxi te, & non cognouiſti me.* Ex ipſa textura ſermonis manifeſtatur actus diuinus erga Cyrum, *Aſſimilaui te, & non cognouiſti: Accinxi te, & non cognouiſti*; vnde hæc ſecunda prolatio ad Cyrum duntaxat dirigitur dicendo, *Ego Dominus*.

Tertia prolatio eſt. *Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum: Ego Dominus faciens omnia hæc*. Vbi aduerte eſſe quinque actus diuinos enumeratos.

Accingere Cyrum,
Formare lucem,
Creare tenebras,
Facere pacem,
Creare malum.

Cum duplici prolatione *Ego Dominus*. Aut igitur Licetus vult colligere omnes actus: quo dato, perdit quaternarium ſuum, & incidit in quinarium. Aut quatuor actus tantummodo numerat, & perdit primam prolationem dicti *Ego Dominus*, illique reſtant duæ prolationes, & perdit ſuum ternarium: neque illi optatus ſeptenarius conceditur. Recte Sanctus Auguſtinus ad Victorem Vincentium, "Non omne, quod acutè ſonat, acutum eſt.,, Illud quoque eſt conſiderandum, an quarta prolatio dicti *Ego Dominus*, ſit referenda ad illa quatuor, lucem, tenebras, pacem, malum.

Bal. Quid, quæſo, ne referatur, obſtat?

Matth. In verſiculo ſexto ad finem incipiamus legere, "*Ego Dominus*, & non eſt alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: Ego Dominus faciens omnia hæc. „Deus eſt faciens illa quattuor, & eſt faciens omnia hæc. Quid cogit nos ad dicendum *omnia hæc* referri ad illa quatuor?

Bal. Quid vetat, ne referamus?

Matth. Vetat ratio inductionis cum quadam conſuetudine ſcripturarum. In inductione numerantur quædam particularia, dehinc adiungitur particula cōprehendens omnia alia; ſic in 1. poſteriorū text. 1. "Mathematicæ nanque ſcientiarum per hunc modum accedunt, & aliarum vnaquæque artium,„ Vbi ſignum vniuerſale alias omnes artes comprehendit. Scriptura quoque hunc modum ſeruat Pſal. 145. Qui fecit cęlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt. & ſecundo Machab. 7. "aſpicias cęlum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt. „ Act. 17. „Cum ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia. „ Iſaia 66. "Cęlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedū meorum: quæ eſt iſta domus, quam ædificabitis mihi? & quis eſt iſte locus quietis meæ? omnia hæc manus mea fecit,„ In quo loco particula *omnia hæc*, omnia ſenſibilia, „vel omnia facta diuerſa à duobus numeratis ponuntur. Sic & in Iſaia 45. dici poteſt, *omnia hæc* referri, non ad quatuor dicta, lucem, tenebras, pacem, malum: ſed ad *omnia hæc* ſenſilia, quæ à Deo facta ſunt.

Bal. Hoc in incerto maneat; ſed explica ſodes, ān ſit aliquod diſcrimen habendum in numero iſto quinque prolationum *Ego Dominus*.

Matth. Quando aliquod prædicatum eſſentiale Dei ad intra, vel ad extra proponitur: ſemper in eo cointelliguntur tres perſonæ, ſiue exprimatur vna, ſiue duæ, ſiue tres. Si quidem ex reticentia alicuius perſonæ in tali termino eſſentiali, intelligitur excludi alia natura, non alia perſona eiuſdem naturæ diuinæ; quemadmodum tradit Magiſter ſententiarum in primo d. 21. cum Sancto Auguſtino in 3. contra Maximinum cap. 13. Cuius doctrinam, & verba retuli in Epitome theologico eadem diſt. 21. in ſecundo notando quæſtionis. Quare etiam ſi ſemel diceretur, *Ego Dominus* formans lucem, & cœtera: deberemus ita intelligere, *Ego Dominus* Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, formans lucem, & cętera. Prodeſt aliquando iteratio vocabuli eſſentialis ad indicandam ſacratiſſimam, & ſecretiſſimam Triadem, vt Iſaiæ 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus*, aſſertore B. Bonauentura in 1. d. 2. dub. 8. Vbi Trinitatem Dei octo modis in ſcripturis indicatam eſſe demonſtrat. Sed vbi Deus hoc myſterium declarare vult, numerum determinatum prolationis trinæ ponit. Sed in propoſito eſt prolatio quina. Niſi fortè dicas Iudaiſmum nouellū voluiſſe ſub falſo argumento circumciſæ Scripturæ, indicare fallax eſſe argumentū Chriſtianorum ex iterata prolatione: ſicuti fallacia eſt ex quinque prolationibus callidè tres proponere, duas præterire.

Bal.

Bal. Percipio. Pergam ne legendo?

Matth. Aliquid valde graue reſtat. Nam Licetus ad pag. 37. & ad pag. 119. repetit ſanctionem prudentiſſimam concilij Trid. ſeſſ. 4. quia verò illo decreto concilij ſæpius nobis erit vtendum, ſemel nunc ipſum adſcribo, vt cum oportuerit, huc recurſus habeatur. Tale verò eſt decretum.

« Præterea ad coercēda petulantia ingenia decernit, vt nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet S.M. Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum ſanctarum: Aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrum ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat: etiam ſi huiuſmodi interpretationes nullo vnquam tempore edendæ forent. Qui contrauenerint, per ordinarium declarentur, & pœnis à iure ſtatutis puniantur.» Nunc poſtulo, apud quem ſanctorum Patrum, apud quod concilium legerit Licetus, in iſto Iſaiæ loco intelligi per trinam inuocationem tres perſonas? Per *lucem* angelos, per *tenebras* animam rationalem; per *pacem* mundum cæleſtem, per *malum* mundum elementarem?

Trid. ſeſſ. 4. Similia Concil. Lateran. ſub Leo. 10. act. 11. præcipit cōcionatorib. Cano. de locis lib. 7. car. 441. et Synodo 6 ſeſſ. 11. & Canon. 19. Trullano.

Poſtulo, apud quem Patrem didicerit hominem non eſſe creaturam: & tria creaturarum membra ab Eccleſia, & Patribus poſita prætermittere?

Poſtulo, apud quem Patrem legerit illam clauſulam *Ego Dominus creans malum* intelligendam eſſe de malo culpæ, & de malo pœnæ? Cum intelligere locum illum de malo pœnæ, ſit ſenſus catholicus: intelligere de malo culpæ, ſit ſenſus hæreticus à Marcioniſtis, Manichæis, Florianis: & à nouellis Gnoſticis, nempe Caluiniſtis, & Lutheranis in odium veritatis catholicæ aſſertus. Hoc infra ad pag. 6. demonſtrabo: nunc D. Hieronymi expoſitionem ſuper iſtum Iſaiæ locum referre contentus. Ex ea enim expoſitione luculenter apparebit, quòd Licetus Scripturæ ſanctæ ſenſum ad proprium ſenſum Liceticum contorſerit: & à ſenſu Patrum receſſerit.

Sanctus Hieronymus ſuper caput 45. Iſaiæ aſſerit illum Iſaiæ locum eſſe prophetiam de Cyro, ad quem Propheta in perſona Dei loquitur «Hæc autem (inquit Hieronymus) tribui tibi propter Iacob ſeruum meum, & propter Iſrael electum meum; & vocaui te nomine meo, ſicut vocaui Abraam, Iſaac, & Iacob: & multò ante prædixi, vt Iſaac, & Ioſiam: ne putareris ille eſſe Chriſtus, cui aſſimilatus es, &c. in cuius typum, & imaginem præceſſiſti. Tu autem non cognouiſti me, ideſt, ſimulacra coluiſti, non Deum. Accinxi te fortitudine, multarum gentium feci te eſſe victorem, & non cognouiſti auxiliatorem tuum. In quo loco ſatis mirari

G nequeo,

nequeo, quæ ſtultitia ſit legentium, vt hæc ad Chriſtum referant, per quem mundus reconciliatus eſt Deo. »

Bal. Animaduerto totum verſiculum quintum Iſaie de Cyro exponendum eſſe, oppoſitumque ſtultitiæ eſſe notatum.

Matth. Igitur contra ſenſum Iſaiæ, & contra expoſitionem Hieronymi vocem *Ego Dominus & non eſt amplius, extra me non eſt Deus; Accinxi te & non cognouiſti me;* Licetus aufert à Cyro, & ad illa ſua quatuor creata traducit. Sed pergo legere Hieronymum „Ego ait Dominus, & non eſt amplius, extra me non eſt Deus. præter ſermonem quippe, atque rationem, virtutemque meam, & ſapientiam, quæ in me eſt, nullus eſt alter Deus. Et hæc feci, vt ab oriente, & occidente totus orbis agnoſcat, nullum eſſe alium abſque me Deum. Ego Dominus, & non eſt alter. Pater enim in filio, & Filius in Patre. qui loquitur in Euangelio: Ego, & Pater vnum ſumus. „

Bal. Suſtine tantiſper. Nam Hyeronimus exponendo prima vice dictiones *Ego Dominus* non memorat filium: exponendo ſecunda vice memorat.

Matth. Etiam prima vice explicans particulam *Dominus*, Hieronymus includit filium, dum ait præter *ſermonem, rationem, virtutem*, quæ in me eſt. Nam Filius, Græcè *logos*, Latinè *ſermo*, & *ratio*, dicitur. Filius item, eſt Dei *virtus*, & *ſapientia*, quæ eſt in Patre, ſicut Pater in Filio. Sed vtraque prolatio dicti *Ego Dominus* includit Patrem, & Filium, & eadem ratione Spiritum ſanctum: nam Pater, Filius & Spiritus ſanctus ſunt vnus Dominus, vnus Deus ſingularis, quod eſt concretum Deitatis, indiuiſum in tribus. Propter quod Licetus, ſi cum Diuo Hieronymo loqui voluiſſet, primam prolationem, Ego Dominus non reſtrinxiſſet ad Patrem, & ſecundam ad Filium. cum Hieronymus vtramque extendat ad ambas perſonas.

Bal. Proſequere lectionem Hieronymi.

Matth. "Et in Eſdræ volumine poſitum eſt, ſcripſiſſe Cyrum ad omnes gentes, nullum eſſe Deum, niſi ſolum Deum Iſrael; ſiue ita intelligendum, quòd captiuorum laxatio, & in Dei populum ſuum clementia, cunctis gentibus Deum fecerit notiorem.

Qui igitur tibi dedi fortitudinem, & ſolus Deus ſum, ipſe res inter ſe contrarias facio, lucem, & tenebras, id eſt diem, & noctem: pacem & malum, hoc eſt, otium, & bellum. per quæ ſignificatur, & iratum fuiſſe ſe populo ſuo, quando tenebras captiuitatis, malaque ſuſtinuit ſeruitutis: & rurſum miſertum, quando remiſſi in patriam, pacem & gaudium receperunt. Quomodo enim luci contrariæ tenebræ ſunt, ita paci contrarium bellum eſt.

Vnde cõfundatur hæreſis, quæ malorum arbitratur cõditorem Deum. Cum hic *malum* non contrarium bono, ſed pro afflictione ponatur, & bello: ſecundum illud, quod in Euangelio ſcriptum eſt: ſufficit diei malitia ſua. „

Bal.

Bal. Profectò per lucem, ac tenebras non exponit Hieronymus angelos, & animas rationales: per pacem, & malum non intelligit cęlum, aut elementa.

Matt. Hæreſis in particula *creans malum* per malum intelligit illud, quod eſt contrarium bono, ſcilicet contrarium iuſto, & honeſto: tale eſt malum culpæ, quod impijſſimè tributum eſt olim Deo vt agenti à Marcione, & Manichæo: nuper à Caluino, & Luthero: & nũc à Liceto. Explicat namque de malo tàm culpæ, quàm pęnę: lege ergo clauſulam integram, *Ego Dominus creans malum tàm culpæ, quàm pęnæ*: quæ explicatio de malo culpæ eſt hæreſis deteſtabilis, damnata & antiquitus, & de nouo ab Eccleſia. Sed hoc infra ſuper pag. 6.

Bal. Audiam tunc. Sed neque nunc poſſum approbare dictum, quòd Deus ſit author culpæ, vel creans malum culpæ. Sed cum D. Hieronymo teneo, Deum eſſe authorem mali pęnę, de qua Sanctus Hieronymus explicat ſacrum textum.

Matth. Aliam quoque expoſitionem tropologicam dedit Hieronymus, de viro Eccleſiaſtico, qui ſapientia Chriſtiana armatus, ſubuertat hæreſes & hæreticos.

"Cum enim inſtructus armatura Apoſtoli, omnes docuerit non eſſe alium Deum, niſi vnum, qui ſit Iacob, & Iſrael Deus: confundetur Marcion duos Deos intelligens, vnum bonum, alium iuſtum: alterum inuiſibilium, alterum viſibilium conditorem; è quibus prior lucem faciat, ſecundus tenebras: ille pacem, hic malum: cum vtrumque pro diuerſitate meritorum vnus Deus, idemque condiderit."

Hactenus ex D. Hieronymo, in quo nec triplex prolatio, nec quadruplex creatura notatur, nec per lucem angelus, per tenebras anima rationalis, per pacem mundus cęleſtis, per malum mundus elementaris exponitur: ſed iſte ſenſus Liceti, & à ſenſu literali, & à myſtico Sancti Hieronymi longiſſimè abeſt.

Obſeruatio Nona.

Bal. LIcetus in pag. 2. lin. 5. ſcribit "Et ſicuti per ternam repetitionem: *Ego Dominus*, &c. indicatur Trinitas."

Matth. Si dixiſſet prolationem ternam, fortè ferrem. Sed repetitionem ternam ferre non debeo. Barbariſmus eſt.

Bal. An & grammaticæ næuos notas?

Matth. Licetus callidè pius, vt me ab omni menda liberaret, ne vni quidem errori meo (vt prætendit) ignoſcere voluit. Sed ne res parua, parua videretur, grandioribus literis. *Epitome theologicum, Epitome theologica* imprimi curauit. An non par eſt, vt beneficium beneficio compenſem? Itaque quando aliqua dictio ſemel profertur, non eſt repetitio; ſed quando iteratò profertur. Hinc author ad Herennium

nequeo, quæ ſtultitia ſit legentium, vt hæc ad Chriſtum referant, per quem mundus reconciliatus eſt Deo. „

Bal. Animaduerto totum verſiculum quintum Iſaie de Cyro exponendum eſſe, oppoſitumque ſtultitiæ eſſe notatum.

Matth. Igitur contra ſenſum Iſaiæ, & contra expoſitionem Hieronymi vocem *Ego Dominus & non eſt amplius, extra me non eſt Deus; Accinxi te & non cognouiſti me;* Licetus aufert à Cyro, & ad illa ſua quatuor creata traducit. Sed pergo legere Hieronymum „Ego ait Dominus, & non eſt amplius, extra me non eſt Deus. præter ſermonem quippe, atque rationem, virtutemque meam, & ſapientiam, quæ in me eſt, nullus eſt alter Deus. Et hæc feci, vt ab oriente, & occidente totus orbis agnoſcat, nullum eſſe alium abſque me Deum. Ego Dominus, & non eſt alter. Pater enim in filio, & Filius in Patre. qui loquitur in Euangelio: Ego, & Pater vnum ſumus. „

Bal. Suſtine tantiſper. Nam Hyeronimus exponendo prima vice dictiones *Ego Dominus* non memorat filium: exponendo ſecunda vice memorat.

Matth. Etiam prima vice explicans particulam *Dominus*, Hieronymus includit filium, dum ait præter *ſermonem, rationem, virtutem*, quæ in me eſt. Nam Filius, Græcè *logos*, Latinè *ſermo*, & *ratio*, dicitur. Filius item, eſt Dei *virtus*, & *ſapientia*, quæ eſt in Patre, ſicut Pater in Filio. Sed vtraque prolatio dicti *Ego Dominus* includit Patrem, & Filium, & eadem ratione Spiritum ſanctum: nam Pater, Filius & Spiritus ſanctus ſunt vnus Dominus, vnus Deus ſingularis, quod eſt concretum Deitatis, indiuiſum in tribus. Propter quod Licetus, ſi cum Diuo Hieronymo loqui voluiſſet, primam prolationem, Ego Dominus non reſtrinxiſſet ad Patrem, & ſecundam ad Filium. cum Hieronymus vtramque extendat ad ambas perſonas.

Bal. Proſequere lectionem Hieronymi.

Matth. "Et in Eſdræ volumine poſitum eſt, ſcripſiſſe Cyrum ad omnes gentes, nullum eſſe Deum, niſi ſolum Deum Iſrael; ſiue ita intelligendum, quòd captiuorum laxatio, & in Dei populum ſuum clementia, cunctis gentibus Deum fecerit notiorem.

Qui igitur tibi dedi fortitudinem, & ſolus Deus ſum, ipſe res inter ſe contrarias facio, lucem, & tenebras, id eſt diem, & noctem: pacem & malum, hoc eſt, otium, & bellum, per quæ ſignificatur, & iratum fuiſſe ſe populo ſuo, quando tenebras captiuitatis, malaque ſuſtinuit ſeruitutis: & rurſum miſertum, quando remiſſi in patriam, pacem & gaudium receperunt. Quomodo enim luci contrariæ tenebræ ſunt, ita paci contrarium bellum eſt.

Vnde cõfundatur hæreſis, quæ malorum arbitratur cõditorem Deum. Cum hic *malum* non contrarium bono, ſed pro afflictione ponatur, & bello: ſecundum illud, quod in Euangelio ſcriptum eſt: ſufficit diei malitia ſua. „

Bal.

Bal. Profectò per lucem, ac tenebras non exponit Hieronymus angelos, & animas rationales: per pacem, & malum non intelligit cęlum, aut elementa.

Matt. Hæreſis in particula *creans malum* per malum intelligit illud, quod eſt contrarium bono, ſcilicet contrarium iuſto, & honeſto: tale eſt malum culpæ, quod impijſſimè tributum eſt olim Deo vt agenti à Marcione, & Manichæo: nuper à Caluino, & Luthero: & nũc à Liceto. Explicat namque de malo tam culpæ, quàm pęnę: lege ergo clauſulam integram, *Ego Dominus creans malum tàm culpæ, quàm pęnæ*: quæ explicatio de malo culpæ eſt hæreſis deteſtabilis, damnata & antiquitus, & de nouo ab Eccleſia. Sed hoc infra ſuper pag. 6.

Bal. Audiam tunc. Sed neque nunc poſſum approbare dictum, quod Deus ſit authòr culpæ, vel creans malum culpæ. Sed cum D. Hieronymo teneo, Deum eſſe authorem mali pęnę, de qua Sanctus Hieronymus explicat ſacrum textum.

Matth. Aliam quoque expoſitionem tropologicam dedit Hieronymus, de viro Eccleſiaſtico, qui ſapientia Chriſtiana armatus, ſubuertat hæreſes & hæreticos.

"Cum enim inſtructus armatura Apoſtoli, omnes docuerit non eſſe alium Deum, niſi vnum, qui ſit Iacob, & Iſrael Deus: confundetur Marcion duos Deos intelligens, vnum bonum, alium iuſtum: alterum inuiſibilium, alterum viſibilium conditorem; è quibus prior lucem faciat, ſecundus tenebras: ille pacem, hic malum: cum vtrumque pro diuerſitate meritorum vnus Deus, idemque condiderit."

Hactenus ex D. Hieronymo, in quo nec triplex prolatio, nec quadruplex creatura notatur, nec per lucem angelus, per tenebras anima rationalis, per pacem mundus cęleſtis, per malum mundus elementaris exponitur: ſed iſte ſenſus Liceti, & à ſenſu literali, & à myſtico Sancti Hieronymi longiſſimè abeſt.

Obſeruatio Nona.

Bal. Licetus in pag. 2. lin. 5. ſcribit "Et ſicuti per ternam repetitionem: *Ego Dominus*, &c. indicatur Trinitas."

Matth. Si dixiſſet prolationem ternam, fortè ferrem. Sed repetitionem ternam ferre non debeo. Barbariſmus eſt.

Bal. An & grammaticæ næuos notas?

Matth. Licetus callidè pius, vt me ab omni menda liberaret, ne vni quidem errori meo (vt prætendit) ignoſcere voluit. Sed ne res parua, parua videretur, grandioribus literis. *Epitome theologicum, Epitome theologica* imprimi curauit. An non par eſt, vt beneficium beneficio compenſem? Itaque quando aliqua dictio ſemel profertur, non eſt repetitio; ſed quando iteratò profertur. Hinc author ad Herennium

car.94. ſcribit. „Repetitio eſt,cum continenter ab vno, eodemque verbo in rebus ſimilibus,& diuerſis principia ſumuntur. „Niſi ergo ſit eiuſdem vocabuli continens ſumptio, non eſt repetitio. Sanè ſi alicui dederis mutuò,vel commodatò rem: & eam repetas: ſupponis te prius eam rem habuiſſe, ac poſſediſſe: inde illius poſſeſſionem, habitionemque repetis; at ſi primum res acquiritur,nemo non barbarè loquens, dicet ſe illam repetere. Alium barbariſmum in vocabulo *creatio*: infra ponam. Item alius aduertet in vocabulo *ſubſellium,luces,grammaticlor*, barbariſmos.

Solęciſmos in hac epiſtola Liceti plurimos dephendere poſſumus, quorum aliquos non pigebit referre, vt notanti vnum ſolęciſmum meum, innoteſcant ſolęciſmi ſui.

1 Pag.100. lin.18. "Imperfectiones generationis ſunt. *Primum*, quòd ponat diſcrimen, ſecunda, quòd ponat generatio„ *Primum*, dixit prò *prima*, ſecunda, tertia; Solęciſmus eſt *imperfectiones*, *primum*, diſcordans in genere,cum ſubſtantiuo antecedente,& ab adiectiuis conſequentibus.

2 Pag.49. lin.12. "Ex quo non velut ex materiali principio paſſiuo, ſed velut ex ordine, æternitatis præſuppoſitæ à toto tempore: Deus, lin.19. *Cælum.* Verbum relatiuj *ex quo*, in qua linea eſt?

3 Pag.188. lin.23. "Sed omittens vertiſſe Septuaginta, &c. demus diſputationi. Bona concordantia eſt *omittens, demus*; ſed poſt tam longam conſtructionem, quæ omnem ſuſtentationem ſuperat(nam incipit periodus in pag.188. lin.23. definit in pag.189.lin.10. periodus eſt viginti linearum;) Repetamus eam conſtructionem.

"Sed omittens vertiſſe ſeptuaginta ſecus *Dominus condidit* me, &c. & *Vulgata legat* (pro Vulgatam legiſſe) Dominus poſſedit me, & *Pagninus ex Hebræo transferat*(pro *Pagninum tranſtuliſſe*,)ita vt vno in loco ſint multi ſolęciſmi.

4 Pag.165. lin.11. "In creatione compoſitorum, & ſubſiſtentium nulla creans creato communicat ſuam naturam; „debuit dicere nullum creans.

5 Pag.119. lin.vlt. "Patrum definientium creationem eſſe productionem ex nihilo, docentiumque Deum omnia,ex nihilo creaſſe, *conſtituuntque* creationem. „ *Conſtituunt* ſcripſit pro *conſtituentium*.

6 Pag.97. lin.12. "De ratione Patris eſt, producere Filium ex propria ſubſtantia: Pater quidem corporeus ex parte ſubſtantiæ ſuæ, &c. Pater autem incorporeus ipſe Deus. „Vel deeſt verbum principale, quod conſtruatur cum nominatiuis, *Pater corporeus*, *Pater incorporeus*. Vel conſtructio eſt malè continuata: dicendum enim fuerat: de ratione Patris eſt producere Filium ex propria ſubſtantia: *Patris* quidem *corporei* ex parte ſubſtantiæ ſuæ,&c. *Patris autem incorporei, &c.* ex tota ſubſtantia.

7 Pag.5. lin.1. "Sic igitur ignorantia, quum & pura maximè naturalis

animæ

animæ noſtræ ſit,& praua eam in corpore degentem plurimum temporis occupet, &c. aptiſſimè propheticam obſcuritatem colens Iſaias, intellexit animas hominum. Regula Guarini eſt, *Dictio incipiens à C. vel à Q. impedit verbum, ne ſit principale.* Poſt nominatiuum *ignorantia* ſequitur particula *quum*, ad quam ſequuntur duo verba *ſit, occupet*, & tertium *deſignetur:* hæc verba ſunt implicita, & reguntur à particula *quum:* nominatiuus principalis *ignorantia* deſiderat verbum principale. In libro de ſeptimo quæſitis, ſeptem ſolæciſmos notaſſe ſufficiat; nam qui vellet exactius diſquirere, ſupra Septuaginta inueniret errores in Grammatica.

Obſeruatio Decima.

Bal. VVlnerare alium, non eſt ſanare ſe ipſum. & ſi oſtendas Termaximum barbariſmis, ac ſolæciſmis infectum, non defendis te à pietate Termaximi. Sic enim pag. 205. lin. 10. ſcribit. "Cum enim recens inuulgaſſet explicationem ſuam in duos priores libros magiſtri ſentent. turpatam ſolæco *Epitome theologicum*, & iſto ſub enormi titulo Triumuiris moderatoribus archigymnaſij ſubſignandam obtuliſſet ad impreſſionem: exemplaribus ita mendoſis iam inuulgatis, admonitus ab amico Græcè perito Grammaticiori, de tituli ſolæciſmo, non obſtinatè retinuit errorem, ſed promptè lubens ipſum deinde mutauit in altera parte, duos poſteriores Magiſtri libros explanante priſtinam inſcriptionem emendans, quam fieri curauit omnino correctam, & in libri titulo, & in ſubſignatione trium virum litterariorum ſecunda: *Epitome Theologica.*"

Matth. Non poteſt Licetus ſine falſitate loqui de me. Omnes libros magiſtri inuulgaui inſcribendo *Epitome theologicum.* Ab amico, Excellentiſſimo Domino Ioanne Cottunio admonitus; iuſſi congruum numerum paginarum primarum imprimi cum inſcriptione ad amici votum; *Epitome theologica.* Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis, inquit Salomon in Prouerb. 27. ideò vulnera excellentiſſimi Cottunij benignè excepi, vt amico facerem ſatis; at Liceti nec oſcula quidem excipio. Callidè agit omnia, ideò cauendus in omnibus: ſub mantello pietatis callidæ, nec vni vocabulo parcere voluit. Porrò quòd me facile emendabilem exiſtimat, verè dicit, ſed non ſincerè. Ego enim ſententiam nunquam duxi, aut facilè deponendam, aut difficilè, ſed cum ratione. Quam ergo rationem Licetus attulit contra me, etiam ad probandum primam inſcriptionem eſſe mendoſam? Tantum dixit, & nihil probauit. Idem præſtitit in tota epiſtola, plena falſis citationibus, & fallacijs argumentationum, vt niſi hominem inconſideratum, poſſit ad ſe trahere neminem.

Demus

Demus primò Cl. Liceto, me defeciſſe in vocabulis alienæ linguæ. Defecit verò multò magis ipſe. In libro *de ferijs altritis animæ* Licetus, vt omnium ſcientiarum arbiter, & Iudex, diſcutit, an lingua Hebraica, vel alia aliqua ex his, quæ extant, ſit lingua primigenia in mundo. Negat primatum etiam linguæ Hebraicæ: dicitque in pag.143. lin.33. Chriſtum Dominum, quando moriens in cruce voce magna clamauit. *Eli Eli Lammaſabactani?* Eſſe vſum lingua primigenia fortaſſis. "Propterea ſi quidem indiguit interpretatione, quoniam à Iudæis, alijſque præſentibus Hebraicæ, Chaldaicæque callentibus, quin & Græce, Latineque ſcriptum crucis titulum intelligentibus non intelligebatur.„ Hic eſt verus error in facultate grammatica, & Theologica. In grammatica quidem, quoniam Dauid Rex, & Poeta ſuos pſalmos ſcripſit Hebraicè, & ſcripſit illa verba, quæ Saluator in cruce protulit, relata à Liceto. In theologia verò primaria, quæ eſt ſacra Scriptura, errat: etenim Pſal.21. eſt prophetia de Chriſto. Conſulat Licetus Hebræos, & legent ſibi pſal.22. iuxta numerum Hebræorum; 21. iuxta numerum Chriſtianorum. primuſque verſiculus illius pſal. eſt. *Eli Eli Lammaſabactani.* Et à S. Hieronymi in tom.7. conuertitur, Deus meus, Deus meus, quare dereliquiſti me? Bellarminus, ac Titelmanus ſuper illum pſalmum aduertunt verba illa pſalmi fuiſſe à Saluatore in cruce prolata.

Sanctus Hieronymus in commentario pſal.21. ait ſuper primum verſ. "Hoc verſiculo Dominus in cruce pendens vſus eſt. Ex quo animaduertimus totum pſalmum à Domino in cruce poſito decantari. Quod autem habet in medio, *intende mihi*: in Hebræis codicibus non habetur. & appoſitum vox Domini declarat, quæ etiam illud in Euangelio prætermittit.„

Sanctus Auguſtinus tom.8. expoſitione ſecunda in pſal.21. pag.35. K. "Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti? Iſtum verſum primum in cruce audiuimus, vbi Dominus dixit. Eli Eli quod eſt Deus meus, Deus meus: Lammazabactani, quod eſt, quare me dereliquiſti? Interpretatus eſt illud Euangeliſta, & dixit eum Hebraicè dixiſſe, Deus meus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti?„ Sed ſi Licetus dubitat, Ego cuicumque volenti, & ſcienti legere Hebraicè, offeram pſalterium Hebraicè, & ſcripturam Hebraicè, in qua leget principium pſalmi dicti. Obſcurauit ergo prophetiam, & prophetiæ impletionem Licetus: & vocabula Hebraica negauit eſſe Hebraica. Licetus eſt ex communitate Leuitica oriundus; Sed neſcio, quo caſu impeditus fuerit à diſcendo idiomate ſibi originario.

Bald. Ariſtoteles in 1. ad Nicomachum cap.1. ait„ Vnuſquiſque bene iudicat, quæ cognoſcit, & eorum eſt bonus iudex. "Oportuit ergo Licetum probè callere idioma Hebraicum, ſi de illo iudicare ſtatuerat.

Matth. Equidem non ſuſcepi iudicandum de vocabulis Græcis: vnde ſi erraue-

erraverim, magis eſt ignoſcendum, quàm ſi is, qui ſibi iudicium aſſumit, errat.

Quòd ad me attinet *Epitome* eſt vox Græca. Vocabula Græca à ſcriptoribus Latinis, vel in ſua integritate retinentur, atque ita retinent, & ſpeciem, & genus, & terminationem. Vel Latinè inflectuntur iuxta Horatij monitionem docentis, verba Græca fidem eſſe habitura, ſi parcè ſint detorta.

Quintilianum conſule in 1. inſtit. oratoriarum cap.9. quærentem, an externa nomina inflecti debeant per caſus eadem ratione, qua nomina Latina. Aſſerit, grammaticum veterum amatorem negaturum eſſe quicquam ex latina ratione mutandum. Nec memorat veteres, qui cum matre Euandri loquebantur; ſed inter veteres ponit Ciceronem, ac Cæſarem, hoc eſt, optimi ſtatus latinitatis authores. Recentiores grammaticos probare Græcam declinationem potius in Græcis vocibus. At Quintilianus probat magis latinã declinationem, quouſque patitur decor. Accipe *vocabulum Epitome* Græcũ eſt: Si græcè inflectas, epitome epitomes, fœmininum eſt; ſed nullius Latinæ declinationis. Si Latinè inflectas, neceſſariò in genere neutro erit, vt mille, cete, rete, cubile. Nullum enim latinum nomen in E terminatur, niſi neutri generis. Quocirca mihi latinè ſcribenti, & ſcholaſtico ſtilo, non poetico, ex neceſſitate dicendum fuit epitome Theologicum. Poetæ conceduntur aliquando exoticæ voces ad ornatum, & delectationem. Scholaſticus, ſi quærat iſta, ridiculus erit. Quam ob rem multi, & docti homines ſcripſere Epitoma, vel Epitome in genere neutro, pro vt accuratè, & copiosè oſtendit Admodum Rev. Pater Magiſter Franciſcus Bertotus in hac alma Vniuerſitate Metaphyſicus. Denique concludam cum Quintiliano, "In cæteris, quæ poterant vtroque modo efferri, qui græcam figuram ſequi malit, non Latinè quidem, ſed citra reprehenſionem loquetur" Ergo dicens Epitomen Theologicam, non loquitur Latine: dicens epitome Theologicum Latinè loquitur.

Aliquando igitur nomina Græcè declinantur, & retinent ſuũ genus, aliquãdo Latinè, & poſſunt mutare genus, vt fiat declinatio iuxta regulas Latinas. Sic domus Græcè eſt maſculini generis, Latinè fœminini: chaos Græcè neutrius, Latinè maſculini. Sic epitome ſi græcè declines, eſt fœminini generis; ſi latinè neceſſario debet eſſe generis neutri, docente S. Auguſtino, etiam in ſua grammatica accuratiſſimo, ſub principio. "Ab E. littera vocali nullum (nomen) Latinum, niſi iuncta præpoſitione maſculinum inuenitur, vt proconſule, proprætore. Ergo iuncta præpoſitione fiunt Latina, vt dixi proprætore, proquæſtore. Nam veteres nominatiuo caſu *proconſul* dicebant, attendentes, nullum nomen Latinum exire in E. littera nominatiuo caſu generis maſculini.

A fœminino nullum Latinum, ſed Græca ſolum, vt Andromache, Nio-

be,

be, Libye, Ecate, Euterpe, quorum genitiuus in es exit: vt Andromaches, Niobes, Libyes, Ecates, Euterpes, ſed hæc cum Græcis tractamus.

A neutro E. littera in nominatiuo, monile, ſedile, cubile, &c. quæ paulò poſt in regula neutri generis per omnia nomina ponemus. ,,Volens ergo imponere libro Scholaſtico titulum, nolui agere cum Græcis, ſed cum Latinis, & iuxta regulam Auguſtini, atque Horatij nomen hoc *epitome* Latinè declinare; quare in genere neutro ex neceſsitate erat dicendum *Epitome theologicum*. Monitus à Doctiſsimo viro Ioanne Cottunio, natione Græco, quoniam videbam poſſe etiam Græcè dici, *Epitome Theologica* obſequutus ſum amico, atque cum Græco Græcè declinaui, cum Latinis Latinè. Rem lepidam narrabo. Excellentiſsimus vir Dominus Marius Mazzolenus cathedrā philoſophicam in hac Patauina Vniuerſitate rexit, ſupra quadraginta annos; vir bonæ memoriæ & præſtanti Philoſophia, & nitida latinitate. Is cum ad me viſendum pro ſua in me humanitate veniſſet, incidiſſetque memoria de libro Theologiæ Scholaſticæ publicato; comiter poſtulauit à me vnum exemplar: allatum eſt, (vti cum alijs efficiendum decreuerām) cum inſcriptione duplici, in vna erat, *Epitome Theologicum*, in altera *Epitome Theologica*: illique dixi cauſam duplicis impreſsionis. Ille aliquātiſper moratus, re perſpectâ, dixit, malle ſe Latinam, quàm Græcam declinationem, & accepit *Epitome Theologicum*.

A multis quoque vox *epitome* in genere neutro ſcripta eſt. Sed hoc ab aliquo alio copioſè dicetur. Nūc Alphōſi Ciacconij aſcribo dictum in tract. de Traiani ſalute, relatum à Franciſco Collio, de *animabus Paganorum* pat. 2. cat. 115; "*Vel in præteritis reliquerit in ſuo epitome ex Dione Xiphilinus*." ,,Neque iſtam loquutionem reprehendit Collius, qui ſine comparatione eſt Liceto melior in Theologicis, hiſtoricis, grammaticis rebus. Emendet Licetus prius ſuos barbariſmos, & ſolæciſmos, ſuumque ſermonem raptatum ſerpentis ad inſtar, fracti pluribus ictibus, atque ita partem attollentis, partem raptantis, partem deſerentis. Qui ſine errore ſcribit, aliorum errores impugnet; ſed meminerit, quandoque & Homerum dormitare.

Obſeruatio Vndecima.

Bal. SI obſeruas in grammatica, quid in Logica facies? quod certè magis decet veros diſputatores.

Matt. Vnica obſeruatio Logica pro omnibus, & ſingulis paginis ſufficiat. Hæc eſt. Dominus Licetus in tota hac epiſtola ſua cōtra me, ne vnū quidem ſyllogiſmum conſtruxit; qui tamen in cap. 3. me reprehendit, quòd rationes non ſyllogiſticas erexerim. Quare ipſe callida

pietate

pietate format argumenta mea, ſed cum tot, tantiſque vitijs; vt ſi Licetus in ea vitia incurrit ex ignorantia intellectus: illi deprecer à Deo tempus Logicæ ediſcendæ. Si admiſit ex malitia voluntatis: implorem illi à Deo meliora inſpirari. Quodque deterrimum eſt, vitia ab ſe commiſſa in formandis ſyllogiſmis, mihi attribuit iniuſtiſ- mè. Itaque, Balde ſolers, accuratè perſpice in ſingulis paginis, ſi fortè ſyllogiſmum aliquem exactè formatum reperias, mihique indica: atque ſcito, me magnam indicij gratiam perpetim habiturum.

Bal. Faciam libens. Sed in hac ſecunda pagina attende ad concluſionem propoſitam, & ad probationem concluſionis.

Matth. Attendam pro viribus.

Bal. Termaximus vult probare, angelos appellari lucem in oraculo Iſaiæ propoſito ex cap. 45. Propter hoc in pag. 2. lin. 19. proponit iſtam concluſionem. "A creatione ſtatim omnes angeli nomine lucis in ſacra Scriptura nuncupari conſueuerunt.,,

Matth. A vocabulis figuratis poſitis vno in loco Scripturæ ſub vno ſenſu, non valet conſequentia, vt alio in loco Scripturæ accipiantur eodem ſenſu. Nam ſi ſemel Chriſtus eſt dictus *Leo* in Apocalypſi 5. In prima Petri 5. Diabolus dicitur *Leo.* Et ſanctus Auguſtinus in 3. de doctrina Chriſtiana, docet nomine *ſcuti* ſignificari aliquando voluntatem Dei: at non ſemper, nam alibi *ſcutum* fidem ſignificat. Dato itaque, quòd angeli aliquando dicantur *lux* in ſcriptura: non ſequitur, vt vbicumque nomen lucis ponitur in ſcriptura, angeli ſignificentur. Saluator ait: *Ego ſum lux Mundi* Ioan. 8. Et 1. Ioan. 1. *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ*, & Matthæi 25. *Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona.* Non ergo ſequitur in cap. 45. Iſaiæ ſignificari angelum: cum ſanctus Hieronymus per lucem, eo in loco ſignificari diem dicat, quemadmodum in cap. primo Geneſis: Deus *lucem appellauit diem*: Argumentum nihil valet. *Angeli alicubi in ſcriptura dicuntur lux: ergo & in hoc Iſaiæ 45. dicuntur lux.* Nego conſequentiam, quam probare ex Liceto tuum erit.

Bal. Probatio eſt ex authoritate.

Probat. Nam Areopagita in opere de diuinis nominibus, & in libro de cœleſti Hierarchia docet, frequenter angelos appellari nomine ſplendoris, luminis, aſtrorum. Citat in margine cap. 1. & 2. & ſeq.

Probat. Nam angelos Auguſtinus lucem primò creatam dicit 11. de Ciuit. cap. 7. "Aut lucis nomine ſignificata eſt ſancta Ciuitas in ſanctis angelis, & ſpiritibus (Licetus legit ſpiritualibus) beatis, de qua dicit Apoſtolus, quæ ſurſum eſt Ieruſalem mater noſtra æterna in cœlis.,, Item in primo de Geneſi ad literam.,, Quid eſt lux ipſa, quæ facta eſt, vtrum ſpirituale quid, an corporale? Si enim ſpirituale, poteſt ipſa eſſe prima creatura, iam hoc dicto perfecta, quæ primo cœlum appellata eſt, cũ dictũ eſt: in principio fecit Deus cœlum, & ter-

H ram;

ram; vt quod dixit Deus, fiat lux,& facta eſt lux, eam reuocante ad ſe Creatore, conuerſio eius facta, atque illuminata intelligatur. „

Matth. Sanctus Dionyſius Areopagita in lib. de cęleſti Hierarchia loquitur præciſè de angelis in cęlo beatis.

Sanctus Auguſtinus de angelis Sanctis,& ſpiritibus beatis in ſuperna Ieruſalem, loquitur de conuerſis ad Deum, & conuerſione illuminatis.

Bal. Maximè, de angelis beatis in cęleſti ciuitate reſidentibus loquuntur.

Matth. Forma igitur argumentum Liceti.

Bal. Angeli cęleſtis Hierarchiæ dicti ſunt lux ex Areopagita. Angeli ſancti, & conuerſi ad Deum dicti ſunt lux ex Auguſtino. Igitur ſtatim à creatione omnes angeli dicti ſunt lux.

Matth. Lux, quæ ſumitur in antecedente, eadem eſt ſumenda in conſequente.

Bal. Omnino. Nefas enim eſt credere doctiſſimum Licetum æquiuocatione abuti. Lux igitur beatitudinis accepta eſt in antecedente, & lux beatitudinis in conſequente.

Matth. Ita quidem accipi debet *lux* in vno ſignificato, ſi iura logicæ ſeruauit Licetus. Sed iſta concluſio. *Statim à creatione omnes Angeli dicti ſunt lux* luce cęleſtis Hierarchiæ, luce beatitudinis, eſt hæretica propter tres cauſas.

Primam, omnes angeli ſunt beati, eſt hæretica: quoniam in Euangelio Matthæi 25. Diabolus,& angeli eius damnantur.

Secundam, quia beati angeli, & conuerſi ad Deum ſunt confirmati in gratia, nec peccare poſſunt; ſi autem ſtatim à creatione omnes angeli fuerunt lux beatitudinis, ergo nullus angelus peccauit: quæ eſt manifeſta hæreſis contra Iudam Apoſtolum in ſua epiſtola, & Petrum Apoſtolum in 2. cap. 2. dicentem. "Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, &c. „

Tertiam; In omni creatura libera ſunt duo ſtatus, viæ, & termini: prior ſtatus eſt viæ, in quo poteſt mereri, & demereri: poſterior termini, in quo præmio, vel pœna afficitur. Quanta fuerit mora viæ angelorum, res non eſt manifeſta propter varias Doctorum opiniones: omnes tamen Scholaſtici in 2. d. 4. & 5. deſerunt Magiſtrum Sententiarum, atque docent, Angelos non ſtatim, ac creati ſunt, fuiſſe beatos: ſed prius fuiſſe in ſtatu meriti, vel demeriti. Sed hæc tertia cauſa, fortè non concludit expreſſam hæreſim, vt minimum tamen ſententia Liceti eſt contra communem Theologorum in re grauiſſima.

Bal. Perturbant me duo Liceti dicta; nam in pag. 2. Omnes angeli dicti ſunt lux,& de omnibus per relatiuũ *quos* dicitur pag. 2. lin. 5. "Quos Ioan. in Apocalypſi, ſtellas,& Auguſtinus lucem primo creatam dicit. „ Sed in pag. 3. à lin. 3. ad 9. docet Termaximus, angelos conuerſos ad Deum eſſe illuminatos, & lucem primò creatam. Valde autem eſt abſurdum, omnes angelos eſſe ad Deum conuerſos, illumina-

minatos, confirmatos, beatos, ſanctos; nam & Diabolum & angelos eius ſanctos eſſe dicere, & animus & lingua refugiunt.

Matth. Dicerem Licetum ſibi ipſi contradicere: niſi antea obſeruaſſem, Licetum artificiosè procedere: & nunc ſemen erroneum ſpargere, nunc veris catholicis circumpoſitis occultare ſemen, donec radices altiùs figat.

Bal. Contradictoria, omnes angeli ſunt lux beatitudinis: & non omnes angeli ſunt lux, ideſt non omnes ſunt conuerſi ad Deum aut beati: ego quoque deprehendi. Sed detege ſemen erroris, vt iactas: detege & inuolucra veritatis ad errorem occultandum circumpoſita.

Matth. Verum catholicum eſt, Angelorum quoſdam peccauiſſe, & eſſe damnatos, ac proinde tenebras appellatos. Aliquos item angelos ad Deum eſſe conuerſos, & beatos: qui iuxta probabilem Auguſtini expoſitionem prius cęlum informe fuerunt, poſterius conuerſione ad Deum facti ſunt lux. Sed antequam hoc velamentum catholicum apponeret Licetus, propoſuit cõtradictorium falſum, & erroneum, quòd omnes Angeli ſunt lux, ſunt ſancti, & beati, atque adeò impeccabiles. Hoc dogma falſum, verum eſt ad aures Ariſtotelis, quem Licetus etiam in iſta Theologica epiſtola Magiſtrum vocat ſæpè: Chriſtum, qui verè magiſter eſt, nunquam Magiſtrum vocauit. Propter hoc infra in gratiam Ariſtotelis præter omnium Theologorum, quod ſciam, opiniones, Licetus duas naturas angelorum inuexit. Vnam eorum, qui cęlum mouent iuxta 12. metaphyſicæ, alteram eorum, qui extra cęlum ſunt, de quibus in 1. de cęlo 100. ſcribitur "Neque quæ illic ſunt, nata ſunt in loco eſſe, neque tempus ipſa facit ſeneſcere, neque vlla traſmutatio vllius eorum eſt, quæ ſuper extima diſpoſita ſunt latione. Sed inalterabilia, & impaſſibilia, optimam habentia vitam, & per ſe ſufficientiſſimam perſeuerant toto æuo.,, Licet. Pag. 85. & 87.

Credat igitur aliquis illi propoſitioni: *Omnes angeli ſunt lux*, ideſt ſunt beati & cęleſtis Hierarchiæ: ſtatim adiunget Licetus, omnes tales ſunt optimam habentes vitam, ſunt impeccabiles, & intranſmutabiles: igitur omnes angeli ſiue naturæ motricis, ſiue non motricis ſunt in æternum beati, & impeccabiles. Quæ autem dicta ſunt cum Chriſtianis de lapſu, & pęnis angelorum, ſunt Chriſtianorum figmenta, & à me dicta ad plauſum populi; nam philoſophicè cum meo Magiſtro teneo, omnes *angelos eſſe cęleſtis ſtatus compotes*. Contendit Licetus Ariſtotelem fuiſſe Iudæum, atque etiam in Ariſtotele, & in Ariſtotelis ſententia Iudaiſmum fouet: nec multum abeſt à doctrina Rabbi Moyſis, qui ſolos illos angelos ponit, quos Ariſtoteles motores cęlorum poſuit.

Bal. Ne quæſo tàm facilè ſuſpiceris mala de viro Termaximo.

Matth. Vtinam non ita ſit. Vtinam nemo Theologiam hanc falſam à Liceto ebibat.

Bal. Sed interim ad Logicam reuertere, & argumentum Liceti, vt optimum recognoſce.

Matth. Reuertor, Atque primum dico à Liceto non eſſe formatum ſyllogiſmum, à te formatum eſſe enthymema.

Bal. Fateor, tale fuit. Angeli beati & cęleſtes ſunt lux, ergo ſtatim à creatione omnes Angeli ſunt lux.

Matth. Solnam hoc argumentum pro veritate. Antecedens agit de luce, quæ eſt *quale:* conſequens eſt cum particula, *ſtatim à creatione,* & ſignificat *quando;* quæ eſt fallacia figuræ dictionis in ſecundo modo ex mutatione prædicamentorum.

Secundò, eſt fallacia conſequentis, à minus communi ad magis commune cum diſtributione magis communis, iuxta Petrum Hiſpanum, & Doctorem Angelicum, vt ſi arguas. Homines ſtudioſi philoſophiæ ſunt docti, ergo omnes homines ſunt docti. Ita nunc arguit Licetus: Angeli beati ſunt lux, ergo omnes angeli ſunt lux.

Tertiò, eſt figura dictionis, mutata ſuppoſitione in tertio modo illius fallaciæ, nam in antecedēte eſt ſuppoſitio determinata, & ſubiectum antecedentis eſt hoc aliquid in reſpectu ad ſubiectum conſequētis, quod eſt quale quid: atque in conſequente accipitur vniuerſaliter, & diſtributiuè. Itaque proceditur à ſuppoſitione determinata ad confuſam, & diſtributiuam; & mutatur hoc aliquid in quale quid.

Quartò, eſt fallacia accidentis. nam *Angeli beati* in antecedente cum angelis in conſequenti ſunt partim idem, partim diuerſi propter accidens. Quod autem attribuitur toti per accidens attribuere ſubiecto ſoli, quaſi ſint totaliter idem, eſt fallacia accidentis, quemadmodum D. Thomas in libro de fallacijs.

Bal. Poſſumusne formare in ſyllogiſmum hoc enthymema?

Matth. Concluſio eſt vniuerſalis affirmatiua: omnes Angeli ſunt lux. Verùm iuxta regulam primi Priorum ſecto 3. cap. 1. non poteſt cōcluſio hæc probari, niſi in prima figura, primo modo. Tres termini ſunt *lux, Angeli,* & medius *Angeli Beati.* Propoſitio erat indefinita, angeli beati ſunt lux, quæ debet eſſe maior, quia maior extremitas in ipſa eſt, nempe prædicatum concluſionis: fietque ſyllogiſmus.

Omnes angeli beati ſunt lux.

Omnes angeli ſunt angeli beati.

Ergo omnes angeli ſunt lux.

In hac reſolutione minor eſt hæretica, ſicut & concluſio intellecta de luce beatitudinis. Si hæc reſolutio non videatur bona logico Liceto, reſoluat ipſe meliùs.

Obſeruatio Duodecima.

Matt. Lege iterùm ad pag. 2. Liceti lin. 21.

Bal. Vti conſtat ex Areopagita, cùm in opere de Diuinis nominibus,

nibus, tùm in cęleſti Hierarchia ſcribente "Frequenter angelos appellari nomine ſplendoris, luminis, & aſtrorum.,,In margine citatur cap.1. & 2. & ſeq.

Matth. ha ha he.

Bal. Quid adhoc rides?

Matth. Quoniam hæc pag.2 "non inuidet primæ. In 1.pag. prima citatio huius libri falſa eſt. In hac ſecunda pagina ſimul conglobatæ ſunt quatuor citationes falſæ. Legi enim conſultò primum, & ſecundum caput libri de diuinis nominibus, & libri de cęleſti Hierarchia: viſurus, an ſtellæ nomen, vel aſtri datum illic eſſet angelis à beatiſſimo Dionyſio Areopagita. Chriſto, Stellæ nomen datum eſt, angelis non eſt datum; ne mihi credas. librum tibi offero legendum, & offeram cuicumque volenti legere. Aliud eſt, ò Balde, iactare concilia, & patres, aliud veraciter patres, & concilia citare. Primum in cuiuſque hominis, vel otioſi literatoris poteſtate eſt. Secundum eſt hominis, multum laborioſi, & exercitati.

Addo, Sanctum Dionyſium cap. vltimo libri. de cęleſti Hierarchia collegiſſe per Theologiam ſymbolicam plurimas res ſenſibiles, per quas diuina ſcriptura nos eleuat ad cognoſcendam beatorum angelorum naturam, & acta. Sunt autem numero triginta ſex proprietates ignis: & quadraginta formæ corporum; prout Scholiaſtes in eum locum obſeruat. Nunquam tamen hanc rem ſenſibilem, quæ ſtella eſt, vel aſtrum angelis beatiſſimus Pater applicauit.

Bal. Quare de *aſtris* notaſti potiùs, quàm de ſplendore, aut lumine?

Matth. Quoniam Licetus textum Iob cap.38. *Cum me laudarent aſtra matutina*, & Apocalypſis 12. *trahebat tertiam partem ſtellarum*, adduxit ad probandum, quaſi angeli dicantur in hiſce ſcripturis aſtra, & ſtellæ. Scio aliquos viros doctos id affirmare. Scio item alios negare: propterea in hac parte ſtudium poſui. Non debuit tamen Licetus ex re dubia, & controuerſa probare concluſionem ſuam, *Omnes Angeli ſtatim à creatione ſunt lux*. quando enim per rem incertam probatur concluſio incerta, eſt petitio principij iuxta ſecundum priorum cap.21.

In eumdem offendunt lapidem probationes ex authoritate D. Auguſtini ex 11. de Ciuit. Dei cap.7. & 1. de Geneſ. ad literam cap.3. nam Auguſtinus loquitur dubitatiuè, conditionatè, disiunctè. Inquirit, non reſoluit. Ergo ex re incerta incertam probat Licetus. Indulgentiores ſimus. Dixerit Auguſtinus per cęlum ſignificari angelum informem, per lucem angelum formatum. At in loco Iſaiæ 45. per lucem intelligi angelum, Licetus dixit, Auguſtinus non dixit. Ergo ſpiritum proprium Licetus ſequitur, non ſpiritum Patrum.

Obſeruatio Decimatertia.

Bal. LIcetus in pag.3. lin.13. " Quia iſta creatio angelorum omnium, & confirmatio bonorum in gratia, & eiectio prauorum è cęlo facta fuit vno,& eodem die primo creationis vniuerſi mundi corporei, ſub nomine cęli, & terræ comprehenſi. "

Citat ad marginem D Thomam p.1.q.64. art.1.

Matth. Falſa citatio. Nil tale ibi D.Thomas.

Bal. Quid tu toties crimine falſi Termaximum ſapientum inſimulas ? Porrige primam partem D.Thomæ; non credam falsò citari,niſi hiſce oculis videam, hiſce manibus contrectem.

Matth. En librum. Eſto mihi alter Thomas non credulus, vt credas.

Bal. Legi,& relegi: nil tale continetur in illo Articulo, quale narratur à Termaximo. Fortaſſe aliquid citat ex antecedentibus, & conſequentibus. Sed ſermonis textura in artificio Termaximi viri,id non permittit.

Obſeruatio Decimaquarta.

Matt. TEmpus requirendi non deerit tibi, interea ego reperi aliam citationem falſam in eadem pag.3. lege lin.20.

Liceti. Bal. "Porrò ſicuti nomine lucis primum à Deo creatæ,myſticè ſignatur ab Iſaia vniuerſa natura angelica, quæ propter ſuum intellectum in actu, vel ab Ariſtotele comparatur aptiſſimè lumini, quod obtenebrarunt ſibi per culpam iniqui. "

Citatur in margine 3.de Anim. 18.

Matth. Quid tibi videtur, acute Balde ? Ariſtoteles in 3.de Anima loquitur ne de intellectu animaſtico,an de intellectu angelico ?

Bal. De intellectu Animaſtico ſine dubio, nam & intellectum animaſticum animæ humanæ comparat lumini. Poſtquam enim dixit in omni natura eſſe aliquid vt materiam,aliquid vt factiuum omnium, quæ ſpectant ad illud genus: concludit "Neceſſe eſt, & in anima has exiſtere differentias. Et eſt quidam talis intellectus, quia omnia fit: quidam verò, quia omnia facit, vt habitus quidam: quale eſt lumen. Ita in textibus 17.& 18. 3.de Anima.

Matth. Comparatur ergo ab Ariſtotele intellectus animaſticus cum intellectu animaſtico, factiuus cum materiali. & horum, intellectus faciens animæ aſſeritur eſſe quale lumen,quod potentia colores facit actu colores. Non comparatur ſiue aptiſſimè, ſiue ineptiſſimè intellectus angelicus, vel natura angelica lumini.

Bal. Tria hic mihi non placent. Primum, quòd in natura angelica ponat intelle-

intellectum agentem quale lumen: hoc enim vniuerſa Thomiſtarum ſchola reprobat. Secundum, quòd confundit intellectum in actu cum intellectu agente: id quod eſt contra textum. nam in textu 18. Ariſtoteles intellectũ agentem conſiderat,& lumini aſſimilat; in textu 19.& 27. tractat de intellectu in actu. Tertium, non eſt contra textum ſolummodo, ſed etiam contra fidem catholicam, ſcilicet confundere intellectum humanum cum natura angelica. Dicere enim intellectum agentem, vel intellectum in actu animæ humanæ eſſe naturam angelicam, vel angelum cum fide catholica non conſiſtit.

Matth. Intellectum animæ humanæ non eſſe intelligentiam ſeparatam, vel angelum, verum eſt. Quod Licetus dicit, eſt placitum Arabum, relatum à Iſoncinate in 12. Met. q. 58. Cardinalis Toletus in 3. de An. q. 14. cap. 147. col. 2. refert authores iſtius ſententiæ. "Marinus quidam Græcus ex Philopono putat intellectum agentem eſſe angelum quendam, qui eſt ſubſtantia inferior Deo, eſt tamen ſeparata. Vnde poſſibilem ponit eſſe in nobis non ſeparatum, agentem verò ſeparatum. Hoc ſequutus eſt Auempace in epiſtola de luce,& Auicen. 9. Met. cap. 4. Colchodeam enim illam dixit eſſe intellectũ agentem, & ſpecies facere in poſſibili: inter noſtros Caetanus Cardinalis. Hi enim omnes intellectum agentem ſeparatam ponunt ſubſtantiam præter Deum: quamuis Caetanus ſecundum Ariſtotelem ſolùm teneat." De qua opinione cenſuram tulit S. Bonauentura in 2. d. 24. q. 6. num. 43. "Modus iſte ponendi fundatus eſt ſuper verba philoſophorum, qui poſuerunt animam rationalem illuſtrari à decima intelligentia,& perfici ex coniunctione ſui ad illam; ſed iſte modus dicendi falſus eſt, & erroneus, ſicut ſupra improbatus fuit d. 8. nulla enim ſubſtantia creata potentiam habet illuminandi, & perficiendi animam propriè intelligendo: imò ſecundum mentem immediatè habet à Deo illuminari, ſicut in multis locis Auguſtinus oſtendit."

Bal. Iuſtè, ac ſolidè B. Bonauentura.

Matth. Diſtingue mecum. Vel ponit Licetus intellectum agentem, de quo Ariſtoteles, eſſe vnum Angelum in omnibus hominibus: vel in ſingulis hominibus ſingulos Angelos eſſe intellectum agentem, quale lumen. Si primum dicat: incidit in hæreſim damnatam à Concilio Lateranenſe ſub Leone decimo ſeſſione 8. Damnantur enim aſſerentes vnam animam in omnibus hominibus. Si ſecundum: incidit in aliam hæreſim, quæ aſſerit animas hominum eſſe angelos. Quam opinionem in Peripateticis multis eſſe, docet Sueſſanus libro 1. de dæmonibus cap. 5. & 6.

Bal. Animaduerto apud philoſophos quoſdam variari voces, non variari rem. Statuunt in homine duas formas, vnam aſſiſtentem,& hanc immortalem, atque vnam in omnibus hominibus; alteram informantem, ac mortalem,& multiplicatam ex multiplicatione corporum.

rum. Primam vocant, aliquando Deum, aliquando ſubſtantiam ſeparatam vt angelum, quandoque intellectum agentem, quandoque poſſibilem, quandoque animam intellectiuam. Sed re vera eſt vna forma aſſiſtens in omnibus quomodocunque Vertumni ſe vertant. At ſecundam formam, quæ internè conſtituit hominem, mortalem dicunt, & multiplicatam, & informantem. Nomina vertunt: nunc eam appellant cogitatiuam, nunc intellectum poſſibilem, aliàs animam. Sed res eadem eſt; nempe anima hominis eſt mortalis, ſubſtantia ſeparata eſt immortalis, & vna in omnibus.

Denique orta eſt noua opinio, quæ ponit animas hominum eſſe angelos immortales, & ex peripatetica officina orta eſt, ad negandos angelos, & dæmones. Quam, præter Sueſſanum, attigit quadantenus Iodocus Coccius in theſauro catholico lib.4. art.1. car.128.

Matth. Mihi ratum eſt, intellectum illum ab ariſtotele comparatum lumini, non eſſe naturam angelicam, vel angelum, ſiue vnum in omnibus, ſiue ſingulum in ſingulis hominibus. Aliud enim eſt anima, & eius duplex intellectus; aliud natura angelica. Itaque in hac obſeruatione duo ſunt notata, primum eſt falſa citatio textus, qui loquitur de intellectu humano, & falsò citatur eſſe loquens de intellectu angelico. Secundum eſt introductio falſi dogmatis in philoſophia, & in Theologia, quòd intellectus agens illuminans animam ſit natura angelica.

Obſeruatio Decimaquinta.

Matt. SEd amabo, ne graueris relegere eandem periodum in pag.3. lin.20.

Bal. Libenter. "Porrò ſicuti nomine lucis primùm à Deo creatæ myſticè ſignatur ab Iſaia vniuerſa natura angelica, quæ propter ſuum intellectum in actu, vel ab Ariſtotele comparatur aptiſſimè lumini, quod obtenebrarunt ſibi per culpam iniqui."

Matth. Interrogo, an Licetus intelligat hic homines iniquos, de quorum intellectu, veluti lumine, diſſerit Ariſtoteles?

Bal. Nequaquam: ſed ſub intelligitur nominatiuus caſus *Angeli iniqui.*

Matth. At nominatiuus *Angeli* nō eſt ſcriptus à Liceto in hac periodo: ſed ſubſtātiuum illius adiectiui *iniqui* eſt *natura Angelica*; nec alium caſum reperies, qui poſſit regere adiectiuum *iniqui*.

Bal. Euax. *Natura Angelica iniqui*: eſſet ſolæciſmus, & diſcordantia puerilis in genere, & numero: quod à præſtantiſſimo noſtri temporis Philologo longiſſimè abeſt.

Matth. Quantumuis ſit ſolœciſmus, alius nominatiuus non regit adiectiuum *iniqui* in epiſtola Liceti, niſi *natura Angelica*. Reprehendit alios in grammatica, vt licentiùs Licetus erret in grammatica.

Obſeruatio Decimaſexta.

Matth. IN pag.3. lin.7.8.9. Angeli boni lux, praui tenebræ aſſeruntur. Infra ſub lin.20. Vniuerſa natura angelica lux dicitur. Quomodo cohærent, vniuerſa natura angelica eſt lux; & non vniuerſa? Nam angelica natura integra manet, etiam in angelis prauis, prout Beatus Thomas 1.p.q.64. art.1. cum S.Dionyſio Areopagita ſtatuit.

Bal. In æquiuoco laborat hæc obiectio: aliter dicitur *lux* in vniuerſa natura, aliter in bonis angelis.

Matth. Ne in me conferas culpam, qui hanc æquiuocationem non induxi, ſed Licetus, cuius dicta retuli. Et ipſe argumentatur ab æquiuoco ſic: Angeli boni ſunt lux, ſcilicet in vno ſignificato: ergo omnes angeli ſunt lux in alio ſignificato.

Bal. Poſteaquam notas æquiuocationem in luce, nota & in tenebris.

Matth. Libentiſſimè. Dum anima rationalis nomine tenebrarum indicatur à Liceto ſub prætextu Iſaiæ: & inſuper angeli praui tenebræ ſunt, vt in eadem pag.3. legis. Si tenebræ accipiantur vniuocè, ſequitur, vt angeli praui, & anima ſint eadem creatura: incurriturque error Origeniſtarum dicentium, angelos propter peccatum detruſos in corpora, & quoſdam in corpora humana eſſe, vt in carcerem conſtrictos: hoſque eſſe animam. Si æquiuocè accipiat tenebras, palam eſt, non eſſe ludendum æquiuocatione in re tam ſeria, quàm eſt oraculum diuinum.

Bal. Vin dicam, quod ſentio?

Matth. Quis vetat?

Bal. In 4.pag. ſcribit Termaximus, lumen, ac tenebras opponi priuatiuè: tenebræ enim ſunt priuatio luminis in ſubiecto apto illuminari; atqui angelus, & anima rationalis non ſunt habitus & priuatio: ergo ſi angelus eſt lumen & lux, anima non eſt tenebræ; præſertim cum D.Hieronymus dixerit, lucem & tenebras eſſe contrarias: videlicet contrarietate extenſa ad oppoſita priuatiuè. Sed angelus, & anima non ſunt contraria, non ſunt priuatiuè oppoſita, non ſunt nata fieri circa idem ſubiectum ordine regreſſibili, aut irregreſſibili: igitur expoſitio iſthæc valde nutat.

Matth. Liceto omnia licent, quantum video, dicam tamen cum B.Paulo Apoſtolo, omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. 1.Cor.6.

Obſeruatio Decimaſeptima.

Bal. EX Liceto pag.3. lin.26. „Ita nomine tenebrarũ præter angelos malos, nõ ineptè myſtica pariter interpretatione ſignatur

animæ rationales in ſui productione.nam hæ ſtatim in actu ſuæ creationis corporibus infunduntur à Deo penitus ignaræ, cunctis cognitionum luminibus priuatæ, ceu raſæ tabellæ ſingulæ, in quibus, & ait Ariſtoteles,vt nihil actu viſibile mentis oculo depictum, nihil actu intelligibile deſcriptum.

Citatur Ariſt.3. de Anima 13. pro tabella raſa.

Citatur in 1.Ethicorum cap.6. pro mentis oculo.

Matth. Duplex eſt error in citatione 3.de Anima; primus eſt, modicus memoriæ lapſus; citauit 13. textum pro 14. Secundus eſt grauior. Licetus legit Ariſtotelem publicè, ac priuatim ſupra quadraginta annos. Explicauit ſæpius publicè,ac priuatim 3.de Anima, ſed tam oſcitanter, ne dicam dormitanter: vt non aduerterit in textu Latino, aut Græco particulam *raſa* non inueniri. Profitetur peritiam Græci ac Latini eloquij: ſed neque in textu Latino vulgato, nec in textu Græco adeſt vox *raſa*: cum periti Græcè, & Latinè, Franciſcus Piccolominus, & Theophilus Zimara notent in Græco adeſſe vocem *grammateio*, quæ ſignificat tabellam literariam, in qua nihil ſcriptum ſit, ſed ea parata ſit ad ſcribendum.

Tertius error. Cæterùm tertiò plus aberrat. quoniam valde differunt anima,& potentiæ. Sit hoc tertium tanquam auctarium pro corollario. Anima rationalis eſt vna, potentiæ plures, vt intellectus, voluntas motrix. Anima ſubſtantia eſt; de potentijs, an ſint ſubſtantia,an accidens: an ſint eędem realiter inter ſe,& cum anima,an non: grandis eſt controuerſia inter Peripateticos. quod te noſſe arbitror.

Bal. Noui equidem.At Ariſtotelis textus eſt de intellectu,ideſt de potentia: Licetus citat de anima. Relego textum 14.“An pati quidem ſecundum commune aliquid diuiſum eſt prius? quoniam potentia quodammodo eſt intelligibilia intellectus, ſed actu nullum, antequam intelligat. Oportet autem ſic, vt in tabula, in qua nihil eſt ſcriptum actu, quod quidem accidit in ipſo intellectu.„

Obſeruatio Decimaoctaua.

Matt. Similis error citationis eſt in alio loco citato ex 1. Ethicorum cap.mihi 4.Sed cap.6.apud Licetum.“Nam (inquit Ariſtoteles) “Quemadmodum in corpore eſt viſus, ſic in anima eſt mens„ Ariſtoteles comparat mentem viſui, Licetus fideliſſimè citans Magiſtrum ſuum, comparat oculo.

Bal. An ne idem ſunt viſus, & oculus?

Matth. Minimè quidem. Lege textum 9. 2.de Anima,& intelliges,viſum eſſe formam, oculum materiam ipſius viſus. “Si enim eſſet oculus animal, anima vtique ipſi viſus eſſet. Hic enim eſt ſubſtantia oculi, quæ ſecundùm rationem, oculus autem materia viſus eſt. „Dic tu,

Balde,

Balde, ſi ſint idem & re ipſa, materia, & forma? Imò Ariſtoteles dicet non eſſe idem in 1. phiſ. 81.

Bal. Magnopere differunt, & ſanè non eſt probabile oculum pro viſu, materiam pro forma ſubſtitui.

Matth. Ariſtoteles formam formæ comparat, viſum menti: vel ſaltem principium actiuum principio actiuo. Sunt enim actus, & formæ, tùm viſus, tùm mens. Aut viſus eſt principium videndi, mens intelligendi. Diſcriminantur aliquo modo, ſed hoc quærere eſt ab inſtituto noſtro alienum.

Obſeruatio Decimanona.

Matt. SVper particulam, quam Legiſti ex pag. 3. lin. 26. obſeruatæ ſunt citationes: nunc obſeruanda eſt doctrina. Licetus tractat de prima rerum creatione, & de quatuor creaturarum generibus: atque ideò de anima, prout eſt in ſtatu primo ſuæ naturæ. Dicam cum Doctore ſubtili quodlib. 14. A. tres eſſe ſtatus naturæ humanæ, ſcilicet naturæ inſtitutæ, deſtitutæ, reſtitutæ. Ariſtoteles egit de anima hominis pro ſtatu naturæ deſtitutæ. Credidit Philoſophus hunc ſtatum eſſe naturalem, qui eſt pœnalis, prout notauit S. Bonauentura in 2. d. 30. q. 1. quemadmodum & Scotus docet in quolib. 14. P. dici debere à Theologo. At in creatione animæ maximè ſpectanda eſt natura inſtituta: talis quippe eſt dicenda vnaquæque res abſolutè, qualis eſt in ſtatu perfecto, non in imperfecto. Omittamus ſtatum naturæ reſtitutæ per gloriam, quia eſt ſimpliciter ſupernaturalis. Agit Licetus de creatione, & creatura, quæ eſt anima rationalis. Appellat animam rationalem nomine *tenebrarum*, ſed probat authoritatibus Ariſtotelis magiſtri ſui dicens. "Infunduntur à Deo penitus ignaræ, &c. vt ait Ariſtoteles, nihil actu viſibile mentis oculo depictum, nihil actu intelligibile deſcriptum, ſed potentia tantum quemadmodum in tenebris colores actu viſibiles non ſunt vt in lumine, ſed poteſtate tantum, eodem *magiſtro*." Probat ex authoritate Ariſtotelis 3. de Anima 14. in pag. 3. Sed in pag. 4. lin. 16. per librum ſecundum Metaph. text. 1. & lin. 26. per ſecundum de anima text. 151. ergo nihil faciunt hæ probationes. Sunt enim de ſtatu pœnali, non de ſtatu naturali: ſpectant ad naturam deſtitutam propter peccatum, non ad inſtitutam. Pag. 35. l. 29. Ariſt. Magiſt. 36. li. 22.

Bal. An propter peccatum impeditur animæ intellectus?

Matth. Impeditur à cognitione, tùm Dei, tùm creaturarum: attende S. Auguſtinum in 15. de Trinitate cap. vltimo ingemiſcentem. "O tu anima mea, vbi te eſſe ſentis? Vbi iaces? Vbi ſtas? donec ab eo, qui propitius factus eſt omnibus inquinamentis tuis, ſanentur omnes languores tui, &c. quæ igitur cauſa eſt, cur acie fixa ipſam (ve-

ritatem) videre non poſſis, niſi vtique infirmitas? & quid tibi eam fecit, niſi iniquitas? „

Idem in primo Retractationum retractat illud. "Ita comparatum eſt, ſiue pro meritis noſtris, ſiue pro neceſſitate naturæ, vt diuinam animam mortalibus inhærentem nequaquam philoſophiæ portus excipiat.„Retractat ſic. "Aut nihil horum duorum dicendum fuit,quia etiam ſic ſenſus poſſet eſſe integer: aut ſatis erat dicere *pro meritis noſtris:* ſicut verum eſt,ex Adam tracta miſeria, nec addere *pro neceſſitate naturæ*. Quandoquidem naturæ noſtræ dura neceſſitas, merito præcedentis iniquitatis exorta eſt. „huc vſque Auguſtinus.

Amplius Beatus Bonauentura in 3.d.14.q.8. oppoſito 3. affert modum cognoſcendi ab Ariſtotele traditum in 2.Poſt. vltimo, & 1.metaph. cap.1. dicens. "Chriſtus plantauit in noſtra natura,vt ex multis ſenſationibus fiat vna memoria, ex multis memorijs vna experientia, ex multis experientijs vnum vniuerſale, quod eſt principium artis,& ſcientiæ. Reſpondet in eadem quæſtione ſub num.57.

"Duplex eſt modus cognoſcendi per experientiam. Vnus,qui eſt via in acquiſitionem ſcientiæ. Alius verò, qui eſt via in exercitium ſcientiæ, vt quod prius ſciebatur theoricè, poſtmodum ſciatur practicè. Et primus modus experientiæ reperitur in ſcientiæ inuentione. Secundus vero conſiſtit in vſu ſcientiæ iam adeptæ. Et in primo eſt motus ab incognito ad cognitum. In ſecundo verò eſt via,ſiue proceſſus à cognito vno modo,vt cognoſcatur alio modo. Et primus modus reſpicit imperfectionem naturæ lapſæ propter ignorantiam annexam. Secundus verò reſpicit ſtatum innocentiæ,in quo habitus ſcientiæ præceſſiſſet vſum, & cognitio ſimplicis notitiæ præceſſiſſet cognitionem experientiæ: & iſte modus fuit in Chriſto, & non alius: quia ſicut infra patebit, de ſtatu naturæ lapſæ, Chriſtus non debuit aſſumere defectum ignorantiæ. Philoſophus in prædicto progreſſu cognitionis procedit ſecundum ſtatum naturæ lapſæ, quod in Chriſto non oportet reperiri. „

Bal. At Licetus quoque pag.4. ex priuilegio particulari protoparentis animæ rationali ſtatim à creatione Deum rerum omnium ſcientiam infudiſſe, docet authoritate D.Thomæ.

Citatur ad marginem 1.p. q.93. art.3.

Matth. Hæc citatio D.Thomæ in 4.pag. falſa eſt. etenim in q.93. art.3. S.Thomas hoc non dicit; Verum Ludouicus Molina de operibus ſex dierum diſputat.25.ſequutus D.Thomam & communem Doctorum ſententiam ait: vtrumque primum parentem conditum fuiſſe plenum ſcientia,& ſpeculatiua,& practica, quam de rebus naturalibus potuiſſent acquirere. Addit hoc eſſe dictum cum D.Thoma 1.p.q. 94.art.3. quem locum legere debuiſſet Licetus, ſi citare volebat. Extendit Molina hanc doctrinam ad ſpecies intelligibiles,& habitus ſcientiarum: quin etiam ſpecies ſenſibiles in ſenſorijs internis primos

S. Bon. 3. d. 14. q. 7. num. 47. de ſpecieb. in fund.

mos parentes vnà cum natura accepiſſe, aſſerit. Inſuper & cognitionem ſupernaturalium, quæ ad ſalutem neceſſaria eſſent. 2. illius quæſt. in q. 8. n. 57 de habitib. ſcientiarum hoc dicit.

Sed & ſcriptura diuina in Eccleſiaſtico 17. docet, à Deo creatum hominem de terra, Euam de homine, & in verſ. 5. ſic ait. "*Creauit ex ipſo* (homine) *adiutorium ſimile ſibi. Conſilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi; & diſciplina intellectus repleuit illos. Creauit illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu repleuit cor eorum, & bona & mala oſtendit illis.*"

Mirandumque eſſet, ſi Deus corpora primorum parentum creauiſſet perfecta in ſtatura, & ſtatu (Dei enim perfecta ſunt opera) creatis verò, aut factis animabus non concreauiſſet perfectiones, quales ſunt ſpecies intelligibiles rerum ſpectantium ad ordinem vniuerſi, & habitus ſcientiarum naturaliter acquiſibilium, & alia multa; propterea inquit ſcriptura; "Creauit illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu repleuit cor eorum, & bona ac mala oſtendit illis."

Corollarium eſt. Licetum falsò dixiſſe ſpeciali priuilegio primo parenti fuiſſe datam ſcientiam, vel ſoli animæ eius, vt pag. 4. lin. 3. *Vni protoparentis animæ.* cum hoc idem datum fuerit Euæ. Verumtamen, vt cognoſcamus luculenter conditionem naturæ noſtræ inſtitutæ, adijciam Doctorem Eccleſiæ Mirabilem S. Bonauent. in 2. d. 23. q. 4. num. 22. dicentem. "Perfectio autem cognitionis in Adam erat ex dono; & ſi ſtetiſſet non ſolùm in ipſo, ſed etiam in poſteris non indoctè creditur à pluribus, ſimiliter fuiſſe futurum, ſaltem quantum ad habitum, & hoc dico propter cauſam infantiæ." Eandem veritatem docet fuſius in 2. d. 20. dub. 6. literali num. 7. Sicut igitur Adam iuſtitiæ originalis donum, ita donum ſcientiæ in poſteros tranſmiſiſſet: tanquam donum naturæ, non tanquam priuilegium perſonæ.

Bal. Sine, oro te, vt legam Liceti ſcripta, & conſiderem, an hæc tua dicta cum illius dictis congruant. Dixit animas rationales omnes infundi in corpora, ſed penitus ignaras. At in pag. 4. lin. 2. ſcribit Licetus licet priuilegio quodam ſpeciali Deus vni protoparentis animæ rationali, ſtatim à creatione rerum omnium ſcientiam infuderit, vt obſeruat D. Thomas "Doctrina S. Bonauenturæ directè contraria eſt doctrinæ Liceti: Licetus vult vni animæ Adami ex priuilegio ſpeciali infuſam eſſe ſcientiam. D. Bonauentura tradit hoc fuiſſe futurum commune Adamo, & omnibus naſcituris in ſtatu innocentiæ. Diſſentanea quoque eſt, quia Beatus Bonauentura in ipſo creationis momento ſcientiam datam aſſerit Adamo. Licetus ſtatim à creatione.

Matt. Nec S. Thom. 1. p. q. 94. art. 3. conſentit cũ Liceto. Etenim D. Thom. dicit in momẽto creationis hominem à Deo perfectũ factũ eſse ſecũdum corpus, vt poſset generare: ſecundũ animã, vt poſset inſtruere

& ſal-

& ſaluari. Item B.Doctor non dicit omnium ſcientiam eſſe infuſam Adamo,ſed neceſſariorum ad ſalutem,& regimen."Quę autem neutra ſunt, eorum cognitionem infuſam non aſtruit, ſed negat.

Obſeruatio Vigeſima.

Bal. VIn pergam legendo?

Math. Imò incipe à pag.3. lin.31. dicta de animabus in actu creationis eorum.

Ariſt.magiſter. pag. 35. lin. 29. 36. lin. 32.

Bal."In quibus,vt ait Ariſtotiles nihil actu viſibile mẽtis oculo depictum, nihil actu intelligibile deſcriptum, ſed potentia tantùm, quemadmodum in tenebris colores actu viſibiles non ſunt vt in lumine, ſed poteſtate tantum eodem magiſtro.„

Matth. Si Licetus tamquam Philoſophus in philoſophia ſcriberet,& Ariſtotelem magiſtrum ſuum appellaret: approbarem. Sed nunc Theologum agens theologica tractat. At in hac epiſtola ſua,& ſimilibus Theologicis ſępè appellauit magiſtrum Ariſtotelem,vt hic: cum & in omnibus,& in rebus ſacris in primis Chriſtum appellare magiſtrum debuerit dicentem, *Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus* Matth.23. Ita comparatum eſt, vt faſtu philoſophico Ariſtotelem, magiſtrum & Dei,& Chriſti quidam velint eſſe.Quam rem improbari à Sanctis Patribus, ait Melchior Cano de locis Theologicis lib.9. cap.9. car.519.

Cano. "Illos etiam damnant, qui philoſophiam Euangelijs præferunt, quibus Auerroes Paulus eſt, Alexander Aphrodiſeus Petrus, Ariſtoteles Chriſtus, Plato non diuinus,ſed Deus. Cuiuſmodi nos ipſi præſertim in Italia vidimus multos,qui,ſcriptura ſacra neglecta,ad horum philoſophorum doctrinas, tamquam a d Sirenum ſcopulos adhærebant: poſtque Galeros etiam, & infulas, non prophetas, non Apoſtolos, non Euangeliſtas: ſed Cicerones, Platones, Ariſtoteles perſonabant.„

Ioannes Franciſcus Picus Mirandulanus in examine lib.4. id ipſum deplorat in eius libri proęmio pag.110. facie 2. "Feram ego, inquit, Chriſtianus homo, inter Chriſtianos ipſis ſub oculis & propalam Chriſti Euangelio vel præferri, vel æquari Ariſtotelea volumina? Adeò exculta,æſtimata adeò,vt non difficulter aliquem reperias ex ſuperbis literarum cultoribus, qui Ariſtotelicum ſe, quàm Chriſtianum dici non ambiat: eam enim docti,& inſignis viri, hanc rudis, & plebei nomenclaturam autumant; adeò rudes,& veræ prorſus rationis egẽtes ſunt; inde allucinati,quòd certa omnia apud Ariſtotelem,firma omnia,& inconcuſſa putent ſic,vt nihil certius,nihil veritate fultum magis poſſit inueniri. „Sic Licetus pro magiſtro Ariſtotelem recognoſcit etiam in rebus Chriſtianis tradendis. Tantæque dignitatis exiſtimet Ariſtotelicam peritiam, vt non ſolùm

pro

pro magiſtro Ariſtotelem vocare dignetur: ſed nec indignum ducat ſe diſcipulum fuiſſe in Ariſtotelica diſciplina. Verùm in doctrina Chriſti nunquam fuit, nullius fuit diſcipulus; doctorem tamen ſe Theologiæ doctorum ſuperius dixit.

Cæterùm Andreas Camutius in lib.3. de humano Intellectu cap.20. corripit philoſophiæ magis addictos, quàm Theologiæ. Sic ad pag. 112. "Non adducam hic affflatos diuino ſpiritu, ſicut Paulum dicentem: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto; quod nimirum mihi diſſidium interceſſerit & cum Ethnicis, & cum Chriſtianis philoſophis. Sed tamen (vt ſapere magis videantur) Chriſti Domini placita negantibus: qui ne pœnam vita dignam luant, tanquam philoſophos ſe loqui prædicant, cum alioquin eorum aliquot ſe fideles tantùm fingant, re vera autem nihil credunt." Non ego reprehendo ſtudium rerum Ariſtotelicarum, ſed ſtudium immoderatum erga Ariſtotelem. Non dico Licetum eſſe talem, vt non ſit fidelis; ſed dico in rebus ad fidem ſpectantibus debuiſſe Licetum Chriſtum, & Chriſti Vicarium vt Magiſtros ſequi, & inuocare potiùs, quàm Ariſtotelem paganum. Camutius.

Obſeruatio Vigeſimaprima.

Bal. PRoſequar lectionem ex pag.4.lin.4. "Primo tamen inſtanti ſuæ creationis, vt alias omnes deſcendentium aſſidue (ſola Chriſti Saluatoris anima excepta) produxit Deus ignaram animam Adæ priuatam omni lumine cognitionis actualis in tenebris ignorantiæ puræ negationis, adeoque tenebroſam. quippe tenebræ nihil aliud ſunt Ariſtoteli quàm priuatio luminis in ſubiecto apto illuminari."

Matt. In Primo creationis inſtanti anima Adæ fuit à Deo repleta ſcientijs iuxta ſanctos Doctores Thomam ac Bonauenturam, & eorum ſequaces: non ergo fuit Adæ anima creata in tenebris ignorantiæ, ſicut nec anima Euæ. Etenim producta mulier probè intellexit idioma viri loquentis, *hoc nunc os ex oſſibus meis, &c.* probè intellexit ſermonem ſerpentis, *quare præcepit vobis Deus, &c.* intelligebat voces, quas reſpondit: *de omni ligno Paradiſi veſcimur.* Ergo fuit Euæ concreata ſcientia illius idiomatis.

Bal. Infuderat Deus cognitionem habitualem in animabus Adæ, & Euæ. Ter maximus autem negat in eis primo inſtanti creationis eorum cognitionem actualem.

Matth. Qua ratione probat, animam Adæ, nullam intellectionem actualem tùm, cum facta eſt, habuiſſe? Reminiſci oportuit Magiſtri ſui in 8.ph.15. exclamantis." non oportet ponere, neque cenſere vllam ſententiam irrationabilem, ſed aut inductionem, aut demonſtrationem afferre."

Bal.

Bal. Num ſingulorum verborum ratio eſt afferenda? in infinitum enim erit abitio.

Matth. Hoc eſt peculiariter intentum, angelus dictus eſt lux, quia primo inſtanti creationis actu ſpeculabatur, pag. 2. lin. 15. Liceti. Anima tenebroſa, quia primo inſtanti nullam intellectionem actualem haberet. Igitur hoc ex principaliter intentis erat probandum.

Sed tamen conditionem habitus, & priuationis conſideremus: ſunt nata fieri circa idem, & determinato tempore. Si primo inſtanti anima Adæ priuata erat omni lumine cognitionis actualis, ergo illo inſtanti poterat habere cognitionem actualem, ſicut angelus habuit primo inſtanti. Cur ita angelus aſſeritur habuiſſe, anima non habuiſſe lumen cognitionis?

Bal. Liceti, Grauiſſimi philoſophi, ac Theologi authoritas ſatis eſt.

Matth. Doctor ſubtilis in 3. d. 18. q. 1. E. probat Chriſtum Dominum potuiſſe mereri in primo inſtanti; quia "Omne habens actum primum perfectum, & obiectum præſens in ratione obiecti, ſi non impeditur, & non ſit actus eius ſecundus ſucceſſiuus, ſed permanens, poteſt agere pro quocumque inſtanti, ſi omnia iſta concurrunt. Quia non plura requiruntur ad actum. Et hæc omnia fuerunt in Chriſto in primo inſtãti conceptionis, ſcilicet potentia perfecta per gratiam, obiectum præſens per intellectum, ſcilicet tota Trinitas, cui poterat velle bonum propter ſe, & non impediebatur; & actus volendi eſt permanens, ergo &c.

Hæc ratio Scoti magis concludit de Adamo in primo inſtanti ſuæ creationis accepta eadem maiori ſic.

Omne habens actum primum perfectum, & obiectum præſens in ratione obiecti, ſi non impeditur, & non ſit actus eius ſecundus ſucceſſiuus, ſed permanens: poteſt agere pro quocumque inſtanti.

Sed Adæ anima in primo inſtanti ſuæ creationis habuit intellectum vt actum primum perfectum, & præditum habitu ſcientiæ infuſo, ac ſpeciebus intelligibilibus repletum; habuit obiectum ſiue ad cognitionem abſtractiuã præſens in ſpeciebus intelligibilibus; ſiue ad cognitionem intuitiuam habuit propriam eſſentiam in ſe exiſtentem, & præſentem intellectui coniunctam, & actus intelligendi eſt permanens, non ſucceſſiuus; impedimentum verò infantiæ in pueris iactari poteſt, in Adamo nequaquam, vt potè creato in ſtatu virili, & perfecto: nec impedimentum culpæ, aut pœnæ obijci poteſt: erat enim innocens in primo inſtanti.

Igitur omnia requiſita in Adamo concurrunt, vt potuerit intelligere primo inſtanti creationis, quare & intellexit.

Bal. Nego vltimam conſequentiam.

Matth. Probo. Actiuo, & paſſiuo naturalibus, diſpoſitis, approximatis, & non impeditis, neceſſariò ſequitur actio: quia agunt, in quantum poſſunt, & actio ab eis ſolis dependet. at verò ex parte animæ erant

intel-

intellectus agens,& poſſibilis,vt paſſiuum & actiuum, naturale, approximati ſatis in anima; & cum intellectu concurrebat eſſentia animæ tanquam obiectum intuibile,atque ſpecies intelligibiles infuſæ, tanquam actu intelligibiles. Erant item ſatis diſpoſiti per habitum ſcientiarum infuſarum non ſolùm ad agendum,ſed ad perfectè agendum: nullumque impedimentum vel naturæ, vel moris obſtitit in illo inſtanti, ergo in illo inſtanti habuit actum intelligendi.

Recole,quæ dicta ſunt de igne in 8.ph.32.ſtatim enim,atque eſt in actu primo,vrit & operatur, niſi quid impediat. Sic in 2.de Anima 55. 56. actu ſciens contemplatur, aut in contradictione eſt.Si ergo ignis, quo momento eſt,& fit,facit lumen: cur non & intellectus cum obiecto coniunctus, faciet lumen intellectionis actualis?

Bal. Probabilia hæc videntur.nec auſim ego plus virium tribuere igni,vel ſoli, quàm lumini intellectus agentis præſente obiecto. Scitè Auguſtinus in 9.de Trinit.cap.vltimo, *ex cognoſcente,& cognito pariter notitia.* Poſitis igitur duobus luminoſis obiecto,& potentia primo inſtanti creationis Adæ, non video, cur lumen intellectionis actualis non ſit partum. Sol momento ab oriente in occidentem illuminat orbem per ſecundum de anima 70.quidni & intellectus agens cũ obiecto præſente illuminet intellectum poſſibilem actuali intellectione?

Matth. S. Bonauentura 2.d.3.q.8.num.52.reſpondens ad 3.cum Sancto Auguſtino concedit,quòd ſi lux eſſet æterna,& lucere,& ſplendor eſſet æternus. Sed ſubſtantia intellectualis eſt maioris actualitatis, aut ſaltem non minoris: ergo ſubſtantia intellectualis habebit effectũ ſibi coæuum,videlicet intellectionem actualem. Si oculus etiam cum ſpecie viſibili ſimul eſſet creatus,ſimul eſſet, & videret; ergo & intellectus Adæ cum ſpecie intelligibili creatus, multò magis intelliget. Ad hæc argumenta de angelo facta,concedit Doctor ſanctus in reſponſione,quòd eodem momento lux,& operatio eius eſſent:oculus cum ſpecie ſimiliter,& eius operatio eſſent. Quæ ratio etiam de intellectu hominis pro ſtatu naturæ inſtitutæ efficaciſſimè concludit. Nam ſi oculus Adæ creatus lumine ſolis circumfuſus,vidit eodem momento: & intellectus ſimiliter ſpecie intelligibili, & habitu ſcientiæ ornatus eodem momento intellexit.

Bal. Dixiſti,animæ eſſentiam ab intellectu ipſius animæ Adami potuiſſe intelligi primo momento; id cum experientia pugnat, quandoquidem intellectus, & difficillimè,& poſt aliorum intellectionem animum proprium intelligit.

Matth. Reſpondet Scotus 2.d.3.q.8. ad 1. quia intellectus pro ſtatu iſto impeditur, ne quicquam immediatè intelligat,niſi virtute ſenſuum, & ſenſibilium. Id prouenit quoniam intellectus eſt alligatus ad ordinem potentiarum, vt inferiores prius agant.

Bal. Quare intellectus eſt alligatus.

Matth. Reſpondet ſubtilis Doctor ex Diuo Auguſtino, Boetio, & Lin-conienſi; id eſſe propter peccatum; id quod ſuperius quoque dixi. Iuſtè quidem intellectus eſt alligatus; ex lege ſapientiæ enim *per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* Homo autem concupiuit eſſe, ſicuti Dij, ſciens bonum & malum; ſed concupiuit beneficio obiecti ſenſibilis, de quo audiuit laudes, vidit pulchritudinem, olfecit ſuauitatem, lenitatem tetigit, ſaporem guſtauit; damnatus eſt igitur, vt à ſenſibili obiecto ſcientiam emendicet. Et qui Deo ſimilis eſſe voluit iniuſtè, iuſtè ſimilis factus eſt mutis animalibus.

Sap. 11.

Obſeruatio Vigeſimaſecunda.

Bal. LIcetus pag. 4. lin. 10. "nunquam vero tenebris ignorantiæ fuit obſcurata Chriſti Redemptoris anima, quæ vel in actu ſuæ creationis verbum ſibi vnitum habuit hypoſtaticè, cum quo nulla poteſt eſſe ignorantiæ tenebroſitas. Cum eſſentialiter ſit æterni Patris ſapientia, & veritas."

Matth. In his dictis quatuor occurrunt. Primum eſt, quia ſicut ſuperius Adamo conſortem Euam diximus, in adeptione ſcientiæ infuſæ momento primo creationis eorum: ſic in Chriſto, & Chriſti ſacratiſſima Matre dictum optauiſſem; vt ſcilicet quo primo creatæ ſunt momento, diuinitus ſint aſſequutæ ſcientiæ plenitudinem, atque actum intelligendi, & amandi circa Deum exercuerint, quamquam aliter.

Bal. Placet pietas erga Deiparam. Sed forte Doctor Termaximus exiſtimat Deiparentem excipi non poſſe, aut non debere.

Matth. Si hoc eſſet impoſſibile in anima genitricis: eſſet etiam impoſſibile in anima geniti filij hominis. Si autem poſſibile eſt Deo hoc exercere in anima vna, planè & in alijs animabus eſt poſſibile. Decuit autem non concedere plus Euæ in primo inſtanti, quàm Mariæ. Decuit, vt, quæ maximè omnium accedit ad Deum Verbum incarnatum, plenum gratiæ & veritatis, de cuius plenitudine nos omnes accepimus: maximè omnium gratia, & veritate repleretur, tùm intenſiuè, tùm extenſiuè, iuxta B. Hieronymum declarantem illud ſalutationis angelicæ *Aue gratia plena.* Subdit Hieronymus: "Et benè plena, quia cæteris per partes præſtatur, Mariæ verò ſimul ſe totam infudit gratiæ plenitudo "& infra "In Mariam vero totius gratiæ, quæ in Chriſto eſt, plenitudo venit, quanquam aliter"

Bal. Vtrumque contradictorium cum pietate ſubſtineri cenſeo, tranſi ad ſecundum.

Matth. Secundum, eſt Liceti dictum: non poſſe cum vnione hypoſtatica ad Verbum eſſe in anima Chriſti ignorantiam. Hoc exigent Scotiſtæ confœderati cum Liceto. Scotus certè putat humanitatem verbo

bo vnitam hypoſtaticè poſſe eſſe vnitam, & tamen non intelligere actu, vel frui, de qua re in 3.d.2.q.1. fortiſſimè Scotus.

Sanctus Bonauentura quoque in 3.d.14. q.6. num.37. "Vnio, (inquit, in Verbo) non facit diuinam naturam cognoſci ab humana, inquantum vnio: ſed gloria comprehenſoris. nam caro eſt vnita Verbo quamuis non cognoſcat Verbum, „Similia in eadem diſt.14. q.1. num.7. & num.9.

Bal. Quid tertium obſeruas?

Matth. Omniſcientiam actualem tributam animæ Chriſti. Compara intellectum Verbi, & intellectum animæ. Intellectus Verbi eſt infinitus, & vnica intellectione infinita intelligit omnia intelligibilia infallibiliter, inuariabiliter. Intellectus animæ eſt finitus: nec poteſt infinitis multitudine intellectionibus ſimul omnia intelligibilia intelligere, nec vnica intellectione habere attentionem ad infinita.

Sic dicam cum B. Bonauentura in Chriſto homine poni poſſe cognitionem habitualem, & actualem in 3.d.14. q.5. num.31. "Non ſolum in angelis, verum etiam in anima Chriſti hoc verum eſt, quòd plura cognoſcit in habitu, quàm conſideret in actu.

Eadem diſtinctione 14.q.6. num.37. "Quicquid ſit gratia vnionis, ſiue creata, ſiue increata, anima Chriſti ſemper eſt inter terminos creaturæ: ergo eius virtus cognoſcitiua ſemper finita eſt, ergo nunquam cognoſcit infinita. „& poſt. "Dicendum eſt, quòd anima Chriſti nunquam tot cognoſcit, quot cognoſcit ipſum Verbum. Per nullam enim gloriam poteſt adeò ſubleuari creatura, vt ſimul & in actu iudicet de infinitis, cum hoc ſit infinitæ virtutis.„

Conſectarium eſt: Anima Chriſti cum actuali intellectione quorundam obiectorum numero finitorum habuit negationem intellectionis actualis de obiectis multitudine infinitis. Si autem iuxta Licetum actualis intellectio eſt lumen, negatio actualis intellectionis eſt tenebroſitas: ſequitur, quòd in Verbo nulla eſt tenebroſitas ignorantiæ; quia Verbum eſt Deus, & Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Verùm anima Chriſti non eſt formaliter Deus, quamuis ſit Deo in hypoſtaſi vnita. Anima non eſt pura lux, imò habet tenebroſitatem infinitarum intellectionum actualium, quas ſimul non habet, nec habere poteſt, ſed habitura eſt ſucceſſiuè in tota æternitate à parte poſt.

Bal. Infinitum, & finitum intellectum æquari non poſſe in attentione circa infinita exiſtimo probabilius.

Matth. Scotus multa diſputat, ſed in vltima opinione, quæ ſua eſt, id ipſum aſſeuerat in 3.d.14.q.2. tenetque cum Diuo Bonauentura animam Chriſti habitu, non actu ſimul omnia ſcire.

Bal. Ad quartum perge, vt rem abſoluamus.

Matth. Non rectè argumentatur Licetus, neque in forma ſyllogiſtica ſic arguens. quia in Verbo non poteſt eſſe ignorantia actualis, ergo

neque in anima Chriſti. Etenim Verbum habet eandem numero eſſentiam, intellectum, ſapientiam, quam habet Pater, quam Spiritus ſanctus; hoc eſt habet ſapientiam infinitam formaliter: quoniam Verbum Dei eſt formaliter Deus, & Deus verus eſt. (Nota, Balde, me dixiſſe Verbum eſſe Deum, & Deum verum) quam phraſim in Liceto nondum potui reperire. Tu vigilantior aduerte. Sed anima Chriſti non eſt Deus verus formaliter, ſed vero Deo vnita in hypoſtaſi Filij. Non eſt igitur eadem ratio de Verbo, & de anima Verbo vnita in actuali intellectione habenda: non eſt eadem impoſſibilitas ignorantiæ in Verbo, & in anima vnita. Imò in anima illa de facto ſunt innumeræ negationes intellectionum actualium; quæ iuxta nominationem Liceticam ſunt tenebroſitates ignorantiæ, & tenebroſitates innumeræ.

Obſeruatio Vigeſimatertia.

LIcetus pag. 4. lin. 15. "Cęterum iſtam animæ rationalis in cęteris omnibus naturam tenebroſam, alibi quoque propoſuit Ariſtoteles illam noctuæ comparans ita: quemadmodum enim veſpertilionum oculi ad lumen diei ſe habent: ita & intellectus animæ noſtræ ad ea, quæ manifeſtiſſima omnium ſunt."

Matth. Quorſum tendit iſta comparatio? ſanè oculus noctuæ multa videt, etſi lumen diei non videat. Sed & intellectus animæ, & intellectus angeli tenentur eadem lege: multa intelligunt, non omnia. Itaque ſi attendas ad rationem generalitatis cognitorum, ex hac ratione, tàm probatur & lumen cognitionis actualis, & priuatio cognitionis actualis de angelo, quàm de anima. Ideo ſi angelus eſt lux, & anima rationalis erit lux. Si anima eſt tenebræ, & angelus erit tenebræ.

Bal. Attende ad perfectionem cognoſcibilium, non ad multitudinem. Circa primum cognoſcibile viſu, ideſt lumen diei, noctua non poteſt: anima circa primum intelligibile non poteſt intellectionem habere.

Matth. Bifariam intellectus angelicus, & humanus poſſunt intelligere Deum, intuitiuè, & abſtractiuè; atque hoc ſecundum vel diſtinctè ſub propria ratione, vel confusè ſub ratione communi Deo, & creaturis. Primò quidem nec angelus, nec anima rationalis poſſunt conſequi naturaliter intellectionem intuitiuam de Deo, ſed merè ſupernaturaliter: atque in iſta intellectione anima Domini noſtri Ieſu Chriſti, & anima eius almæ matris præcellunt omnibus angelis. Vt appareat Ariſtotelis textum non habere locum in re ſacra.

Secundò, quoad cognitionem abſtractiuam de Deo ſub ratione propria, & diſtincta Deitatis, & eorum, quæ ſunt propria conſequentia Deitatem. Nec angelus, nec anima poſſunt naturaliter attingere, ſed

ſolum

ſolùm ex ſupernaturali dono,& reuelatione: quare parificantur in hoc angelus,& anima rationalis: imò angeli nonnulla myſteria gratiæ ab Eccleſia didicerunt. Si igitur per hanc authoritatem intendit concludere Licetus, animam eſſe tenebroſam, etiam concludit angelum eſſe tenebroſum. Epheſ.3.

Scotus acutè in 1.d.3.q.2.G. "Dico,quòd oculus noctuæ non habet cognitionem, niſi intuitiuam,& naturalem: & quantum ad iſtas duas conditiones poteſt exponi authoritas philoſophi de impoſſibili. Quia ſicut impoſſibile eſt illi oculo naturaliter,& intuitiuè conſiderare obiectum illud: ſic intellectui noſtro eſt impoſſibile naturaliter, & intuitiuè cognoſcere Deum. „Sed & intellectui angelico eſt impoſſibile intuitiuè,& naturaliter cognoſcere Deum per Scotum quolib.14. N. quin potius hoc non eſt dogma Scoticum dumtaxat, ſed eſt dogma de fide. Quam ob rem Licetus, vel nihil concludit de anima, quoad multitudinem, aut perfectionem obiecti: vel concludit angelum eſſe tenebras.

Obſeruatio Vigeſimaquarta.

Licetus pag.4.lin.26. „Quin & Ariſtoteles ignorantiam ait magis propriam eſſe hominibus, quia illi connaturalis eſt, cognitio verò aduentitia.„

Matth. Suſtine tantiſper. examina grammaticum noſtrum, me de ſolœciſmo notantem. Nunc verò conſtruit *hominibus* in plurali cum pronomine *illi* in ſingulari. Eſt ne bona concordantia?

Bal. Error eſt impreſſoris, non authoris.

Matth. Fortaſſe ita eſt. Sed lege paginæ ſequentis, hoc eſt quintæ lin. primam. Vbi error impreſſoris eſſe non poteſt.

Bal. "Sic igitur ignorantia,quum & pura maximè naturalis animæ noſtræ ſit, & praua eam in corpore degentem plurimum temporis occupet, proprioque veluti caractere ſacros pariter apud,& alios authores nomine tenebrarum deſignetur: aptiſſimè propheticam obſcuritatem colens Iſaias, myſtico ſenſu per tenebras à Deo creatas intellexit, animas hominum in tenebris ignorantiæ puræ negationis ab initio *conditas, &c.* „In hac periodo tàm prolixa.

Matth. Primus caſus nominatiuus *ignorantia*, cum quo verbo principali concordat? Talis eſt ſenſus. *Sic igitur ignorantia, propheticam obſcuritatem colens Iſaias intellexit animas.* Intercipitur enim nominatiuus *ignorantia* per coſtructionem implicitam, *quum & pura ſit* naturalis, *& praua occupet eam.* Vbi eſt pars prima iſtius conditionalis, vel cauſalis? Prima pars, *ſic igitur ignorantia:* ſecunda pars reſoluens conditionalem eſt illa clauſula: *Iſaias intellexit per tenebras animas.* Sed & implicita constructio, *quum & pura irre-*

ſoluta eſt. Nitere quantumuis, vt reſoluas hyperbaton non poteris.
Bal. Mitte iſta: ad authoritatem philoſophi conuertere.

Obſeruatio Vigeſimaquinta.

Matt. RElege dictum Liceti ſimul cum dicto philoſophi pag.4. lin. 26.

Bal. „ Quin & Ariſtoteles ignorantiam ait magis propriam eſſe hominibus, quia illi connaturalis eſt: cognitio verò aduentitia,& plus temporis in ignorantia permanere animam. Verba philoſophi ſunt. Omnes enim intelligere corporeum,ſicut & ſentire exiſtimant: & ſentire & ſapere ſimile ſimili, ſicut in primis rationibus determinauimus. Et tamen oportuit ſimul ipſos & de deceptione dicere: magis propria enim eſt animalibus,& plus temporis in hac permanet anima. „

Matth. Duo ſunt,quibus non acquieſco: alterum in philoſophia,alterum in Theologia. Nunc philoſophica dicam.

Ariſtoteles loquitur de *animalibus*, Licetus de *hominibus*: quaſi homo, & animal non diſcernantur.

Ariſtoteles loquitur de *deceptione*, quæ ſit magis propria animalibus: Licetus exponit de *ignorantia*, quæ ſit magis propria hominibus,& infra de *ignorantia pura* hoc dictum Ariſtotelicum accipiet.

Bal. Lucubremus primam partem. Quod Ariſtoteles dixit de animalibus, nonne licet aſſerere de hominibus?

Matth. Minimè:quoniam per ſecundum topicorum loco 10 & 11. cum agitur de ſimplici inhærentia, quæ dicuntur de genere, non debent dici de ſpecie, arguendo conſtructiuè. Sed in caſu noſtro animal ſequitur ſenſum,& ſenſu decepto,animal in ratione generis non habet aliquod iudicatorium de veritate: homo verò habet intellectum iudicem de veritate, primo de Anima 23. contra Democritum;quare ſi ſenſus iudicat Solem rotæ carri æqualem, intellectus autem iudicat Solem eſſe tota terra maiorem, idque certiſſimè demonſtrat; ideò & intellectus corrigit deceptionem ipſius ſenſus. Sed in bruto nihil corrigens errorem adeſt,& anima bruti plurimum temporis in deceptione manet. Quinimmo Scotus 1.d.3.q.4. aſſerit,intellectum, etiam ſi acceperit terminos à ſenſu errante, ex vi tùm terminorum, tùm ſua ipſius, componere principia per ſe nota, in quibus intellectus errare non poteſt; ex per ſe notis demonſtrare concluſiones ſcibiles;& alia cognoſcere per experientiam iteratam;atque ita fieri compotem intellectum ſinceræ veritatis,& intellectum hiſce veritatibus fultum, corrigere ſenſum. Si ergo animal decipitur permanenter,non ſequitur, hominem permanenter decipi. Sed in argumento latet fallacia accidentis, quemadmodum ſi dicas:animal eſt genus, ergo homo eſt genus: animal poteſt eſſe irrationale ergo homo

homo poteſt eſse irrationalis; argumentum eſt ex partiali identitate ad totalem.

Obſeruatio Vigeſimaſexta.

Licetus pag.5. lin.1. "Sic igitur ignorantia cum & pura maximè naturalis animæ noſtræ ſit, & praua eam in corpore degentem plurimum temporis occupet, &c.

Matt. Licetus accipit ignorantiam in communi, eamque diſtinguit per ignorantiam puram, & ignorantiam prauam. atque loquendo in recto ait, quòd

Ignorantia praua eſt maximè naturalis animæ rationali, & connaturalis, cognitio verò aduentitia.

Ignorantia praua occupat plus temporis animam in corpore degentem.

Bal. Hæc aſserta conſentiunt ne cum textu Ariſtotelis?

Matth. Non vtique. In textu lecto Ariſtoteles de ſola deceptione loquitur, quæ eſt ignorantia praua, & diſparata contra ignorantiam puram. De ipſa deceptione duo enuntiat Ariſtoteles; primum, quòd eſt magis propria animalibus, quàm cognitio vera. Secundum, quòd anima permanet plus temporis in deceptione. Verba textus ſunt. "Oportuit ſimul ipſos, & de deceptione dicere. magis propria enim eſt animalibus: & plus temporis in hac permanet anima.,,

Primò non conſentit cum textu exponere de pura ignorantia, de qua nec vocula quidem eſt in textu.

Secundò, non conſentit, vt dictum de vno diſparato, nempè de ignorantia praua, traducatur ad aliud diſparatum, videlicet ad ignorantiam puram. Ariſtoteles enuntiat de deceptione eſse magis propriam. Licetus de pura ignorantia, quæ nec eſt praua, nec deceptio: Abſurdiſſimum eſt, dicta de beſtia, aſserere de homine diſparato. Abſurdum pariter eſt, dicta de deceptione, & praua ignorantia, aſſerere de pura ignorantia.

Tertiò, non conſentit expoſitio Liceti cum Ariſtotele; Ariſtoteles affirmat deceptionem eſse propriam animalibus; Licetus exponit eſse connaturalem, & maximè naturalem hominibus. Etenim ex 1. metaph. cap.1. Omnes homines naturaliter ſcire deſiderant, & maximam ſcientiam maximè deſiderant. Illa forma eſt naturalis, & maximè naturalis homini, ad quam eſt naturale deſiderium, & maximum deſiderium. Sed ad ſcientiam eſt naturale deſiderium, non ad deceptionem: ad maximam ſcientiam eſt maximum deſiderium naturale: ergo ſcientia eſt naturalis, atque connaturalis, & maxima ſcientia eſt maximè naturalis, non autem ignorantia pura, vel praua.

Quartò

Quartò non conſentit,cum ait, deceptionem eſſe magis propriam, id-eſt connaturalem, prout connaturale contradiſtinguitur ab aduentitio.

Propterea quòd nulla deceptio eſt in ſenſu,vel in intellectu,quæ non ſit in actu iudicandi de obiecto. Quòd autem per actum acquiritur, eſt aduentitium. Planè actus ſentiendi circa ſenſibile proprium,ſemper eſt verum,& in tali actu non eſt deceptio: coniunge textus 63. & 152. in 2.de anima. Deceptio eſt in actu iudicandi de ſenſibili per accidens,vel ſenſibili communi;ſed iſti actus ſunt aduentitij non ſunt connaturales. Si enim ſenſus non agant, vt aliquando non agunt: non eſſet in animalibus, id quod eſt connaturale.

Bal. In 8.ph.56. ſcribitur, "Quod autem melius eſt, ſemper arbitramur in natura eſſe,ſi poſſibile eſt. „In 2. de Generat.59. "*In omnibus inquimus, quod melius eſt deſiderare naturam.* „Iam verò materia eſt capax priuationis,& formæ: forma ſanè eſt bonum, diuinum,appetibile, priuatio eſt contrarium; profectò ſequitur,quòd appetitus materiæ ſit ad bonum,ad formam,non ad priuationem, vel contrarium: In omnibus natura deſiderat id,quod eſt melius: ſed materiæ melius eſt habere formam,& bonum,quàm priuationem: ergo materia deſiderat formam & bonum,non priuationem. Intellectus humanus itidem & veram cognitionem,& priuationem eius, ideſt ignorantiam puram poteſt ſuſcipere; poteſt ſubire contrariam ignorantiam. At natura deſiderat id, quod eſt melius: melior eſt vera ſcientia,quàm ignorantia vel pura,vel praua, imò melius loquendo, ſcientia vera eſt forma & bonum, quod naturaliter appetitur ab intellectu; ignorantia pura eſt priuatio iſtius boni. Mihi quidem ita videtur illud eſſe naturale & connaturale intellectui,& omni naturæ, quod bonum eſt,quod perfectio eſt, quod naturaliter deſideratum eſt. Scientia vera,& vniuerſaliter vera cognitio,eſt intellectui humano bonum, perfectio naturaliter deſiderabilis: ergo vera cognitio eſt naturalis,& connaturalis. Neque defraudatur natura intento fine, quoniam in ſcientia morali quinque habitus intellectuales determinatè veri numerantur,intellectus, ſcientia, ſapientia, prudentia,ars; qui habitus ex frequentibus actibus generantur, & ſimiles actus, generant; ita in 6.Ethicorum cap.3.

Matth. Adiungo dictum Ariſtotelis in 1. de anima 49. aduerſus Platonem."At verò neque beatum,quod non facilè, ſed violentum. Si autem eſt motus ipſius non ſubſtantia: præter naturam vtique mouebitur.„Arguamus & nos.Si ignorãtia pura eſt maximè naturalis animæ noſtræ,prout Licetus aſſerit; ergo moueri ab ignorantia pura ad ſcientiam,vel ſapientiam,vel prudentiam erit præter naturam,& violentum; ergo beatitudo,& felicitas actiua, quæ eſt cum prudentia: & ſpeculatiua,quæ eſt cum ſapientia,erit violenta,& homo beatitudinem iſtam habens, non erit beatus.

Rurſus,

Rurſus, manere in ſtatu violento, non eſt optima degentia: at eſſe in ſtatu ſapientiæ,& prudentiæ eſt eſſe in ſtatu violento, hoc eſt in ſtatu contrario ſtatui maximè naturali: ergo ſtatus ſapientiæ, & prudentiæ non eſt optima degentia; de qua in 12. meta 39. in 10. ad Nicomachum cap. 7. & 8. & Ariſtoteles decepiſſet nos dicens. „Exiſtimamus oportere voluptatem felicitati eſſe admixtam; iucundiſſima autem ex virtutis operationibus ea procul dubio eſt, quæ ſecundum ſapientiam fit. Philoſophia ergo mirabiles habere & puritate, & nobilitate voluptates videtur,,

Bal. Si animal, vt animal non eſt capax felicitatis, id eſt concedendum; ſed in hoc animal cum homine confundere non conuenit. Homo eſt capax felicitatis actiuæ, & ſpeculatiuæ; atque tunc maximè viuit ſecundum propriam operationem; tumque viuit etiam quatenus diuinum quid eſt in homine. Propter quod Ariſtoteles in 10. ad Nicomachum 7. ait "Id autem eſſe etiam vnuſquiſque videretur, ſiquidem præcipuum, & melius eſt. quo circa abſurdum eſſet, ſi non ſuam quiſque, ſed alicuius alterius vitam expeteret. Quodque dictum ſuperius eſt, nunc etiam conueniet. Quod enim naturæ vniuſcuiuſque eſt accomodatum, id præſtantiſſimum, ac iucundiſſimum vnicuique eſt: ergo etiam homini vita, quæ ex intellectu traducitur, ſiquidem maxime id homo eſt: hæc igitur etiam feliciſſima eſt,, Tunc ſic argumentor. Quæ vita eſt contra naturam propriam, & contra id, quod eſt maximè naturale, illa non eſt beata, nec felix; ſed vita, quæ ex intellectu traducitur, ideſt ſecundum ſapientiã eſt contra hominis naturam, & contra id quod eſt homini maximè naturale, vt Liceto placet; ergo talis vita non eſt feliciſſima, nec beata, neque cum ſincera voluptate, nec vllam habet ex conditionibus felicitatis ab Ariſtotele aſſignatam.

Matth. Tui Ter maximi authoritas tibi ter maxima eſſe debet; ſic Licetus iubet, vt pro animali hominem ſubſtituas. Secundò, vt deceptionem dicas eſſe ignorantiam puram. Tertiò, vt ignorantiam puram maximè naturalem homini dicas. Quartò, vt deceptionem non eſſe aduentitiam aſſeras. Quintò, vt quòd maximè proprium eſt animali, id maximè naturale homini cenſeas. Et quoniam animal non eſt capax veritatis, aut felicitatis: fiat, vt nec homo eatum ſit capax, ſed habere felicitatem contemplatiuam ſit maximè præter naturam, maximè violentum, quia maximè oppoſitum conditioni maximè naturali ipſius hominis.

Obſeruatio Vigeſimaſeptima.

Matth. AD Theologica venio: cernis à Liceto, omnes animas in corpore degentes concludi in ignorantia puræ negationis, & prauæ diſpoſitionis: quam ſecundam, deceptionem appellat.

Bal. Admodum.

Matth. At error eſt in Theologia dicere, animas beatas in corpore degentes eſſe occupatas ignorantia praua, hoc eſt deceptione. Theologus noſter Theologicè non eſt loquutus, quando non excepit animas rationales in ſtatu naturæ reſtitutæ per gloriam.

Secundus error eſt, loquendo de animabus degentibus in corpore pro ſtatu naturæ inſtitutæ. Nec enim Adam, aut Eua, aut quicunque alius homo in illo ſtatu potuiſſet decipi, vel errare iuxta D. Auguſtinum, quem ſequuntur vnanimes S. Bonauentura 2.d.23.q.5.num.23. & S. Thomas 1.p.q.94. art.vlt. Scot.2. d.22.q.1.B. & eorum diſcipuli; apud quos legantur probationes. Vnde perperam Licetus in creatione animæ quoad naturam, tribuit deceptionem, vt conditionem maximè naturalem, dum illi applicat textum Ariſt. 151. 2. de anima. Quod enim nunc corpus, quod corrumpitur, aggrauet animam ex Sap.9. eſt conditio pœnalis, non naturalis: & ex culpa ſequutum eſt, vt aliquando anima erret, hoc eſt, approbet falſa pro veris, reprobet vera pro falſis; recipiat incerta pro certis, reijciat certa pro incertis.

Tertiò inſufficiens eſt Licetus, & in Philoſophia & in Theologia. In Philoſophia quidem, quoniam anima rationalis aliquando habet ſtatum coniunctionis, aliquando ſtatum ſeparationis à corpore: meliuſque eſt illi eſſe ſine corpore, ſi Liceto credimus, centies hoc repetenti in ſuis libris: igitur non explicauit naturam animæ rationalis, quæ per 6. top. loco 86. explicanda eſt per id, quod eſt melius: quod etiam eſt diuturnius in Ariſtotele, hoc eſt, eſſe ſine corpore.

In Theologia, quoniam docendum eſt, vtrum anima ſeparata tenebris ignorantiæ puræ, aut prauæ ſit obſita: nam Doctor ſubtilis in 4.d.10. q.8. eam parificat angelis in obiecto, & actu intelligendi. Quod idem præſtitit B. Bonauentura 4.d.50. q.7. totius diſtinctionis.

Denique eſt obſeruandum, animam, & hominem habere partialem identitatem, ſed maximam diuerſitatem: neque conditiones hominis tribuendas eſſe animæ, vel è contra. Homo eſt compoſitus, eſt mortalis, eſt extenſus: an hæc de anima dices? Quæ Ariſtoteles dixit in 3. de anima 14. in 2. de anima 151. per Licetum dicta ſunt de homine: neque conueniunt animæ ſimpliciter, ſed ſecundū quid. Quare argumentari ab ijs conditionibus, quæ conueniunt animæ rationali in corpore mortali, ad conditiones animæ ſimpliciter, eſt fallacia accidentis, & à ſecundum quid ad ſimpliciter. Id præſertim dicendum eſt cum Liceto, cui anima rationalis eſt creatura incorporea: ſed homo non eſt creatura; non ergo eadem ſunt prædicata animæ incorporeæ, & prædicata hominis, qui eſt corporeus vel corpus.

Obſeruatio Vigeſimaoctaua.

LIcetus pag.5. lin.10. "Pacis verò nuncupatione probè pariter, ac pulchrè Propheta nobis indigitat orbem cęleſtem. in quo, nulla quum obſeruetur aduerſantium qualitatum contrarietas, perpetua ſumma tranquillitas,& concordia viget,vno pacis nomine deſignanda. Qua de re ſic etiam Ariſtoteles, &c.

Matth. Laudat ſe Licetus,qui probè,& pulchrè per nomen *pacis* deſignat cęlum. Nam S.Hieronymus per pacem in loco Iſaiæ citato intelligit illam, quæ verè eſt pax; ſcilicet quando in republica ſuperiores prudenter præcipiunt, inferiores promptè obediunt in commune bonum: interiuſque nulla ſeditio ciuium, exterius nullum bellum ingruit. Malum huic paci oppoſitum eſt bellum internum,vel externum, quo reſpublica deſtruitur. Quam pacem, dum Iudæi ſeruarunt, felicitatis ciuilis compotes fuerunt. Quando prælium exarſit, funditus deſtructi ſunt; & pauci in Babylonem ducti, captiui ſuperfuerunt. Talem pacem, tale malum paci aduerſum S.Hieronymus exponit. Sed Licetus ſpiritum proprium ſequitur, non ſpiritum, & expoſitionem Sanctorum. Caſtren. ſit. Malū hæreſ.3. cum S. Hieronymo.

Bal. Licetus non affert ſenſum literalem, ſed myſticum prophetici oraculi.

Matth. Beatus Hieronymus & litteralem,& myſticum attulit. Licetus cum neutro conſentit. Myſticus fundari debet ſuper ſenſu literali. Sed Licetus fundamentum non attulit,& mira extorſione cūcta euertit. Quo in loco & pacis nomen malè explicatum, atque applicatum conqueror: ſimul & malè applicatum cęlo dico. Etenim ad reuellendam opinionem de æternitate temporis, motus, mobilium,& mouentium, quam Ariſtoteles, & Licetus fortè tenuit: ego cum priſcis Eccleſiæ Patribus ſuſtinui, cęlum eſſe ignem: Sed ad diſputandum ex naturalibus elegi Anaxagoram philoſophum celeberrimum, quo duce ſoluerem Ariſtotelis, & ſuorum argumenta,vt patet in meo libro de cęleſti ſubſtantia.

Sunt quidam,qui concedunt Ariſtotelis principia, quibus æternitatem cęli concludit,& concluſionem negant. Hi mea ſententia non ſatis attendunt ad rationem ſyllogiſmi. Syllogiſmus eſt ratio, in qua conceſſis præmiſſis,concluſio eſt neceſſario concedenda. Igitur ſine ratione eſt,rationem concedere, & concluſionem negare; quam ob rem plura principia Ariſtotelis labefactare tentaui,cum Anaxagora quidem loquens,ſed vt Chriſto Domino aduerſantia confutarem.

Sciebat Licetus hoc à me eſſe præſtitum in libro de cęleſti ſubſtantia: nunc ſcribens iſta de cęlo in pag.5. petit principium contra me, & pugnat contra Patres Eccleſiæ, quos ego ſequor. Legantur Patres apud Martinengum gloſa magna in Geneſim tom.1. à pag.597.

Sed concluſio eius in pag.604. legatur. qui & in pag.605. ſcribit "Cęterum dogmata Ariſtotelis (cuius id fuit ingenium, cęlum quintam eſſe eſſentiam aſſerere, vt mundum æternum aſtrueret) quantum piam inficiant mentem, quantiſque Chriſtiana noſtra placita inſidijs petant, ob idque quantum ſint euitanda, atque execranda, audiamus egregium, ac ſanctiſſimum Patrem grauiſſimè, & dilucida oratione id demonſtrantem.

Ambroſius Hexęmeron libro primo capite ſexto.

„ Hæc igitur alij conſiderantes ſtabilia eſſe non poſſe, ætheteum corpus cęli, ſtellarumque eſſe arbitrati ſunt, quintam quandam naturam corporis introducentes: quo diuturnam cęli putarent manſuram eſſe ſubſtantiam. Sed non iſta opinio propheticæ potuit obuiare ſententiæ, quam diuina quoque Domini Ieſu Chriſti Maieſtas Dei noſtri in Euangelio comprobauit. Dixit enim Dauid „Principio terram tu fundaſti, Domine, & opera manuum tuarum ſunt cęli; ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnia ſicut veſtimentum veteraſcent: & tãquam amictũ mutabis ea, & mutabũtur, tu vero ipſe es & anni tui non deficient. Quod adeo probauit in Euangelio Dominus, vt diceret; Cęlum, & terra præteribunt, mea autem verba non præteribunt. Nihil igitur agunt, qui propter cęli aſſerendam perpetuitatem quintum corpus æthereum introducendum putarunt. cum æquè videant diſſimilem cęteris adiunctam membri vnius portionem labem corpori magis afferre conſueuiſſe. „Perpendant, obſecro, ex hac Ambroſij doctrina Scholaſtici nuperi Doctores, qui neglecta authoritate tantorum priſcorum Patrum, nec vno excepto (nam & Dionyſium, pace D. Thomæ, cum cęteris incedere cõgruentiori loco demonſtrabo) cælum quintam eſſe eſſentiam paſſim, mordicuſque defenſant; maluntque ſcripturas ad peregrinas, & nouas detorquere interpretationes, quàm Ariſtotelicum hoc de quinta cæli eſſentia inuentum, non probare. Perpendant, inquam, num Ariſtotelis verſuriam penetrarint, Ariſtotelis inquam, Eccleſiaſticis dogmatibus infeſtiſſimi hoſtis, qui, vt mundum æternum in fidei noſtræ ludibrium, & opprobrium aſtruat: quintam inducit eſſentiam„ &c. illic legantur.

Non ego congredi cum Scholaſticis iſtis à Martinengo citatis audeo, ſed neque à Patribus digredi. Melius ergo iudicaui, aut integram Ariſtotelis ſententiam deſerere, aut integram retinere. Verùm hoc ſecundum cum fide catholica prorſus pugnat: quia ſtante æternitate mundi Ariſtotelica, non poſſumus cum fide catholica tenere determinatum initium temporis, quo cæpit mundus, motus, tempus, & cælorum motores. Non poſſumus tenere finem mundi, carnis reſurrectionem, iudicium vniuerſale, nec iuſtitiam retributiuam Dei. Aliaque multa dogmata fidei concutiuntur.

Itaque ad Licetum dico, ſcripturam iſtam Iſaiæ 45. explicari aduerſus

Patrum

Patrum ſententiam; & opinionem de cęli pace ab ipſo propoſitam, principium contra me petere.

Non prætermittam ex primo topicorum cap. vltimo Ariſtotelis documentum. Sic ait. "In multum diſtantibus vtilis eſt ad definitiones ſimilitudinis conſideratio, vt quod idem tranquillitas in mari, & ſerenitas in aere, vtrunque enim quies „Licetus verò in cęlo collocat tranquillitatem ſummam, & concordiam: ſed in cęlo ad aures magiſtri ſui eſt impoſſibilis quies: & à cęlo omnis tempeſtas in aerem, aquam, terram deſcendit. Igitur impoſſibilis eſt in cælo tranquillitas, & pax, ad mentem Ariſtotelis. Omnis enim pax eſt quies: in cælo non eſt, non poteſt eſſe quies: ergo neque pax cum Ariſtotele.

Obſeruatio Vigeſimanona.

Licetus pag. 5. lin. 15. „Sic etiam Ariſtoteles ex Homero ſcribit: " Hãc eandem igitur rationem Deus habet in Mundo, vtpotè, qui vniuerſorũ coagmentatione cohærentem cohibeat, & coarctet, incolumitatemque vniuerſitatis conſeruat: Niſi quatenus non medio ille loco, in terra ſcilicet, vbi turbida regio eſt, ſed in excelſo ſitus eſt, purus ipſe in puro loco. "

Bal. Quid in hac re ſentiendum cenſes? Deum ne eſſe vbique, ita vt Dei eſſentia ſit ab omnibus locis, ab omnibus rebus actu exiſtentibus omnino indiſtans; an potius Dei eſſentia ſit in cælo præſens, non ſub cælo, concluſa?

Matth. Deus, & eius eſſentia eſt intimè præſens omnibus rebus, & locis, & oppoſita ſententia, quæ negat Deum eſſe vbique Iudaiſmum, *a* & Caluiniſmum inſtaurat. Iudæi Deum in cęlo ponebant cum pſalte concinente: *Deus autem noſter in cælo:* ſub cælo negabant Deum eſſe, præterquam in templo Iudaico. Nunc autem poſt templi deſtructionem reſtat, vt in cælo ſolo Deum coerceant. Inter Caluiniſtas nuper Conradus Vorſtius aſſerit, Deum non eſſe vbique ſecundum ſubſtantiam ſuam. Licetus iſto loco in pag. 5. ſub nomine Ariſtotelis proponit illam ſententiam, quod ſubſtantia Dei eſt in cælo, vt pura in puro loco. Non eſt in terra, vtpote regione turbida, & impura: Quod conſentit cum Ariſtotele in 1. de Cælo *β* ponente, Deũ in cælo, vt immortale immortali coaptatum, nec enim poſſibile aliter. Hanc ſententiam Licetus in epiſtola de concurſu Dei, ex profeſſo aſſerit, affirmans Deum eſſe in omnibus, & omnia in Deo, vt regnum in rege: hoc eſt, ratione regiminis Deum eſſe vbique, *non aliter*. Legatur Licetus in hoc libro de ſeptimo quæſitis car. 222. vbi rurſum citat hanc ex Ariſtotele ſententiam, & in pag. 228. ait.

a Vaſqu. 1. p q. 8. puncto 1. cum citatis.

β 1. cęli 22. & 8. phyſ. 84.

" *Non enim aliter in Deo cuncta ſunt, quàm in cauſa res omnes in eſſe conſeruantur, quomodo dicit alibi Magiſter, aliquid eſſe in aliquo vt in Rege Græcorum res, omnino in primo mouente* " Et infra poſt

Liceti verba.

allatos textus Ariſtotelis: hoc idem è ſacra pagina aſſerit, ſcilicet, omnia eſſe in Deo, vt in cauſa conſeruante, & è contra. Sed ſubſtantia Dei vbique poni non ponit. Igitur Caluiniſmum, & Iudaiſmum ſub magiſterio Ariſtotelis nobis inſtaurat Licetus.

Bal. Memini à Theologis frequenter inculcari illud, Deus eſt vbique per eſſentiam, per præſentiam, per potentiam.

Matth. Meminiſti ſtrenuè: nam in 1. ſent. d. 37. hoc à Theologis tanquam dogma de fide traditur: & à D. Thoma in 1. p. q. 8. cum aſſeclis apertè aſſeritur, vt de fide. Nolo in re certiſſima immorari. Satis ſit locus ſapientiæ primo: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*, & pſal. 138. *Si aſcendero in cęlum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades*. *Ierem.* 23. *Cęlum, & terram ego impleo*.

Noſtro tempore aduerſus Caluiniſtam Vorſtium omnipræſentiam diuinæ eſſentiæ ad omnes eſſentias creatas, & ad omnia loca fortiter probant, ac defendunt: Iacobus Gualterius in Anatome Caluiniſmi dilemmate 51. Martinus Becanus in ſumma Theologica, tractatu de Attributis cap. 6. car. 17. Gregorius de Valentia tom. 1. ſuper quæſt. 8. D. Thomæ. Zamorus ~~de eo. car.~~ 236. amplè. Sanctus Auguſtinus epiſtola 111. car. 155. G. "Impium eſt dicere, Deum non eſſe vbique totum „Et in 7. Ciuit. Dei cap. 30. "Idem Deus vbique totus, nullis incluſus locis, nullis vinculis alligatus, in nullas partes ſectilis, ex nulla parte mutabilis, implens cęlum, & terram; præſente potentia, non abſente natura. Et in to. 2. epiſt. 57. ad Dardan. acutè, ac diffusè id agit Auguſtinus docens, Deum ſubſtantialiter vbique diffuſum, & concludit: "Fatendum eſt vbique eſſe Deum per diuinitatis præſentiam, ſed non vbique per habitationis gratiam. „Legatur item Origen. lib. 1. in Iob. Ambroſ. 1. de Spiritu ſancto cap. 7. Hilarius lib. 1. & 2. de Trinitate. Hieronym. in cap. 66. Iſai. & in ad Epheſ. cap. 2. Athanaſ. in Epiſt. ad Liberium. Chryſoſt. homil. 17. in Geneſ. S. Bonau. in 1. d. 37. & in comment. ſuper ſap. cap. 1. Copioſiſſimè autem S. Gregor. 2. moral. cap. 8. & 16. moral. cap. 15. Quo autem modo Deus ſit ſpecialiter in cęlis, docet Bellarm. to. 2. lib. 1. de gloria Sanctorum cap. 3. col. 719. E.

Deo car.

Obſeruatio Trigeſima.

Licetus pag. 6. lin. 3. de Iſaia ſic ait "Qui denique non minus aptè viceuerſa vocabulo *Mali* ſignificauit orbem terrarum, ſiue mundum elementarem, in quo ſemper vnius ob materiæ contagionem, materialiumque contrariorum & cacodęmonum etiam pugnam aſſiduam viget omne malum, tàm pęnæ, quàm culpæ. Quarum nulla poteſt habere locum in regione cęleſti. „

Matth.

Matth. Nota Licetum expoſuiſſe dictum Dei: *Ego Dominus creans malum*, ſed expoſuiſſe per quatuor particulas.

Quarum Prima eſt, Vocabulo *mali* propheta ſignificat orbem terrarum, ſiue mundum elementarem.

Secunda, in Mundo elemētari ſemper ob materiæ vnius contagionem, materialiumque contrariorum, & cacodęmonum pugnam aſſiduam.

Tertia, Viget omne malum tàm pœnæ, quàm culpæ.

Quarta, quarum nulla poteſt habere locum in regione cœleſti.

Bal. Ita eſt in quatuor particulis hiſce ſenſus à Liceto expoſitus eſt.

Matth. Veruntamen in quatuor iſtis particulis quinque ſunt hæreſes.

Prima eſt; Deus dicitur creans malum. quære, de quo malo intelligat. Licetus explicat in tertia particula, *omne malum tàm pœnæ, quàm culpæ*. Referre malum culpæ in Deum creātem, eſt hæreſis Florianorum.

Secunda; dicere terram, & mundum elementarem eſſe malum à Deo creatum, fuit hæreſis Marcionis, & Manichæi, atque etiam Floriani. *qui* hæretici ex iſto loco Iſaiæ, *Ego Dominus creans malum*, probabant Deum eſſe malum, quia eſſet creator mali.

Tertia; malum pęnæ, & culpæ viget propter contagionem materiæ cum contrarijs, atque propter pugnam dæmonum. Hæc hæreſis Manichæorum eſt; qui non referebant culpam in liberum arbitrium finitum, ſed in materiam, & in dęmones, hoc eſt in gentem tenebrarum.

Quarta; malùm pęnæ, & culpæ non poſſe habere locum in regione cęleſti, eſt noua hæreſis, quæ negat angelos in cęlo peccauiſſe, & in cęlo pęnas luere incępiſſe.

Quinta; negat pugnam in cælo, & ponit ſub cęlo. Quæ eſt noua hæreſis contra Scripturæ literam, quæ narrat primum prælium angelorum in cælo commiſſum.

Bal. Monſtrum incredibile eſt, in his Termaximi dictis eſſe plures errores, quàm lineas.

Obſeruatio Trigeſimaprima.

Bal. IN authoritate Iſaiæ cap. 45. Ego Dominus, &c. faciens pacem & creans *malum*: mali nomine exponit Licetus, *Terram & Mundum elementarem*.

Matth. Alfonſus de Caſtro aduerſus hæreſes titulo *malum* hæreſi ſecunda refert hæreſim Manichæorum in hæc verba „Manichæus ergo dixit duo eſſe principia, vnum bonum, à quo producta ſunt bona, videlicet inuiſibilia, & incorporea, prout ſunt ſuper cœleſtes, & angelicæ ſubſtantiæ, & animæ rationales. Alterum malum, à quo (vt dicit) producta ſunt omnia mala, & hæc dicit eſſe omnia corpora,

& viſi

& viſibilia " Licetus in gratiam Ariſtotelis diuiſit corpora in cæleſtia, atque hæc eſſe bona & eſſe pacem, dixit; & ſubcæleſtia, quæ malum eſſe dicit, ſicuti dixere Manichæi.

Fundabant verò ſe Manichæi in iſto Iſaiæ oraculo *creans* vel *condens malum*. pro ut conſtat ex D.Auguſt.in duobus libris de moribus Eccleſiæ, & Manichæorum id eſt,in libro de moribus Manichæorum cap. 7. vbi refert argumentum Manichæorum deductum ex hoc,quòd Deus creat,vel condit malum: concludendo,Deum eſſe malum.

Rurſus Marcioniſta ille, contra quem Beatus Auguſt. ſcripſit libros contra aduerſarium legis,& prophetarum: (vt eſt in lib. primo cap. 23.) ſuper hoc Iſaiæ vaticinio, *creans malum*, nixus, creatorem eſſe malum contendebat.

Denique Beatus Auguſtinus in tom.6.lib.de hæreſibus hæreſi 66. Florini hæreſim fuiſſe affirmat, quòd ſubſtantiam rerum malam creauit Deus,vt air propheta, *creans malum*. Verba Sanct.Auguſt. ſunt " Creat Deus mala,pęnas iuſtiſſimas irrogãdo, quod Colethus non videbat. non autem malas creando naturas, atque ſubſtantias, in quantum ſunt naturæ, atque ſubſtantiæ, vbi Florinus errabat "

Tres igitur hæreſiarchæ verba prophetica *creans malum*, exponunt de malis naturis, & de corporibus, quòd ſint malum creatum à Deo. Qua propter Licetus ad exponendam ſcripturam ſacram attulit & verba, & ſenſum hæreticum,quòd terra,& orbis elementaris ſit malum creatum à Deo.

Bal. Certè propheta inter creata à Deo numerat malum. Quodnam autem ex quatuor generibus crearurarum iuſtius appellatur malum, quàm elementaris mundus?

Matth. Scriptura propoſita non loquitur de prima rerum creatione:propter quod non benè exponitur à Liceto. Dicã imitatus Apoſtolum. Iſaias, vt ſapiens architectus poſuit fundamentum diuinæ reuelationis; vnuſquiſque videat, quomodo ſuperædificet. Triplex malum afferri poteſt, primum eſt malum naturæ, ſecundum malum culpæ,tertium malum pænæ; quæ duo mala culpæ,& pænæ ſpectant ad malum moris,non ad malum naturæ. Catholica Eccleſia,& cum ea Sanctus Auguſtinus proximè citatus ſuper diuina reuelatione ſuperædificat, malum pænæ eſſe creatũ à Deo. Hæretici quidam malum naturæ vt Marcioniſtæ,Manichæi,Floriani:alij malũ culpæ à Deo creatum volunt,vt olim Simon Magus,& Manichæi: vt nuper Caluinus,& Beza. Licetus nobis profert triplex malum, malum naturæ, malum pænæ, malum culpæ ad exponendam ſcripturam Iſaiæ; & primò applicat malum naturæ,dum corpora elementaria,& terram intelligit eſſe malum creatum à Deo. Siquidem creatura irrationalis non eſt capax mali moralis, ſeu culpæ,ſeu pænę. Ergo reſtat, vt mala ſit talis creatura ratione ſuæ naturæ,& ſubſtantiæ; qui ſenſus re vera aſſertus eſt à Liceto.hoc eſt ſenſus Marcionis, Manichęi,Florini.

Obſ.r-

Obſeruatio Trigeſimaſecunda.

Matt. SEcundo Licetus per malum à propheta iudicatum, refert malum tàm pęnæ, quàm culpæ.

Bal. Sic eſt: nam Mundus elementaris eſt malum, in quo viget malum omne tàm pęnæ, quàm culpæ.

Matth. Callidiſſimè tres cautelas adhibet Licetus ad occultandam hæreſim peſſimam, quòd Deus ſit vel primus, vel ſolus author culpæ.

Prima cautela. In prima pag. profert Licetus ſcripturam integram. *Ego Dominus, &c. faciens pacem, & creans malum*; In 6. pag. ſolummodo *mali* nomen declarat, malum tàm pęnæ, quàm culpæ. Noluit ſcripturam integram afferre; nam ſi protuliſſet hoc pacto, *Ego Dominus creans malum tàm pęnæ, quàm culpæ*: nullus oculus catholicus lectionem talem toleraſſet. Quòd ſi expoſitio hæc prophetæ retineatur plauſibiliter, vt ſperat Licetus: tunc apertè dicet Deum eſſe authorem culpæ ſic. Creator eſt author effectus creati, vel principalis author, ſi cum cauſa ſecunda concurrat: vel ſolus author, ſi abſque cauſa ſecunda creat. Sed Deus eſt creator mali, ideſt tàm culpæ, quàm pęnæ; Ergo Deus eſt vel ſolus, vel principalis author culpæ.

Cautela ſecunda. Quando ait *mali tàm pęnæ quàm culpæ* præponit ſenſum catholicum de malo pęnæ, vt ſub melle veritatis catholicæ porrigat fel hæreticæ falſitatis.

Tertia cautela. Senſus litteralis eſt patens plerunque, myſticus latens, & arcanus. Sub prætextu ſenſus occulti, & myſtici, per *malum* à propheta indicatum, exponit malum culpæ.

Bal. Vnde probas eſſe hæreticum dicere, à Deo creari malum culpæ?

Matth. Franciſcus Pegna in director. inquiſit. part. 3. Comment. iii. car. 601. col. 2. A. præbet exemplum de propoſitionibus ambiguis, quæ poſſunt habere ſenſum catholicum, & ſenſum hæreticum; exemplum de Coluthianis, & Florianis hæreticis de quibus 24. q. 3. cap. quidam autem. Sic Pegna.

„Quorum Coluthiani, Deum non facere mala, aſſerebant: quæ verba de malo culpæ accepta catholica ſunt: ſed de malo pęnæ intellecta (vt illi intelligebant,) hæretica ſunt, & propterea fuerunt damnati.

Floriani contra aſſerebant, Deum creaſſe mala; quæ de malo pęnæ ſumpta, catholica ſunt: hæretica verò de malo culpæ, vt ab illis intelligebantur; quemadmodum ibi pulchre declarat doctiſſimus Turrecremata„. Hæc Pegna. at vides *malum* exponi à Liceto de malo, tàm culpæ, quàm pęnæ.

Bal. Audio. Sed difficile eſt credere, Deum eſſe creatorem mali culpæ: cum ſcriptum ſit; Iuſtus Dominus,& iuſtitias dilexit,æquitatem vidit vultus eius.

Pſal. 10.

Matth. Antiqui tamen,& moderni hæretici ſunt in hac impia ſententia. Antiquus eſt Florinus,qui præter ſenſum hæreticum de malo naturæ creato à Deo,exponit etiam de malo culpæ Iſaiæ dictum, *Dominus creans malum.* Teſtatur Prateolus de vitis & ſectis hæreticorum, titulo *Florinus.* Caſtrenſis aduerſus hæreſes, titulo *malum*, hæreſi prima,& Philaſtrius antiquiſſimus in libro de hæreſibus cap.3 1.

Moderni ſunt Lutherani, quos de hac hæreſi accuſat Pratelus titulo *Florinus*,& *Molina* in diſput.30. de Concordia. Caluinus tamen in hac hæreſi certus aſſertor eſt,ex Iacobo Gualtero in anathome Caluiniſmi dilem.49. & Martino Becano 1.p.de Deo cap.16. quæſt.1. car.129.& p.2.de peccatis, cap.6. q.1. car.122. Bellarmino quoque tom.4. de amiſſione gratiæ, lib.2. integro: in quo hæreſim Florini,& Caluini retegit, & reprobat accuratè.

Sed & *Magiſter* Sententiarum in 2.diſt.37. cum Schola conſentiente exponit Iſaiam de malo pœnæ, non culpæ. Quam expoſitionem antiquitus dederat Sanctus Irenæus Epiſcopus,& Martyr lib.4.aduerſus hæreſes cap.77. car.423. ſic ſcribens.

„ Et hoc (eſt) quòd à Propheta dictum eſt. Ego Deus zelans, faciens pacem,& condens mala; in eos quidem, qui pœnitentiam agentes conuertũtur ad eum,faciens pacem,& amicitiam, & vnitatem componens;ſuper eos verò,qui pœnitentiam non agunt,ſed fugiunt eius lumen, ignem æternum,& exteriores tenebras præparans: quæ quidem ſunt mala his,qui incidunt in ea: ſed bona ex iuſtitia Dei.„ In quem locum Irenæi Feuardentius in annotatione ſic ait. "Sole clarius oſtendit Irenæus, hæc Prophetæ verba de afflictionibus & tormentis, quæ mala pœnæ in ſcholis appellamus, intelligenda eſſe; non autem de peccati,culpæque defectibus.Horum enim authorem Deum facere, Simonis *Magi*, *Marcionis*,& *Manichæorum* blaſphemia eſt, totius orbis conſenſu, & authoritate damnata: quam nihilominus noſtræ tempeſtatis Gnoſtici in integrum reſtituere moliuntur. Hieronymus in 3.caput lamentationum,& 18.Hieremiæ, tropicam dicit eſſe iſtam prophetæ loquutionem,qua mala dicitur Deus facere, dum aduerſa, & flagella merentibus infligit: quæ non natura ipſa mala ſunt, ſed mala patientibus videantur. Irenæo & Hieronymo adſtipulantur ex Latinis Auguſtinus lib. contra Adimantum *Manich*. cap.27. contra epiſtolam *Manich*. cap.38. lib.1. contra aduerſarium legis cap.23. Ambroſius ſermon.16. in Pſalm. 118. Gregorius lib.3. *Moral*. cap.7. Eucherius Lugdunenſis lib.1. in Geneſ. cap.7.

Ex Græcis Dionyſius Areopagita cap.4.lib.de diuinis nominibus,Clemens Rom. lib.5.& 10. Recognitionum. Iuſtinus martyr in dialo-

go,& lib.de Monarchia. Baſilius homilia: Quod Deus non ſit authorем malorum. Cyrillus Alexandrinus lib.4. in Iſaiam cap.45.& plerique omnes orthodoxi ſcriptores.

Eam ob rem ſatis mirari nequeo Melanchtonis, Oecolampadij, Petri Martyris, Caluini, & Bezæ amentiam,qui huius ſententiæ propheticæ à ſe præpoſterè intellectæ prætextu, Deum omnium bonorum fontem,non erubuerint facere inſtigatorem, impulſorem, imò operatorem, authoremque adulterij, & homicidij Dauidis, fratricidij filiorum Iacob; rapinarum, incendiorum,ac cędium impiorum,qui in fortunas Iobi graſſati ſunt. Abſalonicæ perduellionis,atque eiuſdem inceſtus, quo patris concubinas polluit: Pharaonicæ obſtinationis,& crudelitatis: Herodis,Pilati, Iudæorumque impietatis: Iudæ traditionis: omnium tandem turpitudinum, ſcelerum,& peccatorum hominum,& diabolorum. Iſta ex viro doctiſſimo retuli,tùm vt innoteſcerent hæretici aſſerentes, Deum eſſe culpæ authorem: tùm vt paterent Eccleſiæ patres; de malo pœnæ,non culpæ exponentes Iſaiæ ſententiam.

Bal. Non tàm frequens grando cadit,atque Patres Græci,& Latini apud Feuardentium.

Matth. Subdit, idem Feuardentius præclarum locum Mart. Campani Medici Burdegalenſis,qui ſcribit aduerſus dicentes, Deum eſſe authorem mali: & chriſtiana ſcribit, ſed ex ratione,& authoritate Euripidis, Homeri,& aliorum ſæculi authorum. Ab hoc medico Chriſtiano debuit exemplum ſumere Licetus medicus.

Bal. Textus ſacer cantat; *Ego Dominus creans malum*, Termaximus attulit primò malum, quod eſt mundus elementaris: hoc malum à Deo creatum aſſerit. Ineuitabile enim eſt,ſi conſtruatur caſus agens participij *creans* cum patiente, quod eſt *malum*,ideſt,mundum elementarem: ineuitabile inquam, quin intelligatur, Deus creare malum iſtud,ſcilicet mundum elementarem. Sed vir prudentiſſimus Licetus,& ſi afferat malum tàm culpæ, quàm pœnæ: non aſtruit Deum eſſe, qui creat malum culpæ,vel pęnæ; ſed ait in mundo elementari vigere malum tàm pęnæ, quàm culpæ; nec debes tu conſtruere vtrunque hoc malum cum verbo creandi, ſed cum verbo vigendi.

Matth. Perſpicis, textum Iſaiæ ab hæreticis quàmplurimis vſurpari in malum ſenſum. Quare officium catholici erat, poſt diſtinctionem mali, in malum naturæ,culpæ,pęnæ: ſingula ſignificata applicare ad textum prophetæ ea ratione, vt includatur ſenſus catholicus, excludatur ſenſus hæreticus.

Hoc officium Theologi Theologus Licetus in nullo ſignificato exercuit,totumque ſub tenebris æquiuocationis obſcurauit.Imò non totum; nam primus ſenſus, quo *mundus elementaris* nominatur *malum*, eſt & vocabulo,& re hæreticus; qui ſenſus à Liceto eſt applicatus ſcripturæ. Incluſit ergo ſenſum hæreticum,& excluſit catholicum

contradictorium; In alijs ſignificatis quærendum eſt ex ratione, quid Licetus poſſit, velit, aut debeat dicere. Licetus prætendit exponere caſum patientem à Propheta ſcriptum, nempe *malum*. profert triplex malum naturæ, culpæ, pænæ. Si ad propoſitum ſcribit, ſequitur, vt Deus ſit creans malum naturæ, culpæ, pęnæ. Nihilominus tibi deferam, Balde. Si caſus agens reſpectu mali culpæ, & pænæ non eſt Deus: indica tu ex Liceto, quis ſit caſus agens.

Bal. Pró tua lubentia faciam. Sic Termaximus. "Semper vnius ob materiæ contagionem, materialiumque contrariorum, & cacodæmonum etiam pugnam aſſiduam, viget omne malum tàm pænæ, quàm culpæ. Vniformiter in grammatica, vniformiter in logica loquitur de cauſa mali tàm pænæ, quàm culpæ. In grammatica, "*vnius ob materiæ, &c. viget omne malum tàm pęnæ, quàm culpæ:* Reſolue conſtructionem cum præpoſitione cauſali, *ob*, aut *propter*. Sic. Cauſa, ob quam, vel propter quam viget omne malum tàm pænæ, quàm culpæ eſt materia, & cacodæmon. In Logica iuxta regulas exponibilium, vox *vnius* æquiualet voci *ſolius:* & excluſiua eſt exponenda in caſu noſtro, gratia alietatis hoc pacto. *ob ſolam materiam, & Dęmonem viget omne malum tàm pęnæ, quàm culpæ:* & præiacens eſt, *ob materiam, & dæmonem viget omne malum tàm pęnæ, quàm culpæ: excludens ob nihil aliud à materia, & dæmone*. quam ob rem in cauſa mali pęnæ, & culpæ includuntur materia, & dæmon vniformiter, vniformiter excluditur omnis alia cauſa.

Matth. Confiteor includi vniformiter has duas cauſas: & excludi vniformiter alias omnes. Sed poſtulo, vtrum in cauſando malo pęnæ, & culpæ includatur, Deus, vt prima cauſa: includatur liberum arbitrium cauſatum, vt ſecunda cauſa; aut non includantur?

Bal. Excluditur vtraque cauſa, ſiue prima, ſiue ſecunda, quæ ſit diuerſa à materia, & Dæmone.

Matth. Quid igitur concludis pro Liceto.

Bal. Ergo Deus non eſt creator mali culpæ, vt tu perperam inferebas contra Licetum.

Matth. Ergo Deus neque eſt creator mali pęnæ.

Bal. Confiteor vniformiter excludi Deum à cauſatione mali tàm pęnæ, quàm culpæ.

Matth. Igitur Deus falsò dicit in ſcriptura, *Ego Dominus creans malum,* ſcilicet malum pęnæ: & Licetus in iſta parte cum Colutho ſentit. Coluthi, & Florini hæreſes ſunt oppoſitæ: Coluthus vniformiter negat, Deum creare malum tàm pęnæ quàm culpæ. Si hoc Licetus tenet, Coluthianus eſt. Florinus vniformiter affirmat, quòd Deus eſt creans malum culpæ, & pænæ. Sed fides catholica diuidit, in qua Deus creat malum pænæ, non culpæ. Dum ergo fugis pro Liceto Florini hæreſim, eum includis in hæreſim Coluthi.

Bal. Lupum auribus teneo.

Matth.

Matt. Mitte adagia,& phraſes abſtruſas.Quantumuis rudius,modò clarius loquere. Deus,includitur ne in cauſa vtriuſque mali tàm pęnæ quàm culpæ, an excluditur?

Bal. Vtraque ex parte vrgeor,vt Deus mihi ſit vel creator culpæ,vel non ſit creator pœnæ.

Matth. Nihil reſoluis. Dominus creat malum pęnæ iuxta ſenſum Eccleſiæ,& Patrum: tu adimis à Deo creationem pęnæ. Iuſtitia Dei prima,tàm vniuerſalis,quàm particularis conſideretur.Iuſtitia vniuerſalis eſt iuſtitia legalis, qua decernuntur præmia obſeruatoribus, pęnæ tranſgreſſoribus legis. Nemo autem eſt ſimilis Deo in Legislatoribus. Iuſtitia particularis eſt iudiciaria, qua ſingularia facta examinantur,& pro quantitate,& qualitate factorum retribuuntur ſingularibus ſubditis præmia, & pęnæ ſecundum leges. Si quis ergo, materiam cum contrarijs, dæmonem cum pugna afferat eſſe cauſam mali pęnæ,Deum legislatorem,& iudicem offendit: iuſtitiam à Deo aufert; & Diabolo,atque materiæ cum ſuis contrarijs attribuit iniuſtiſſimè. Quocirca vniformiter non debemus dicere de malo culpæ,& pęnæ,vt perperam Licetus dicit. Nec ego perperam illi tribuebam, quòd Deum authorem peccati faceret, ſicut prima ratio probabat: ſcilicet triplex malum allatum ad declarandum malum,quod nominatur ab Iſaia. Nec ſecunda hæc ratio eſt inualida,cum Licetus vniformiter loquatur de authore mali tàm culpæ,quàm pęnæ:& ex fide catholica certiſsimè Deus ſit creator,& author mali pęnę.ergo ex vniformitate Deus erit author mali culpæ.

Bal. At non debes expreſsè imponere hunc errorem viro doctiſsimo, cum ille non expreſſerit.

Matt. Callidè,qui ſeminat errores,errores occultat.Sed nō ſit in hoc errore de malo culpæ; Eſt enim abominabilis nimium.Vnde Caluiniſtæ multi negāt hoc dogma eſſe Caluini,vt aduertit Iacobus Gualterius in anathome Caluiniſmi dilemm.49. quare & Gualterus plura Caluini loca producit ad eoſdem Caluiniſtas reuincēdos.Idem præſtat Feuardentius ſuper Ireneum pag.511. Becanus autem in 1.p.Theologiæ tract. de Deo cap.16. quæſt.1.A. car.129. prodit quoſdam Caluiniſtas,qui confitentur hunc errorem eſſe Caluini, ſed negant eſſe Caluiniſtarum. Tàm execrabilis eſt hæc opinio,quæ ponit Deū eſſe cauſam peccati,vt ipſi etiam ſequaces errantis, nolint in hoc ſequi. Si ergo Licetum puduit, hunc errorem exprimere, non eſt mirandum. Si autem nec in eo errore eſt, magnopere eſt lætandum,ne ſcilicet Deum dixerit eſſe cauſam peccati. Sic excluſa ſit per nos prima cauſa rerum,ne ipſa ſit cauſa mali culpæ.Sed de cauſa ſecunda,quæ eſt liberum arbitrium, iam dicamus.

Obſer-

Obſeruatio Trigeſimatertia.

Matt. LIcetus omne malum tàm pœnæ, quàm culpæ refert in duas cauſas, *ob quas*; alteram internam in peccante homine, quæ eſt materia cum contrarijs: alteram externam, & ſunt dæmones impugnantes. Vniformiter includuntur iſtæ duæ cauſæ, & excluduntur aliæ cauſæ omnes à cauſalitate omnis mali tàm pœnæ, quàm culpæ.

Bal. Iam in præcedenti dixi vniformiter has duas eſſe incluſas, alias omnes excluſas; quæ vniformitas eſt intelligenda in cauſatione mali tàm pœnæ, quàm culpæ: quamuis fortè aliter influat vna cauſa, aliter altera ex incluſis. Sed quid in hac re obſeruas?

Matth. Cauſa peccati ſecundum catholicos eſt liberum arbitrium finitum, & defectibile, & de nihilo factum: conſule Scotum in 2.d.37. quia tale liberum arbitrium poteſt eſſe cauſa deficiens, vel in actu, vel in rectitudine actus. Cauſa peccati ſecundum hæreticos eſt materia prima, & dæmon. Bonus Licetus pro cauſa omnis mali culpæ, & pœnæ explicat cauſam ad placitum hæreticorum, & ſententiam catholicorum tacet. Eſt ne hoc dignum Theologo Chriſtiano aſſerere doctrinam hæreticalem, & ſupprimere doctrinam catholicam?

Bal. Quomodo probas hanc doctrinam Termaximi eſſe hæreticalem?

Matth. In Directorio inquiſitorum p.2.q.4.car.240.colum.1.A. inter errores Algazelis philoſophi octauus eſt.

„Quòd Deus non permittit mala fieri, vt eliciat bona: ſed quòd mala in mundo proueniant ex neceſſitate materiæ. Caſtrenſis aduerſus hæreſes tit. *malum* hæreſi prima ait, "Seleuciani, & Hermiani dicebant malum aliquando eſſe à Deo, aliquando à materia. Idem ſcribit Auguſtinus de hæreſibus hæreſi 59. Sed neque Auguſtinus, neque Caſtrenſis exponunt, an hi hæretici loquerentur de Deo bono, an de malo.

Bellarminus tamen tom.4. in lib. de amiſſione gratiæ, & ſtatu peccati cap.10. ad finem colum.123. ſcribit. "Omnes communiter execrantur Marcionem, Manichæum, & alios veteres hæreticos, qui aliquo modo Deum faciebant authorem peccatorum. At longè magis execrandi ſunt Libertini, & Caluiniſtæ. Siquidem illi veteres, cum non auderent in Deum bonum referre cauſam mali, duos Deos finxerunt, vnum bonum bonorum authorem, & alterum malum authorem malorum. Libertini verò, & Caluiniſtæ vnum, & eundem Deum authorem faciunt omnium ſcelerum, & flagitiorum, quæ ab hominibus perpetrantur. „Si ergo cum his hæreticis Marcione, & Manichæo antiquis numeremus Seleucum, & Hermiam, vt mala culpæ ex Deo malo, & materia vigeant: plane habemus hæreticos,

qui

qui peccata referunt in materiam, & Deum malum, ideſt in principem dæmonem, & ſequaces.

Si autem intelligamus Seleucum, & Hermiam loquutos de materia,& vero Deo: hi hæretici cum Simone Mago,& Florino antiquis computabuntur,& item cum recentioribus hæreticis,nempe Libertinis, & Caluiniſtis.

"Gabriel Prateolus tit. *Manichaus.* tradit Manichæos non referre peccatorum originem in liberum arbitrium voluntatis creatæ, ſed in dęmonem principem ſcilicet, ac gentem tenebrarum,& in materiam primam, quam aliquando dæmonem aliquando à dęmone ortam docent. Quæ materia admixta in hominis carne,peccata committit,etiam homine non conſentiente, Sanctus Auguſtinus hæreſi 46. verſus finem aſſerit,quòd Manichæi non reſoluūt originem peccatorum in liberum arbitrium creatum, ſed in ſubſtantiam gentis aduerſæ,hominibus mixtam. Variant non nihil relationes errorum à Manichæis aſſertorum: nec enim hæretici vnitatem tenere ſciunt. Conſtat ex iſta narratione Manichæos hæreticos pro peccati origine, aſsignare materiam, & dęmones: quam originem omnino eamdem Licetus protulit. Sed materiam hi omnes narrati,vt cauſam peccati cognouerunt.

Habes hæreticorum opinionem.Catholici autem,vt peccati originem, ponunt eſſe liberum arbitrium defectibile. Legatur Magiſter Sententiarum in 2.d.34. & ibi cum alijs Scholaſticis S. Bonauentura. Scotus verò in diſt.37. Sanctus Auguſtinus autem in libris tribus de libero arbitrio idem docet, quos in primo retractationum cap.13. & cap.15. elimauit: aſſerens liberum arbitrium noſtrum eſſe cauſam peccati. Ita in lib.de gratia, & libero arbitrio, in Enchiridio, & locis omnino multis.

Bal. Piè ſentiendum de pientiſſimo viro Termaximo,qui & ſi liberum arbitrium non nominet, nihilominus illud non excludat.

Matth. Callida pietas eſt,quæ principia peccati hæreticalia memorat, principia catholicè credenda non memorat. imò excludit(vt tu quoque ſuperius es confeſſus) omnem aliam cauſam peccati,præter materiam,& dęmonem. Noluit autem expreſsè ponere propoſitionem, ne damnaretur expreſsè cum Luthero,& Caluino negantibus arbitrium liberum; ponentibuſque ſeruum arbitrium; propter quod damnati ſunt in concilio Tridentino ſeſſione 6. canone 5. Sed ſi Licetus expreſsè non excluſit in particulari, excluſit in vniuerſali liberum arbitrium.

Obſeruatio Trigeſimaquarta.

Matt. QVartus error ſuccedit in illis verbis de mundo elementari, "in quo viget omne malum tàm pęnæ, quàm culpæ: quarum nulla poteſt habere locum in regione cęleſti. „

Bal. Numquid in regione cęleſti poteſt habere locum culpa, vel pęna?

Matth. In quocunque loco poteſt eſſe creatura libera, in eo poteſt eſſe tàm culpa, quàm pęna: idque ſpectata natura, tùm creaturæ liberæ locabilis, tùm corporis locantis. Nam ſi diuina gratia præueniat voluntatem creatam efficaciter, in quouis loco voluntas creata non peccabit. Excutiamus de facto per duas propoſitiones.

Prima eſt. Angeli vel omnes, vel plurimi fuere in cęlo vſque ad terminum viæ angelorum, in quo termino boni angeli in cœlo ſunt ſtabiliti ratione ſui ſtatus: mali de cęlo ceciderunt. Probatur, quia veritas Lucæ 10. aſſerit: *Videbam Sathanam, ſicut fulgur de cęlo cadentem.* „Apoc. 12. de Dracone, qui & Sathanas, legimus. *proiectus eſt in terram & angeli eius cum illo miſſi ſunt.* Iſaiæ 14. "*Quomodo cecidiſti de cęlo Lucifer, qui mane oriebaris?* Quibus authoritatibus magiſter in 2. poſt Bedam & Strabum tenet angelos in Empyreo creatos fuiſſe. Cum magiſtro communiter Theologi tenent.

Secunda propoſitio. Lucifer primus angelorum peccauit, & alios multos induxit ad peccandum, dum eſſent in ſtatu viæ. Incerta eſt duratio angelis præſcripta in ſtatu viæ, alij longiorem, alij breuiorem deſignant. Illud eſt certum, omnibus angelis fuiſſe præſcriptum ſtatum viæ. in quo mereri, & demereri potuere. Certum eſt angelos multos per proprium liberum arbitrium, durante ſtatu viæ, peccauiſſe peccatis grauiſſimis, & pluribus. Ad hoc Sanctus Bonauentura 2. d. 5. q. 1. tria principalia Luciferi peccata numerat: ibique Burlifer Sancti Bonauenturæ explicator viginti peccata Luciferi memorat. Multa quoque fuere peccata conſpirantium cum Lucifero angelorum, de quibus idem Sanctus Doctor in q. 3. illius diſt. 5.

Conclude ex his, falſiſſimum eſſe, quòd in regione cęleſti non poſſit eſſe malum culpæ. Imò primum malum culpæ in cęlo perpetratum eſt.

Primum inquam origine ante cętera: primum grauitate, primum cauſalitate, ſiue occaſione: ex quo conſequuta ſunt peccata omnium angelorum in cælo, & omnium hominum in terra.

Sco. 4. d. 43. q. 2. V. & d. 46. q. 4. D.

Bal. An & pœna in cælo eſſe potuit?

Matth. Pęna quædam eſt inſeparabilis à culpa, iuxta Auguſtinum primo confeſſionum cap. 12. "Iuſſiſti enim, inquit, & ſic eſt: vt pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus. „Dic tu ſimiliter omnis inordinatus

natus angelus. Subtiliſſimus quoque Doctor in 3.d.3.q.1. aſſerit culpam eſſe maximam pœnam creaturæ intellectualis. Meritò. Duplex eſt bonum naturæ intellectualis, bonum iuſti, cui repugnat culpa, & bonum commodi, cui repugnat pœna. Simpliciter præcellit bonum iuſti, & carentia talis boni eſt ſimpliciter malum: quo malo exiſtente in creatura intellectuali, ipſa creatura ſimpliciter malè ſe habet, tametſi bene ſe haberet, ſed ſecundum quid in affectione commodi. Hinc illa ſacri ſenis Eleazari 2.Machabæorum 6.vox. *Præmitti ſe velle in infernum*, quàm contra Dei legem agere. Sed hæc pœna non eſt à Deo inflicta. Alia pœna eſt à iudice inflicta, quæ & propriè pœna eſt. Cum enim Deus offert gratiam, vel perſeuerantiam in gratia ſanctificante alicui voluntati creatæ: ſi voluntas illa reſiſtat gratiæ, Deus ex iuſtitia damnat priuatione gratiæ illam voluntatem, ne gratia inſit: ſi autem inerat, gratiam illico aufert in pœnam: qua pœna procul dubio multati fuere angeli eodem momento, quo peccauere; & quoniam Deum deſeruerunt, à Deo deſerti ſunt, vel magna ex parte, quoad auxilia diuina, dum eſſent inuia: vel prorſus deſerti, cum primò mali fuere in termino.

Bal. Quæro vtrum angelis in cælo peccantibus fuerint aliquæ pœnæ inflictæ.

Matth. Tres pœnæ in angelos malos ex diuino decreto cæperunt in cælo. Prima eſt pœna damni, hoc eſt priuatio æternæ gloriæ. Secunda eſt pœna vermis, quæ eſt priuatio æternæ gratiæ, & auxiliorum neceſſariorum ad gratiam conſequendam. Tertia, pœna exilij æterni à cæleſti patria; eodem momento triplex triſtitia & quidem grauiſſima de grauiſſimis hiſce malis punitiuis, in voluntates angelicas inflicta eſt. Quantus verò furor, ignominia, mæror oppreſſerit Luciferum de ſe, & ſuis, quòd eſſent victi: de Michaele, & commilitonibus, quòd viciſſent: de Deo, quòd ſuperauerit, iudicauerit, puniuerit, vix poteſt cogitari. Hæ, atque aliæ multæ pœnæ in cælo cæperunt: nam hæ pœnæ momento fiunt, & ſunt: motus vero de cælo in terram in tempore, quamuis breuiſſimo, actus eſt. Quare in cælo & culpa, & pœna eſſe poteſt.

Bal. Vera hæc ſunt. Sed non concludunt aduerſus Termaximum: quoniam dabit fuiſſe ab initio mundi in cælis pœnas, ſed non dabit modò eſſe poſſe.

Matt. In rerum creatione attenditur natura rerum: non quid ex lege iuſtitiæ ſancitum ſit. Sed ex natura rerum, ſicuti ab initio in cælo potuit eſſe culpa, & pœna; ſic & nunc poteſt. Licetus autem tractat de prima rerum creatione: quare hæc tua reſponſio potius fuga eſt, quàm defenſio. Cæterùm etiam nunc in cælo eſt aliquis effectus iuſtitiæ punitiuæ. Non eſt quidem afflictio, vel pœna perſonalis, vel purgatoria; ſed eſt quædam pœna communitatis. Cadentibus etenim malis angelis, magnum damnum in communitate, & Vi. ~~hor.~~ Scot. 4 d.20.q.1. H.

 nume-

numero angelorum manſit: atque numerus cadentium angelorum impletur per Chriſtum ex hominibus ſaluatis. In hunc ſenſum Iacobus de Valentia ſuper pſal.109. intelligit à Chriſto ruinas angelorum impleri. Sanctus Gregorius quoque hom.21. in Euangelia de Chriſti reſurrectione ſcribit. "Illa quippe redemptoris noſtri reſurrectio, & noſtra feſtiuitas fuit, quia nos ad immortalitatem reduxit: & angelorum feſtiuitas extitit, quia nos reuocando ad cęleſtia, eorum numerum impleuit.,, & infra:, Dum nos per reſurrectionem Domini ad ſuperna reducimur, cęleſtis patriæ damna reparantur.,,

Conſentit S.Bonau. in 2.d.1. num.67. d.9.q.1. num 7. & q.5. integra, vbi & P.Capullius. Inſuper Doctor ſubt. in 4.d.26.B. Nazarius de angelis q.108. art.8. in expoſitione. Torrerius in Geneſ. lib.5. q.4. cap.207. col.1. num.35. Sed & Auguſt. in Enchirid. cap.29. & cap. 61. ac 62. & in 22. Ciuit. cap.1. docet ruinam angelorum ex hominibus reparari. Denique Leo Nonus in Decreto de conſecr. diſt.1. cap.55. *Hi duo.* Sic dicens."Quòd nouem hebdomadibus alleluia intermittimus: non incongruè per nouem hebdomadas, nouem ordines angelorum accipimus: quorum decimus ordo per ſuperbiam corruens, angelicum numerum minuit, & à fęlicitate perturbauit. Qui condolentes ſuæ diminutionis, & parem ruinam ſibi timentes, à perfecta laude creatoris fuere præpediti. Quorum reparationi, & conſolationi conſulens omnipotens Deus creator, primum hominem de limo terræ formauit, qui ſui generis multiplicatione damna cęleſtis patriæ reſarciret, atque angelorum gaudia ſuppleret. Qua ſpe angelicus chorus non modicum lætatus eſt. Nec mirum, ſi ex lapſu ipſius hominis fuit perturbatus. Vnde nouem ordinum concentus in laudem Dei creatoris permanſit imperfectus: donec in Chriſto reſurgente reſurrexit lapſus ille protoplaſtus. Ibi augmento ſui collegij, & ſpe meliori angelicus exercitus gauiſus in nouum alleluia conſurrexit totus, & in eo perſtat deuotus.,, Hæc de angelorum damno. Nunc de animabus, quæ in cęlo ſunt, ſcrutemur.

Bal. Num & in animabus beatis, vt Aaronis, vel Petri, pęnam aliquam eſſe finges?

Matth. Non fingam, verum enim dicam.

Sit prima aſſertio. Mors ſubſtantialis hominis non eſt conditio naturalis, ſed pęnalis: qua punitur peccatum primi parentis: dicente Apoſtolo ad Roman.5. "*Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.*,, Aſſertio hæc definita eſt in Concilio Mileuitano & habetur in Decreto de conſecrat. diſt.4. cap.152. *Placuit,* & in concilio Trid. ſeſſ.5. Inde Auguſtinus in 13. de Trinit. Dei cap.15. ſcribit. "Vnde conſtat inter Chriſtianos veraciter catholicam tenentes fidem, etiam ipſam nobis corporis mortem non lege naturæ, qua nullam mortem homini Deus fecit, ſed meritò in-

flictam

ſtictam eſſe peccati, quoniam peccatum vindicans Deus,dixit homini: terra es, & in terram ibis. „

Corolla.1. Corpus reſolui in puluerem,& reſolutum remanere vſque ad vniuerſalem reſurrectionem, eſt effectus pęnalis.

2. Animam humanam ſeparari à corpore,& ſeparatam manere vſque ad vniuerſale iudicium: non communicare corpori eſſe formale, tanquam per ſe formam corporis vegetatiuum,ſenſitiuum, intellectiuum, eſt effectus pęnalis.

3. Corpus humanum,& animam rationalem non conſtituere intrinſecè totum compoſitum humanum, ad quod tamquam per ſe partes, vt ad per ſe finem ordinantur: atque adeò non participare bonitatem ſui finis immediatè vſque ad reſurrectionem omnium, eſt effectus pęnalis.

Tunc argumentare. Omnis ſeparatio animæ rationalis à corpore eſt effectus pęnalis propter Adæ peccatum. Sed animæ in cęlo manentes vſque ad vniuerſalem reſurrectionem ſunt à corpore ſeparatæ: ergo habent effectum pęnalem. Idem dicito de actu informandi corpus, conſtituendi totum,& participandi bonitatem ſui finis ſubſtantialis naturalis, & immediatè.

4. Anima ſeparata ex naturali inclinatione deſiderat vniri corpori ſuo, illudque viuificare,conſtituere totum,& participare perfectione totius.

5. Potentiæ rationales, vt intellectus & voluntas (etſi non ſint organicæ) tamen cum ſint radicatæ in ipſa eſſentia animæ, naturaliter ſequuntur deſiderium ſuæ radicis, quoad naturalem inclinationem. Inſuper & actu elicito intellectus animæ ſeparatæ cognoſcit bonum naturæ, quod deeſt & animæ, & potentijs. Voluntas itidem actu elicito deſiderat bonum ſuæ naturæ conformiter ad ius naturale, quo vnaquæque res deſiderat bonum ſuum naturale.

6 Voluntas animæ ſeparatæ iuſtæ ex lege ſupernaturali deſiderat vnionem cum ſuo corpore,vt quia corpus fuit ſocium in merito animæ, ſocietur in præmio: nec non vt beatitudo animæ redundet in corpus.

7 Ex hoc deſiderio & naturali, & elicito, ſed tamen iuſtè elicito conformiter ad regulam diuinam, anima retardatur, ne tota intentione feratur in Deum, Deique viſionem, ac fruitionem; quemadmodum Magiſter Sententiarum in 4.diſt.49. inſtruit poſt S.Auguſtinum 12. de Geneſ. ad litteram cap.35. quem ſequuntur Sanctus Bernardus in ſermone 3. de omnibus Sanctis, Sanctus Bonauentura 4.d.49.q.7. num.28. & 29. Sanctus Thomas eadem diſt.q.1. art.4. & alij multi. Sed poſt reſurrectionem vniuerſalem exaturato naturali animæ appetitu, animæ beatæ gaudium & intenſiuè, & extenſiuè locupletabitur.

Ber. ex Bell. to. 4. co. 732.

Secunda aſſertio. Animæ humanæ,quæ cum gratia decedant de cor-

pore, ſi nihil purgandum habeant: confeſtim (intelligo poſt Chriſti mortem) etiam ante reſurrectionem vniuerſalem, conſequuntur beatitudinem æternam, & facialem Dei viſionem; prout eſt determinatum à Benedicto XI. Cuius decretum refertur à Caſtrenſi aduerſus hæreſes titulo, *beatitudo*. Idem definitum eſt in concilio Florentino, vt patet in litteris vnionis. Quia verò cum beatitudine non eſt compoſſibilis vlla pæna damni, vel ſenſus, vlla triſtitia, vel gemitus; nulla afflictio perſonalis erit in animabus beatis, ſed ſolus effectus penalis conſequens communitatem humanam.

Bal. Spes, quæ differtur affligit animam. Si ergo anima Petri ſperat, & corpus ſuum, & beatitudinem corporis; & hoc bono caret, ergo affligitur.

Matth. Reſponſio eſt protrita apud Scholaſticos. Voluntas beata non ſperat quomodocumque, ſed conformiter ad leges iuſtitiæ diuinæ, quare neque affligitur ex ipſa ſpe. Item & Deus præuenit, ne afflictio vlla ſequatur; & beatitudo formalis tantam vbertatem gaudij habet, vt excludat triſtitiam, non modò contrariam, ſed etiam contingentem.

Sit Aſſertio tertia. Anima beata ante reſurrectionem vniuerſalem non habet gloriam conſummatam, ſaltem extenſiuè: etenim in hominibus ſpectatur duplex gloria, ideſt gloria animæ, & gloria corporis; gloria animæ vocatur prima ſtola, gloria corporis ſecunda ſtola. Stola prima conſiſtit in clara viſione, perfecta fruitione, æterna tentione Dei, & in lætitia conſequente. Gloria corporis attenditur præcipuè in quatuor dotibus, claritate, ſubtilitate, agilitate, impaſſibilitate. De quibus Beatus Gregorius in

Apoc. 6. ſeptem Pſal. ſuper Pſal. 50. declarans illud Apocalypſis 6. *data ſunt eis ſingulæ ſtolæ albæ* inquit. "Quid namque eſt ſingulas illis ſtolas tribuere, niſi animabus eorum beatitudinis æternæ immortalitatem conferre? Quid vero eſt, donec electorum numerus impleatur, requieſcere, niſi futuræ reſurrectionis gloriam expectare? In qua nimirum ſingulas ſtolas albas accipient, quia immortalia, & incorruptibilia corporum ſuorum veſtimenta reſument." Idem docet Gregor. in præfatione ad libros moralium cap. 9.

Si itaque, opus redemptionis ab omni culpa, & pæna in electis eſſet conſum-

Rom. 8. matum, iam nulla pæna eſſet in electis. Sed Apoſtolus, & Sancti, Rom. 8. adhuc expectant redemptionem corporum ſuorum. Nondum inimica

1. Corin. 15. mors eſt abſorpta prorſus, ſed ex prima Cor. 15. nouiſſimè inimica deſtruetur mors. Nondum conſummati ſunt Sancti, ſed Deus melius pro-

Hebr. 11. uidit, Hebr. 11. ne ſine nobis conſummarentur. Sicut ergo in principio mundi omnes homines in Adamo ſunt morte puniti: Sic in fine mundi omnes reſurgent in Chriſto. Sed Sancti reſurgent etiam immutati in gloriam, verificabiturque dictum Apoſtoli: *ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur* 1. Corinth. 15. atque ſaluator prænuncians iudicij ſigna finalis, hanc redemptionem conſummatam prædi-

Luc. 21. xit Apoſtolis. *His fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra,*

quo-

quoniam appropinquat redemptio veſtra.

Bal. Intelligo animas beatorum habere partem ſuæ gloriæ, non totam: habere primam ſtolam, non ſecundam: habere redemptionem animæ, non redemptionem conſummatam animæ, & corporis. Hanc autem ſeparationem animæ à corpore vſque ad iudicium, & diſſolutionem corporis, ex tua ſententia eſſe inflictam propter peccatum Adæ.

Sed quantumuis iſta verſes, & reuerſes: magis faueo Termaximo neganti pœnas eſſe in cælo poſſe, vel culpas.

Matth. Sanctus Auguſtinus in primo retract. cap. 14. reſpondeat. "Non reſiſtendum, nec de verbis, cum de re conſtat controuerſia facienda eſt" Concede iſtos effectus iuſtitiæ Dei punitiuæ in angelorum damno, & animarum ſeparatione. Si pęnas, ſi pęnalitates dicere non vis, de voce non contendo, de re conſtat. In cælo primæ culpæ vniuerſi ſunt perpetratæ: & primæ pœnæ inflictæ: cætera concedent, qui ratione ducentur, non affectione.

Obſeruatio Trigeſimaquinta.

Matt. Licetus vult Licetico ſpiritu ab Iſaia Propheta cælum appellari pacem, terram verò, & mundum elementarem *malum* propter pugnam contrariorum, & dæmonum. Dixi Licetico ſpiritu: quia nec ſpiritum Eccleſiæ, nec Patrum in exponẽda ſcriptura propoſuit; quod facere debebat iuxta concilium Lateranenſe, ac Tridentinum.

Bal. Cæleſtem regionem meritò *pacem* dixeris, elementarem *pugnam*: nam in hac vt in chao, frigida pugnant calidis, humentia ſiccis.

Matth. Potius ex hac ratione cælum dixeris prælium. nam Apocalypſis 12. ſcriptum eſt. "Factum eſt prælium magnum in cælo; Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli eius, &c." Ex quo prælio, quæcumque ſequuta ſunt prælia inter angelos & homines, atque inter homines, & homines ſunt exorta: Cælum ergo prælium potiùs dicetur, tamquam primum analogum. Apoc. 12

Bal. Hoc prælium in cælo geſtum ſpectat ad habitatores cæli, non ad naturam cæleſtem, de qua loquitur Termaximus.

Matth. Sed pugna dæmonum, & contrariorum, à qua eſt omne malum pœnæ, & culpæ, principaliter iuxta Licetum ſpectat ad habitatores puta dęmones, & homines: in quibus ſolis eſt malum pęnæ & culpæ. quare Licetus, non de ſola ſubſtantia mundi elementaris, ſed de habitatoribus quoque tractat.

Verùm & quantũ ad naturã, & naturales cõditiones poſt primã creationẽ rerũ à ſolo Deo factã, in qua nõ eſt ſpectata cõtrarietas pręcedẽs, ſed forte priuatio, omnia poſteriora cõtraria, & omnes contro-

uerſiæ

uerſiæ in ſub cęleſtibus à cęlo deriuantur. De qua re Scotus in 2.diſt. 14.q.3.ſub A. „Accedente, inquit, Sole,& alijs ſtellis calidis ad Zonit alicuius regionis: elementa ſuperiora, ſcilicet ignis,& aer augentur; & inferiora, ſcilicet terra,& aqua minuuntur,& conuertuntur in ſuperiora. & è conuerſo,recedente Sole, & accedentibus Stellis effectiuè frigidis, vt eſt Saturnus, & Mercurius, accidit generatio elementorum aquæ, & terræ.„ &c. Igitur ex influxu,motu, lumine cæli, vt ex principio efficiente oriuntur & contraria, & contrariorum actiones, & paſſiones, generationes item, & corruptiones in ſubcęleſtibus. Quod Ariſtoteles indicauit in 2.de Generat.5 6. & in 12. Met.34. atque 1.meteor. ſum.1.cap.2.

Bal. Planè probabilis eſt ſententia Doctoris ſubtilis.

Matth. Si autem,te iudice, & diſceptante, accuſentur homicidij homo, & *enſis*: quem iuſtius damnares, agens principale, an inſtrumentum?

Bal. Nimirum agens principale;nam inſtrumentum eſt motum mouens, & plus in patiendo, quàm in agendo ſpectatur.

Matth. Iuſta ſententia. Sed cæli natura,& motus eſt agens principale in omni pugna naturali elementorum,ac elementatorum: elementa,ac elementata ſunt inſtrumenta mota à cælo mouente; ergo cauſa pugnæ in cęlum refunditur, tanquam in cauſam naturalem, & principalem.

Bald. Non planè perſuades; apparens tamen eſt ratio.

Matth. Ergo primum prælium,ex quo omne prælium, in cęlo fuit loquendo de habitatoribus. Prima radix contrarietatis & pugnæ naturalis ſub cæleſtium,eſt in cęlo. Cęlum ergo iuſtius accuſabitur vt prælium,& cauſa prælij.Qui cauſam damni dat,damnum dediſſe videtur.Malè igitur Licetus in cęlo negat prælium eſſe poſse, ac directè contra ſcripturam ſcribit.

Bald. Quid intereſt Liceti, ſi in cæleſti regione non poteſt eſse prælium, culpa, pęna?

Matth. Multum intereſt ad ſtabiliendum Iudaiſmum. Reminiſcere pag. 5. Licetum dixiſſe; in cæleſti regione eſse pacem,& tranquillitatem & ibi Deum eſse. In ſubcæleſti regione eſse locum turbidum, & ibi Deum non eſse ſecundum ſubſtantiam; Hæc hæreſis Iudaiſmi confirmatur per iſtam expoſitionem Liceti; Si omne malum naturæ,pęnæ,culpæ eſt ſub cælo, & in cęlo non eſt; igitur cum ratione,& authoritate prophetica Dei eſsentia eſt in cælo, non eſt ſub cælo.

Reminiſcere in obſeruatione 10.eſse animaduerſum,quòd Licetus ponit omnes angelos, & vniuerſam naturam angelicam eſse lucem luce beatitudinis; quàm propoſitionem falſam dixit conformiter ad Ariſtotelem, Liceto Iudæû,qui ponit omnes intelligentias,vel cælorum motrices,vel extra cælum exiſtentes non motrices,habere optimam vitam,& intraſmutabilem. Ille idem error,quòd angeli omnes

nes ſtatim à creatione ſint beati, & impeccabiles, hinc ſtabilitur occultè.

Si enim in cælo non poteſt eſse prælium, non culpa, non pœna: ergo nullus angelus in cælo exiſtens, pugnauit, peccauit, punitus eſt: aut poteſt pugnare, peccare, puniri. Ita ſibi conſonat locus iſte ad ſtabiliendum errorem ſuperiorem. Planè eſt impoſſibile in regione cœleſti eſſe, quod in ea regione eſſe non poteſt.

Bald. Sed tamen attende etiam in iſta pagina 6. recenſeri pugnam cacodæmonum: quare & aliquos angelos malos poni à Liceto.

Matth. Niſi dicatur pugna cacodæmonum eſſe vt velum ad contegendum errorem: oportet exquirere à Liceto, an dæmones ſint eiuſdem naturæ cum angelis cœleſtibus; nam dæmones poſſunt pugnare, & peccare: cæleſtes angeli non poſſunt ſecundum Licetum. Ideoque exiſtimo Licetum cum Ariſtotele ponere dæmonia, vt in 5. Meta. textu 15. quæ demonia ſint diuerſæ naturæ, & ſpeciei ab angelis; quo pacto & Platonici, & Peripatetici quidam concedunt eſſe dæmones.

Obſeruatio Trigeſimaſexta.

Matt. Lege ſi placet, Balde, in pag. 6. à lin. 29.

Bal. "Creatio propriiſſimè dicta eſt productio rerum à ſolo Deo ſummo, peracta ſine interuentu materiæ, per Verbum ſuæ iuſſionis ore prolatum.,, Licetus.

Citat ad *particulam per verbum* Gen. 1. & ſeq.

ad particulam *ore prolatum* pſal. 32. 9.

Matth. Tres definitiones creationis in hoc ſuo proœmio Licetus protulit: tertiam quæ à te lecta eſt in pag. 6. Primam in pag. 1. lin. 9.

„Creatio nihil eſt aliud, quàm productio creaturarum à creatore Deo; Non declarat Licetus, an iſta deſcriptio ſit creationis, vel generatim, vel propriiſſimè ſumptæ: ſed ſcribit prorſus indeterminatè. Secũdam in pag. 1. lin. 16. "Generatim creatio eſt productio rerum in eſſe ſimpliciter, adeoque ipſius eſſe dependentis ab independente, ac operatio Dei tranſiens ad extra.,,

Nunc poſtulo, an Licetus loquatur de tribus ſignificatis in præfatione, & capitibus ſequentibus: an de aliquo vno ſignificato? Si de vno, ergo Licetus debuit determinare illud ſignificatũ iuxta præceptum Ariſtotelis in 1. de cælo 110. in 1. top. cap. 14. & ſæpius. At Licetus non determinauit, prout legendo conſtat: ergo contra ſui magiſtri præceptum fecit. Scitè Ariſtoteles in 6. topic. loco 4. circa definitiones conſtruendas ait, *facilius eſt quodlibet feciſſe, quàm rectè feciſſe.* Si autem loquitur in quolibet ex tribus ſignificatis, vno indeterminato, altero determinato per *generatim*, tertio determinato per *propriiſſimè*; tunc perpetuò laborat in æquiuoco. At cum Sophi- Vide obſeru. 1.

ſta

ſta æquiuocè agente, non eſt diſputandum magis, quàm cum ſtipite per 4.meth.9.

Reprehendit Ariſtoteles in 6.top. loco 6. ſi definitum ſit æquiuocũ,& non diſtinguatur, declareturque, cuius ſignificati afferatur definitio.

Obſeruatio Trigeſimaſeptima.

Matth. RVrſus iuſſit Ariſtoteles, ne demoſtrator, neue dialecticus vtatur metaphoris in definiendo; ſic ad demoſtratorem in 2. poſteriorum 84. ſic ad dialecticum in 6.top. loco 7. veluti, ſi quis deficiat temperantiam eſſe conſonantiam. "Nam omne obſcurum, quod ſecundum metaphoram dicitur. continget etiam metaphora loquentem calumniari, tanquam non propriè dicentem, non enim congruet dicta definitio."

Definiat

Bal. Aſſentior ſalutaribus tanti Logici documentis.

Matth. Sed Licetus in ſua definitione ponit verbum iuſſionis *ore prolatum* iuxta ſacrum Poetam pſal.32. Iam verò aut Licetus credit in Deo verè,& propriè adeſse membrum, quod *os*, ex quo ore verbum iuſsionis profertur: aut per metaphoram, ſeu translationem? Non arbitror à Liceto primum dici, quia ſtatim deprehenderetur lapſus in hæreſim Antropomorphitarum, qui corporeas partes, vt oris, manus, pedum Deo adſcribunt. Si autem Deo per metaphoram in definitione attribuit *os*, iam receſſit à regula demonſtratoris, ac dialectici: & in ſophiſticis agit. Etenim ſecundus modus æquiuocationis eſt, metaphoris vti, vt videre eſt apud Petrum Hiſpanum in ſummulis.

Caſtr.tit. Deus,hęreſ.2.

Bal. Dum increpas Licetum, increpas ſcripturam,& ſacrum poetam, qui cecinit *Et ſpiritu oris eius.*

Matth. Licetus non ſacrum poetam, ſed ſe ipſum redarguet, ſi meminerit Ariſtotelis in 2.Meteor. ſumma 1.cap.3. aduerſus Empedoclem metaphora vtẽtem ſcribentis. "Ad poeſim enim ſic dicens, fortè dixit ſufficienter: translatio enim poeticum eſt. Ad cognoſcendum autem naturam, non ſufficienter," igitur Poeta diuinus ſufficienter, noſter Licetus non ſufficienter *creationis* quodquid eſt expreſſit, & Logicæ regulas tranſgreſſus eſt.

Obſeruatio Trigeſimaoctaua.

Matt. POſteaquam de ore, quod attribuitur Deo metaphoricè, cępi agere, animaduerto in pſal.32. verſ.6. ſcriptum eſse. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Tres in ſcriptura iſta indicantur perſonæ, Pater in voce *Domini,* Filius

in

in voce *verbi*: *Spiritus* ſanctus in voce *Spiritus*: Vbi vocabulum *oris* ſignificat principium, quo producitur Spiritus ſanctus. At Spiritus ſanctus producitur voluntate fęcunda, ſiue liberali, vt principio *quo*: Verbum producitur non voluntate, ſed intellectu fęcundo, ſiue memoria fæcunda; igitur in iſto pſal. per dictionem *oris* non intelligitur principium productiuum Verbi, vt Licetus malè exponit: & ſanè tàm grauis eſt hic error, vt dicere Verbum eſſe voluntate productum, ſit, vel ponere duplex Verbum in Deo, alterum productum per intellectum ſœcundum, alterum per voluntatem *liberalem*, vel hoc eſt omnino negare Verbum in Deo.

Denique ſcriptura ſpiritui appropriauit eſſe ſpiritum *oris*; cur Licetus audet extendere ad Verbum, & citare in ſcriptura, quod in ſcriptura pſal.32. non eſt?

Bal. Negare nō potes, etiam Filium, ſeu Verbum prodire ex *ore*: nam Eccl.24. Sapientia, quæ Verbum eſt, ait. *Ego ex ore altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*.

Matth. Probè dicis. nam in iſto loco Eccl. declaratur principium, *quod* producit ſapientiam genitam, ſeu Verbum: & eſt *pater*, ſignificatus nomine *Altiſſimi*. Declaratur principium *quo*, ſiue *ex quo* producitur verbum, & eſt memoria fœcunda, videlicet, intellectus in ratione potentiæ intellectiuæ, & eſſentia in ratione obiecti actu intelligibilis. Veruntamen ſuperius cum B. Auguſtino monui, non ſemper idem ſignificari per verba translatiua. In Eccl.24. nomine *oris* ſignificatur intellectus fœcundus, quo producitur Verbum. In pſal.32. nomine *oris* indicatur voluntas liberalis, ex qua in ratione amatiui, & eſſentia diuina in ratione obiecti amabilis, ſpiratur amor à Patre, & Filio, coniunctis in vna vi ſpiratiua, vt vno *ore*. Iam verò intellectus fęcundus, & voluntas fęcunda diſtinguuntur formaliter diſtinctione virtuali, vel actuali. Fæcunditas intellectus eſt in ſolo Patre, fæcunditas voluntatis in Patre, & Filio. Prima fæcunditate Verbum, ſecunda Spiritus ſanctus producitur. Productio per intellectum eſt generatio, per voluntatem eſt ſpiratio. Tàm grandis diſtinctio eſt in *ore*, & *ore*: ne iſta confundas.

Præterea Licetus ait, creationem eſſe peractam à ſolo *ſummo Deo per verbum iuſſionis ſuæ, ore prolatum*. In cuius rei gratiam noto cum B. Bonauentura in 1.d.27.q.5. num.27. & 28. loqui accipi dupliciter: eſt enim loqui apud ſe, & loqui ad alterum.

Loqui ad ſe, vel apud ſe eſt mente concipere: mens concipiendo, dicit verbum conceptum.

Loqui ad alterum eſt conceptum mentis exprimere, & huic loquutioni correſpondet verbum prolatum.

Ita in Deo *dicere* Dei apud ſe eſt intelligendo concipere prolem, ideſt Verbum æternum.

Dicere exterius eſt exterius ſe exprimere, vel declarare per creatu-

O ram:

ram: & hoc verbum eſt temporale; Verbum æternum eſt Deus, verbum temporale nec eſt Deus, nec in Deo, ſed eſt creatura.

Tunc interrogo, de quo verbo intelligat Licetus, quando ait à Deo ſummo ſolo peragi creationem per *verbum*? intelligitne de Verbo æterno, an de temporali?

Si de Verbo æterno, qui Deus eſt, intelligat, quia Deus ſummus eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus: iam Filius per Filium, & Spiritus ſanctus per Filium peragit creationem, quod eſt abſurdiſſimum.

S.Bon.1. d.32.nu. 20. Particula enim *per* in verbis tranſitiuis ſignificat in ſuo caſu ſubauthoritatem, vt Pater ſpirat per Filium: Pater, & Filius creant per Spiritum ſanctum. Dicere autem, quòd Filius habeat authoritatem reſpectu ſui ipſius, vt habentis ſubauthoritatem: eſt dicere, quod Filius ſit à ſe, vt ab authore, & ſit non à ſe, quia eſt ſubauthor: quod implicat contradictionem. Item ſi dixerit, quòd Spiritus ſanctus in creando habeat authoritatem reſpectu Filij, & Filius ſubauthoritatem: ſequitur, quòd Spiritus ſanctus ſit author Filij, Filiuſque habeat & eſſe, & creare à Spiritu ſancto, quod planè eſt hæreticum; nam Spiritus ſanctus habet ſubauthoritatem reſpectu filij, & non è contra.

Si de verbo creato intelligat ſuum dictum Licetus, vt puta de cælo & terra: Iam Deus creauit cælum, & terram per cælum: & è contra, per terram creauit cælum & terram; per quos effectus declaratur Verbum æternum, & ſapientia Dei; atque ſequitur grandis abſurditas, vt creatio peragatur à ſolo Deo, & non à ſolo Deo, ſed per creaturam. Sed quæ creatura eſt, per quam cælum, vel angelum format? nam & ante primam creaturam erit alia creatura, per quam Deus creat primam, & ibitur in infinitum. Poſtremò ad creationem illam, quæ ſine interuentu materiæ fit, aliqua creatura poſſet actiuè concurrere, per quam, vt per verbum temporale perageretur illa creatio; quare talis creatio non eſſet à ſolo Deo. Quod eſt inconueniens cum Scoto 4.d.1.q.1.

Obſeruatio Trigeſimanona.

Matt. Aliam citationem falſam producit Licetus. Nam citat primum caput Geneſis ad probandum, quòd creatio ſine interuentu materiæ fiat per verbum iuſſionis diuinæ.

Bal. Obſecro, an non ſcriptura dicit, *dixit Deus, fiat lux? Dixit Deus, fiat firmamentum?* & ita de alijs diebus creationis in 1. capite Geneſeos?

Matt. Res hæc cum Scholaſticis, primò eſt expendenda. Diſtinguunt in prima rerum conditione *opus creationis, opus diſtinctionis, opus ornatus.* Veluti D.Thomas 1.p.quæſt.65. ad initium, & D.Bonauentura

in Breuiloquio parte 2.cap.2. Opus creationis præceſſit ante omnem diem, cum Deus creauit cælum,& terram, hoc eſt ſubſtantiam vniuerſi, vt idem D.Thomas 1.p.quæſt.68.art.1. monet; Ad opus creationis pertinet producere ipſam elementorum ſubſtantiam: ad opus autem diſtinctionis, & ornatus pertinet formare aliqua ex præexiſtentibus elementis. Conſonat 1.p.quæſt.70. art.1.

Deinde ex Patribus poſitiuis Baſil.Auguſt.glo.ord. & alijs notatur aliter à Moyſe deſcribi productionem cæli,& terræ ante omnem diem: aliter productionem rerum in ſex diebus, quorum tres priores ad opus diſtinctionis, tres poſteriores ſpectant ad opus ornatus. Opera diſtinctionis,& ornatus deſcribuntur per verbum *dixit*, per verbum imperatiuum,& per exequutionem dicti,& imperati. Etenim actus dicendi exprimitur prima die ſic, *Dixit Deus:* actus imperandi *fiat lux*: obſeruatio dicti, & imperati. *Et facta eſt lux*. Quare opera ſex dierum per verbum, quod terminat ipſum dicere,& per imperium, ſiue iuſsionem facta ſunt, vel creata ſunt.

Sed hæc factio, & creatio non eſt ſine interuentu materiæ præexiſtentis ordine durationis, imò iuxta Aquinatem citatum, eſt ex elementis præexiſtentibus. Quando autem narratur creatio cæli, & terræ non ita ſcriptum eſt: *Dixit Deus, fiat cælum & terra. & factum eſt ita:* & in principio creauit Deus cælum,& terram. Sed abſque verbo indicatiuo *dixit*: abſque imperatiuo *fiat* abſque exequutione ipſius dictionis,& iuſsionis abſolutè dicitur. *In principio creauit Deus cælum, & terram*. Concedamus pro nunc, opus creationis primum eſſe ſine interuentu materiæ: concedendum eſt etiam creationem illam ſine interuentu materiæ peractam in ſcriptura, non enarrari *per dicere, & imperare*.

Bald. Quid inde ſequitur?

Matth. Sequitur Licetum falsò citaſſe. Nam ſi loquitur de opere creationis peracto ſine interuentu materiæ: falſiſsimè citat caput primum Geneſis ad probandum, quòd illa creatio ſit per verbum iuſsionis peracta. Si verò intelligat de creatione, quæ eſt productio ex aliqua materia interueniente vt in diſtinctione,& ornatu: hæc quidem creatio eſt per verbum iuſsionis, ſed falſiſsimè dicit, eam eſſe ſine interuentu materiæ: prout Sanctus Thomas adnotauit,& ipſe textus ſcripturæ oſtēdit; dixitq; S. Iuſtinus orat.ad Anton.to.1.pag.168.& 112.

Bal. Patrum obſeruatio, quòd opus creationis ſcriptum ſit ſine verbis dicendi, & imperandi: opus verò diſtinctionis, & opus ornatus cum verbis dicendi, & imperandi, eſt pia, acuta, & omnino ſuſpicienda ab ijs, qui diuinas litteras iuxta Patrum expoſitiones volunt accipere. Verùm quid intereſt ſiue non ſcribatur, ſiue ſcribatur illo modo, *dixit Deus, fiat cælum & terra*? Nam etiam ſi non ſcribatur, idem videtur intelligendum.

Matth. Nec Deus, nec Dei homines ita intelligendum iudicarunt: quam

obrem aliter narrarunt factionem cæli & terræ; aliter factionem operum ſex dierum. In diuinis litteris nec iota, nec apex ſine iuſtiſſima cauſa adeſt, vel abeſt. Proinde, ſi quis ita inciperet primum capitulum Geneſis: *Dixit Deus, fiat cælum & terra, & factum eſt ita; in principioque Deus fecit cælum & terram*, is ſine grandi ſacrilegio iſta ad ſacrum textum non adijceret: nec vllus catholicus talem additionem toleraret.

Bal. Quæ ratio eſſe poteſt huius diſcriminis?

Matth. Cogitationes humanæ non pertingunt ad eminentiam cogitationum diuinarum: ſed tamen Beatus Thomas 1.p. quæſt.74. art.3. ad primum reddit rationem iuxta Diuum Auguſtinum, & Diuum Baſilium. Martinengus gloſſa magna in primum Geneſis tom.1.car. 136. plures Patrum rationes affert: Ego illam quæ Beati Baſilij, & Ruperti eſt, affero, vt probabiliorem, cæteris non reiectis. Ea eſt, quia verbum imperatiuum, quale eſt hoc, quod dicitur *fiat*, incongruè præmittitur vbi nondum eſt aliquid, cui imperetur. Prius quippe oportuit produci creaturam, quæ obediret, quàm fieri mentionem de diuino imperio: Quemadmodum Saluator imperauit ventis, & mari: ſed ventus, & mare præexiſtebant, Matth.8. Et Lucæ 4. imperauit febri præexiſtenti: Præceptum eſt de actibus ſubditi, & ideò præſupponit ſubditum. Quo circa prius Deus creauit ſubſtantiam elementorum ſine actu imperandi, vel dicendi. Poſthac imperauit ſubſtantiæ præexiſtenti, vt ex ea, vel ab ea fierent opera ſex dierum.

Bellarm. & Liran. in pſal. 32. Bal. Exiſtimo Pſal.32. verſiculum eſſe de operibus ſex dierum. Quod enim à ſacro hiſtorico narratum eſt in primo capite Geneſis per verbum *dicendi*, & *imperandi*: hoc idem à ſacro Poeta Dauid replicatum eſt *Verbo Domini cæli firmati ſunt* (hoc eſt ſecunda die) & *ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*, idest ornatus cæli, vt Beatus Hieronymus interpretatus eſt. *Congregans ſicut in vtre aquas maris, ponens in theſauris abyſſos*; Quod eſt opus tertij diei. *Timeat Dominum omnis terra, ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem*. Terra detecta eſt tertia die, præbet ipſa locum ſtabilem omnibus animalibus, ſed maximè hominibus, facta ſunt animalia quinta, & ſexta die. Subdit Poeta: Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt. Quæ verba præcisè correſpondent Moſaicis, *dixit, fiat*, & *factum eſt*.

Matth. Tecum ſentio. Sed inde ſequitur Licetum promiſiſſe expoſitionem Scripturæ cum Patribus. Sed in exponendo cap.1. Geneſis, & Pſal.32. proprium Liceti caput Liceto pro Patribus eſſe.

Obſeruatio Quadrageſima.

Bald. Iſtam definitionem creationis datam à Termaximo pag.6. cæpimus excutere. Vin procedamus.

Matth.

Matth. Nondum: ſi quidem & circa definitionem,& circa definitum nobis inſtat obſeruatio.

Nunc de definito, hoc eſt de creatione dicamus. Quintilianus in primo libro inſtitutionum cap.9. duo vitia orationis ponit, vel enim eſt vitium in vna dictione, vel in pluribus. In vna dictione eſt barbariſmus, in connexu dictionis cum dictione ſolœciſmus. Ad hæc duo capita omnia orationis vitia reduci debent propter ſufficientiam diuiſionis.

Bal. Pro trita eſt diſtinctio,& omnibus Latinæ linguæ profeſſoribus nota. Si qui autem de vocabulis litigant, eos Donatus ita corripit. "Hæc cauenda omnia præloquuti, controuerſiam de nomine pertinacibus relinquamus.„ Sed hic, vtrum putes in vocabulo *creationis*, vt à Termaximo vſurpatur ad eſſe barbariſmum.

Matth. Profectò adeſt; nam creationem propriiſſimè dictam exiſtimat eſſe & ſine interuentu materiæ, hoc eſt *ex nihilo*, & à ſolo Deo. Sed nullum ex bonis authoribus linguæ Romanæ oſtendit, qui creationem in hoc ſignificato cum iſtis conditionibus acceperit. Barbarè igitur, non Latinè loquitur. Et ne videar ſine probatione loqui, bonos authores Latinos afferam. Non omnes eorum authoritates citando, ſed aliquas, quæ proprietatem Latini vocabuli manifeſtent.

1 Cicero de natura Deorum lib.2. "*Cenſet enim artis maximè proprium eſſe creare, & gignere.*

De finibus. "*Omnium rerum, quas & creat natura, & tuetur, ſummum bonum eſt in corpore.*„

Ad Attic. *Id aſſequetur, ſi per præt. Coſſ. creantur: nos autem in libris habemus, non modò conſules à Prætore, ſed ne Prætores quidem creari ius eſſe.*„Reliqua, qui velit exempla, conſulat Nizolium.

2 Virgilius 2.Georg.

Principio arboribus varia eſt natura creandis.

1.Geor. ———— *Tum partu terra nefando*

Cæumque, Iapetumque creat, ſæuumque Tiphoea.

Reliqua in Erithreo videantur.

3 Cæſar de bell.Gal. libro 7.car.86. "*Cum ſinguli magiſtratus antiquitus creari, atque regiam poteſtatem annum obtinere conſueſſent, duo magiſtratum gerant, & ſe vterque eorum legibus creatum eſſe dicat*, Et pag.ſeq. "*Per Sacerdotes more ciuitatis intermiſſis magiſtratibus eſſet creatus.*„

4 Ouidius.

Cumque ſit ignis, aquæ pugnans, vapor lucidus omnes

Res creat, & diſcors concordia fatibus apta eſt.

5 Lucretius cum factionem ex nihilo impugnat, tunc vtitur vocabulo *creandi*, vt ſignificat productionem ex aliquo præexiſtente.

At nunc ſeminibus quia certis quæque creantur.

6 Plau-

6 Plautus in milite glorioſo.

Venter creat omneis has ærumnas, auribus

Peraudienda ſunt.

Et infra. —— *Tuis*

Nunc cruribus, capitique fraudem capitalem hinc creas.

In quibus exemplis ſemper vocabulum creatio eſt cum interuentu materiæ,ſiue natura creet,ſiue creet ars,ſiue populus,aut Sacerdos magiſtratum. Id quod euenit optima ratione. Latini enim non credebant aliquid poſſe fieri ex nihilo,quod in omni ſcientia ſpeculatiua,actiua,factiua,verificabant: Quo circa vocabulum *creatio*, non adhibebāt ad rem ex eorum ſententia impoſſibilem ſignificandam, ſed ad opera,quæ ex aliqua materia fiunt. Licetus ergo,qui ſe Latiniſsimum eſſe prætendit, à latiniſſimis authoribus longè abeſt. Ad hoc etiam in epiſtola ad Baldum pag.88.citaui S.Auguſtinū S.Hieronymum. S.Euariſtum ex antiquis & ex recentioribus Martinengum Gloſ. magna tom.1. pag.116.117. ſcribentem. "In noſtra Latina *creare* ſi ad ſtrictiorem ſenſum reducatur, propriè denotat generare, vel prolem edere: ſed latiori ſenſu etiam formare, & fingere, & ſimilia: vnde *natura creare* dicitur,quo ſenſu accepit Cicero quinto de finibus,dum dixit. Etenim omnium rerum,quas creat natura, & tuetur.,,

In alia quoque conditione aberrat Licetus à bonis Latinæ linguæ authoribus. Licetus creationem ſoli Deo tribuit: ſed ſcriptores citati naturæ, arti,hominibus. Quare non Latiniſmum, ſed barbariſmum obſerua in hoc vocabulo *creatio*. Niſi fortè oſtēdat aliquem authorem Latinum, qui oppoſitum dicat. Sed non oſtendet, vt ſpero. Neque ſemel contra bonos Latinæ linguæ ſcriptores loquitur: ſed maxima in parte libri ſic accipit vocabulum *creationis* contra Latinæ linguæ proprietatem.

Bal. Quid in compoſitis verbis ab ipſo creare ſignificatur? an producere ſine interuentu materiæ, & à ſolo Deo: an neutrum horum requiritur.

Matt. Compoſita à verbo *creare* ſunt. Procreare,recreare,excreare vt eſt in Cornucopia Sipontini; & apud Eccleſiaſticos etiam *concreare*. Hoc vocabulum non dum reperi apud Romanos authores. Sed in tribus primis planè non requiritur,vt ſolus Deus procreet,recreet,excreet: neque vt iſti actus fiant ſine interuentu materiæ. Sed fortè Licetus nouam latinitatem inſtituit ad placitum ſuum.

Bal. Magna pro Liceto ratio, vel authoritas eſt Scholaſticorum cętus glorioſus.

Matth. Reſpondet Martinengus Gloſa magna tom.1. car.120. Scholaſticos dicere poſſe, ſe hoc loco interpretari *creare*, pro ex nihilo facere, non ex vocis *bard*, ſeu *epoiiſen*, ſeu *creare* ſignificatione: ſed alijs de cauſis. Igitur Scholaſtici rationis ſtudioſi in hac parte

non

non ſeruant proprietatem linguæ Latinæ, Græcæ, Hebraicæ. Neque tu facilè inuenies grammaticæ peritos, qui vocabula, vel phraſes Latinas probent authoritate Scholaſticorum, ſiue hi Scholaſtici ſint Philoſophi, ſiue Theologi.

Bal. Quid dices, ſi Licetus authoritate conciliorum, & Patrum probauerit vocabulum *creatio* ſignificare productionem ex nihilo?

Matth. Licetus iactat concilia, & Patres in vniuerſali, ſed in particulari concilia, vel Patres non affert. quod ſuo loco videbimus. Interim grammaticæ Latinæ profeſſorem à Latinis authoribus diſſidere oſtenſum ſit.

Beatus Auguſtinus in 1. contra aduerſarium legis cap. 23. quærit vſum Latinum duorum verborum *facere*, & *creare* & ait. "Quæ verba ſi ex conſuetudine conſideremus loquutionis humanæ: & fieri, & creari non ſolùm filij, quos de ſemetipſo quiſque generat: verùm etiam magiſtratus dicuntur, atque vrbes; & quæcunque alia non exeunt de gignente, ſed forinſecus fiunt." In naturalibus filij creantur de parentum ſubſtantia: in agibilibus creantur magiſtratus de ſubſtantia aliena à creante, in factibilibus creantur vrbes de ſubſtantia externa, vt de lapidibus & lignis externis ab artifice: & vniuerſaliter quæcunque non exeunt de gignente; veluti ignis genitus de ligno, vel cæra, ab igne: rana genita de aqua à cælo. Hinc apparet ex Auguſtini diligẽtia, in faciendis, in agendis, in naturalibus genitis, ſiue de generantis ſubſtantia, ſiue de ſubſtantia extrinſeca creationem dici apud humanos authores, & ſemper in iſtis cum interuentu materiæ. Cui ergo non ſufficit mea diligentia in conſiderandis Latinis authoribus, Auguſtini diligentia ſatisfaciet. Procedamus à definito ad definitionem.

Obſeruatio Quadrageſimaprima.

Matt. Circa definitionem creationis à Liceto erectam poſſumus agere ex parte differentiæ, quæ eſt *ſine interuentu materiæ*, & *à ſolo Deo*; & ex parte generis, quod eſt productio. Definitio eſt prædicatum conuerſum cum definito, tanquam proprium, aſſertore Ariſtotile in primo Topicorum cap. 7. & in 6. Topic. loco primo. Vnde duæ exoriuntur maximæ: Omnis definitio debet competere cuilibet contento ſub definito, & nulla definitio debet competere alicui non contento ſub definito.

Bal. Hæc lippis, & tonſoribus manifeſta ſunt.

Matth. Sub prima maxima arguo. Omnis bona definitio debet competere cuilibet contento ſub definito. Sed hæc definitio Liceti quo ad differentiam *ſine interuentu materiæ* non omni contento ſub definito, immo nulli contento ſub definito competit. Ergo non eſt

bona

bona definitio. Minor probatur primo ex authoritate, ſecundo ex ratione.

Ex authoritate Scripturæ diuinæ. Sapientiæ 11. *Creauit orbem terrarum ex materia inuiſa.* quem locum Auguſtinus legit in primo de Geneſi contra Manicheos cap.5. & in libro de fide & ſymbolo cap.2. *Qui feciſti mundum de materia informi,* ſiue *inuiſa,* Eccl.38. *Altiſſimus creauit de terra medicamenta.* Eccl.33. *Et omnes homines de ſolo, & ex terra, vnde creatus eſt Adam* Gen.1. *Creauit Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ.* Sed nihil frequentius in diuinis litteris vocatur *creatura,* & *creatum,* quàm homo ſiue in eſſe naturali, ſiue in eſſe ſupernaturali. Sed nullus homo prorſus eſt productus *ſine interuentu materiæ.* Adam enim de *terra,* Eua de Adami coſta: Chriſti corpus de intaminatis Deiparæ ſanguinibus: cæteri omnes de ſanguinibus parentum creantur in eſſe naturali. Et ſi dicantur *creari,* vel *creatura* noua in eſſe ſupernaturali hoc eſt ex interuentu materiæ præſuppoſitæ, iuxta 1. ad Cor.15. *Sed non prius, quod ſpiritale eſt, ſed quod animale: deinde quod ſpiritale:* ergo creationibus iſtis à Scriptura Dei commemoratis, definitio creationis, quoad particulam *ſine interuentu materiæ* non competit.

Bal. Nil facis, quia Deus in ſcriptura eſt abuſus vocabulo *creationis* impropriiſſimo, & alieniſſimo modo, ac prorſus æquiuoco, vt Licetus docet in ſua epiſtola pag.37. & ſæpius.

Marth. Nimis contemnit eloquia Dei. Ego verò pro Deo ſummo magiſtro, & pro Scriptoribus Canonicis contra dicam; Deum propriiſſimo modo eſſe loquutum de creatione, Licetum impropriiſſimo modo, & alieniſſimo modo, & prorſus æquiuoco: ſi tamen hoc tertium dicere iure poſſim, vt alias. Neque debuit Deus, & homines Dei ad ſcholam Liceti proficiſci, ad diſcendam proprietatem vocabuli *creatio.* Sed hinc apparet Liceti humilitas, qui non vult à Deo diſcere loqui rectè, & propriè, ſed docere Deum. Ariſtoteles in primo poſteriorum aſſerit, non omnem interrogationem eſſe ſecundum ſcientiam, neque oportere ſcientificum ad omnem interrogationem reſpondere, ſed ad interrogationem ex proprijs principijs: alioqui non benè proceditur. Sic à textu octuageſimoſexto vſque ad 91. quare omnis ſcientificus iuxta propria principia loqui debet. Sed ſcientiæ ſupernaturalis principia ſunt ipſæ res in Scriptura Dei reuelatæ, ergo illa ſunt propria Theologiæ ſacræ ſcientiæ, quæ ſunt dicta iuxta principia, ideſt iuxta Scripturam. Igitur proprium principium, & propria ſignificatio creationis eſt, quæ iuxta ſcripturam eſt. Vnde propriè creatio in ſacra Theologia eſt, quæ ex ſacra Scriptura eſt: non quæ ex alienis principijs, & aliena eſt. In qua re memini Laban, & Iacob feciſſe tumulum, quem "Vocauit Laban, *Tumulum teſtis,* & Iacob *Aceruum teſtimonij,* vterque iuxta

pro-

proprietatem linguæ ſuæ. „Sacer Theologus iuxta proprietatem linguæ ſacræ ſi loquatur ex proprijs principijs loquitur & proprias cōcluſiones ſic educet. Ea propter Auguſtinus tom.9.tract.10.in Ioan. num.20.D. docet quomodo Chriſtus dicatur habere fratres. "Fratres enim ſcriptura noſtra, non eos ſolos appellare conſueuit, qui naſcuntur ex eodem viro,& fœmina, aut ex eodem vtero, aut ex eodem patre quamuis diuerſis matribus, aut certè ex eodem gradu velut compatrueles,aut conſobrinos; non ſolùm hos fratres nouit dicere ſcriptura noſtra. Quomodo loquitur,ſic intelligenda eſt. Habet linguam ſuam: quicumque hanc linguam neſcit, turbatur, & dicit. Vnde fratres Domino? Num enim Maria iterum peperit? Abſit, inde cæpit dignitas virginum. Illa fœmina mater eſſe potuit, mulier eſſe non potuit. Dicta autem mulier ſecundum fœmineum ſexum,non ſecundum corruptionem integritatis. Et hoc ex lingua ipſius ſcripturæ. Nam Eua ſtatim facta de latere viri ſui,nondum contacta à viro ſuo noſtis, quia mulier appellata eſt: & formauit eam in mulierem. „

Secundo ex patribus, Sanctus Athanaſius in epiſtola de decretis Nicenæ Synodi pag.258.ex impreſſione Pariſienſi 1627. *Authoritate Patrum.*

"Sed dicendum eſt,neutiquam Deum,vt hominem eſſe,cum homo nō ſit, vt Deus; Homo enim *ex materia,eaque patibili Creatus eſt.* Deus contra immateriatus,& incorporeus exiſtit„& infra docet & Deum & homines condere: atque eſſe. "Quid igitur? ita ne Deus condit vt homo, aut eodem modo *eſſe* dicitur? abſit: aliter enim de Deo, vocabula accipimus,aliter de hominibus eadē illa interpretamur.„ „Ponit verò differentiam, quia homines, dum condunt, materiam præſupponunt,Deus vero creat ſine vllius rei, aut ope, aut opera. Nec intelligo, quod ſemper ita Deus creet, nam paulò ante dixit hominem eſſe creatum ex materia, nec tamen ab alio creatus eſt, quàm à Deo.

Sanctus Auguſtinus tract.24. in Ioan. "Quis enim & nunc paſcit vniuerſum mundum, niſi ille, qui de *paucis granis ſegetes creat?* Et de moribus Manich. cap.7. Enchirid. cap.88.

Sanctus Ambroſius 3.de fide cap.4. "Vnde intelligimus illud,quod de incarnatione Domini ſcriptum eſt: Dominus creauit me principium viarum ſuarū in opera ſua: id ſignificare,quod ad redimenda opera patris,Dominus Ieſus *ex Virgine ſit creatus.* Infra in eodem capite iterum dicitur, *creatus ex Virgine.* S.Fulgentius ad obiectionem 3. Arianorum. "Neque enim ignorare debemus ipſum in ſæculo *ſecundum carnem creatum ex homine*: qui ſine initio ſecundum diuinitatem creator eſt generatus ex Patre Damaſc.3. de fide cap.2. & eſt in Magiſtro Sentent. libro 3. diſt.3. „Copulauit ſibi ipſi *ex ſanctiſſimis*, & puriſſimis ipſius Virginis ſanguinibus noſtræ antiquæ conſperſionis carnem animatam, anima rationali, *Creator generatus.*

& intellectiua non ſeminans, ſed per Spiritum ſanctum creans.„
S. Leo ſerm.8. de Natiuit. car.22.col.2. C. "Niſi ipſe eſſet filius Virginis, qui creator eſt matris."

Ex ratione. omne compoſitum neceſſariò in ſua creatione præſupponit materiam ordine vel originis, vel durationis: iuxta conſenſum Patrum, relatum à Diuo Thoma 1.p.quæſt.66.art.1. Quod autem præſupponit materiam, ex qua fit in ſua creatione, non producitur ſine interuentu materiæ: ergo nullum compoſitum eſt creatum ſine interuentu materiæ. Compoſita verò creantur propriè iuxta D.Thom. 1.p.q.45.art.4. ergo in omni creatione propriè interuenit materia, & Liceti definitio non competit vlli creationi compoſitorum.

Ex maxima ſecunda argumentor. Nulla bona definitio competit alijs à definito. Sed hæc definitio Liceti competit factioni, qua facta eſt materia prima à Deo: quoniam materia prima non eſt creata, neque creabilis, vt probatur à D.Thoma loco nunc citato. Creatio enim propriè eſt compoſitorum, & ſubſiſtentium. materia vero prima nec poteſt eſse compoſita, nec ſubſiſtens; ergo non eſt propriè creata, neque creabilis; fit tamen ſine interuentu materiæ præſuppoſitæ, ne procedatur in infinitum. ergo definitio creationis datæ à Liceto conuenit factioni paſſiuæ ipſius materiæ, quæ factio non eſt propriè creatio. S.Bonauentura quoque in 1.d.8. quæſt.6. num 53. aſserit creaturam propriè dici de re per ſe exiſtente. (Vocabulum *propriè* in quibuſdam codicibus impreſsis non eſt: ſed in codicibus manu ſcriptis in hoc D.Antonij conuentu ſeruatis, adeſt vox *propriè*.) materia verò non eſt nata per ſe exiſtere 2.d.12.q.1. ergo non eſt propriè creatura, nec eius factio eſt propriè creatio: fit tamen ſine interuentu materiæ.

Obſeruatio Quadrageſimaſecunda.

Bal. Circa genus creationis, quod eſt productio, ambigo. Terquidem hic definit creationem Termaximus doctor; ſemper autem pro genere ponit productionem. Sed inferius ad pag.27. lin.vltima profert definitionem creationis talem ſecundum Arium. Creatio ſimpliciter omnis eſt productio ex non extantibus. Quæ definitio Arij cum definitione Termaximi in genere coincidit, fortè & in differentia, cum dicitur ſine interuentu materiæ. Nunc tamen non placet Arij definitionem eſse datam per productionem tâquam genus.

Matth. Quam ob cauſam?

Bal. Inter catholicos, & Arium fuit contentio circa genus, & circa differentiam creationis. ex eo enim, quòd Filius Dei diceretur creatus, & genitus, arguebat Arius, Filium Dei eſse factum ex non ſubſtantibus, ſiue ex nihilo. Patres Niceni in ſymbolo docuerunt contra Arium,

filium non eſse factum dicentes, *filium eſſe genitum, non factum*; & in anathematiſmo, ſecundo loco anathematizat Eccleſia eos, qui dicūt, *Filium Dei eſſe factum ex non ſubſtantibus*, vnde apparet Arium ſic fuiſſe argumentatum; omne creatum eſt factum, ſed Filius Dei eſt creatus, ergo eſt factus. maior propoſitio indicat definitionem Arij eſſe iſtam, *creatio eſt factio ex non ſubſtantibus*: vnde per locum a denominatiuis, ſiue coniugatis cōſequitur, quòd omne creatum eſt factum ex non ſubſtantibus, quæ erat maior Arij. Si autem Arius dixiſset, quod creatio eſt productio, & creatum eſt productū: primò quidem Niceni Patres viderentur calumniatores, qui condemnant Arium, quaſi aſserentem Filium eſse *factum*, cum ille aſſereret eſse *productum*; ſecundò Patres negauiſsent filium eſse *productum*, & Arius affirmauiſset eſse productum. in qua re Arius verum dixiſset, quia filius eſt genitus, & omne genitum eſt productū: ergo Filius eſt productus, vt catholici contra Sabellium tenent.

Matth. Rectè dicis. inter Catholicos & Arianos non fuit controuerſia de *productione*, ſed de *factione*. Arius contendebat filium eſse factum, & primum in ordine rerum factarum: prout S. Athanaſius in ſecunda oratione contra Arianos teſtatur, adducendo verba Arij ex libro Arij prætitulato *Thalia*. Idem teſtatur S. Ambroſius de Arianis in libro de fide contra Arianos cap. 2.

Et Sanctus Cyrillus Alex. lib. 4. de Trinit. cap. 11. Creationem aſcriptam Filio Dei, dicit non eſse ex nihilo, & eſse productionem. Ergo Arius hoc non dicebat: ſed potius creationem eſse factionem ex non ſubſtantibus.

Bal. Sabelliani & Ariani communiter dicebant, rem creatam eſse quid factitium, & opus Dei vt patet in Epiſtola de decretis Nicenis apud Athanaſium.

Matth. Puto Licetum callidè ſic definiuiſse, creationem eſse productionem cū Ario, vt me ſaltem in hac voce *productionis* oſtenderet Ario eſse conſortem. Ego verò creationis vocem, vt æquiuocam diſtinxi, quoniam creatio eſt vel productio, vel factio, ex parte generis: vel ex aliquo, vel ex nihilo, ex parte differentiæ. Creatio eſt productio ex aliquo in ſcripturis expreſsa, vt Eccleſiaſtici 17. *Deus creauit hominem de terra*, & infra *creauit ex ipſo adiutorium ſimile ſibi*. Creatio verò ſecundum Arium eſt *factio alicuius entis ex nihilo*: ſiue creare eſt facere aliquid ex nihilo, prout dixi in libro defenſionis pag. 149. quare mea definitio creationis differt & in genere & in differentia ab illa ſignificatione creationis, qua vſus eſt Arius. Sed Licetus abſoluit Arium in hoc prædicato *factum*, & damnat patres Nicenos, qui Ario imponunt *factum eſſe* de filio. Cum iuxta Licetum Arius diceret *productum*, non diceret *factum*. Similiter Licetus tanquam Arianam, damnat iſtam propoſitionem, *Filius Dei eſt productus ad intra*, quæ propoſitio eſt planè, & plenè Catholica ex D. Thoma 1. p.

quæſt.27.art.1.& Caetano ibi. ex D.Bonauentura in 1.d.19.nu.26. Scot. in 2.d.1.q.1.& ſæpius.Vt ergo catholicã propoſitionẽ dãnaret, poſuit pro genere in definitione creationis Arianę,& ſuę,*productionẽ*.

Amplius in pag.179.lin.vlt.& in pag.180.ſequenti ſcribit contra me. "

Licetus. falſum eſt genus creationis eſſe productionem,ſi de genere proximò ſermo ſit, namque remotum eſt commune ad creationem omnem, ad generationem quamlibet,& ad effectionem , factionemque qualemcunque ſi verò ſermo ſit de genere remoto, & communiſſimo, falsò, pe peràque ponitur ab opinione noua in definitione creationis propriè dictæ.„ Hæc doctrina Liceti ſtet pro hac negatiua propoſitione. In definitione creationis propriè,non debet poni productio,quæ eſt genus remotum. Sed affirmatiua, in definitione creationis propriè ponenda eſt productio, patet, quia Licetus in 1.pag. lin.9.in definitione creationis propriiſſimæ ponit productionem pro genere. Sic in eadem pag.1 lin.16.in pag.6.pag.30. In pag.76. lin. 14. & ſæpè cum definit creationem propriiſſimè dictam, ſicuti eſt iſta definitio, quam examinamus. Ergo Licetus contradicit ſibi ipſi.

Defenſ. pag. 34. 35. Nã ego in creatione ſcholaſticè accepta ſtatuo *factionẽ* pro genere, in ſcripturali creatione *productionem*; neque ſi genus extendatur ad alia eſt inconueniens, genus enim prædicatur de pluribus ſpeciebus.

Obſeruatio Quadrageſimatertia.

Bal. SVbiraſcor dum lego in pag.6. lin 24. Tu enim dicebas à Ter maximo viro nullum eſſe in hac epiſtola formatum ſyllogiſmum. Nunc autem ſyllogiſmus adeſt.

Matth. Negaui vtique reperiri ſyllogiſmum in forma, & ſi reperires hortatus ſum ad indicandum. Indica igitur.

Bal. In lin.24.ponitur concluſio.Inde creationis contemplatio meritò nobis excolitur in opere reſponſorum de ſeptimo quæſitis; concluſionem probat duabus propoſitionibus.

Prima propoſitio: numerus ſeptenarius iſte Pythagoricis Mineruæ dicatus, Pallas cognominatur, quæ ſine matre de capite Iouis orta proditur. "

Secunda propoſitio eſt." creatio propriiſſimè dicta, eſt productio rerum à ſolo Deo ſummo peracta ſine interuentu materiæ (quæ matris nomine donatur) per verbum ſuæ iuſſionis ore ~~probatum~~. prolatum.

Matt. In ſyllogiſmo prius ponũtur præmiſſæ,quàm concluſio;Licetus prius concluſionem ponit, poſtea propoſitiones. Siccinè fit ſyllogiſmus in forma? in nullo modo cuiuſuis figuræ inuenies concluſionem præponi propoſitionibus.

Secundò. Prima propoſitio eſt ſingularis: *iſte numerus ſeptenarius Pallas cognominatus* ibique eſt ſubiectum: prædicatum eſt, *quæ ſine matre de capite Iouis orta proditur*. In ſecunda propoſitione ſubiectũ eſt *Crea-*

tio propriïſſime dicta: prædicatum *productio rerum à ſolo Deo ſine interuentu materiæ, ideſt matris.* Medius terminus eſt prædicatum in vtraque propoſitione, fitque ſyllogiſmus in ſecunda figura ex puris affirmatiuis; cum regula ſit; In ſecunda figura ex puris affirmationis nihil ſequitur. Hic ſyllogiſmus damnatur ab Ariſtotele in 1. priorũ ſectio 2. cap. 2. vt incon ſiſtens in ſecunda figura ex duabus affirmatiuis, nec non in 1. poſt. 92. reprehenditur in Cenæo.

Tertio. Regula eſt. In ſecunda figura maiori exiſtente particulari nihil ſequitur: at in hoc ſyllogiſmo maior eſt ſingularis, in qua ponitur terminus cõmunis determinatus pronomine demoſtratiuo.

Quarto. Ex Ariſtotele in 1. priorũ ſecto 1. cap. 24. & ſecto 3. cap. 1. in omni ſyllogiſmo adeſſe debet aliqua propoſitio vniuerſalis. Vnde regula; Ex puris particularibus, indefinitis & ſingularibus nihil ſequitur. At in ſyllogiſmo Liceti maior eſt ſingularis, minor indefinita.

Quinto. Regula eſt Ariſtotelis in 1. priorum ſecto 3. cap. 1. ne termini varietur ſecundum concretionem, & abſtrationem; ſed accipiantur vniformiter in præmiſsis, & in concluſione: vt aduertunt Tataretus, Albertus, Burana, Claramontius. Sed prima propoſitio habet, pro medio termino terminum concretum *Pallas proditur de capite Iouis ſine matre*: ſecunda propoſitio pro medio habet terminum abſtractum *productio à ſolo Deo ſine materia vt matre*. Igitur in hoc ſyllogiſmo Liceti ſunt quatuor termini.

Aliter. In prima propoſitione de *capite Iouis*. In ſecunda propoſitione *à ſolo Deo ſummo.* Iupiter Deus falſus, & Deus verus ſunt duo termini valde differentes, & rurſus ſunt quatuor termini. Aliter de *capite Iouis*, & *de ore* ſunt duo termini diuerſi.

Sexto. Si propoſitiones conferas, vt colligas ex eis maiorem, & minorem extremitatem: maior extremitas eſt *numerus ſeptenarius*: Minor extremitas eſt *creatio propriïſſime dicta*, debeſque concludere, ergo creatio eſt numerus ſeptenarius; quæ concluſio non eſt eadem cum ea, quæ primo fuit propoſita ſcilicet iſta, *contemplatio creationis mentitè nobis excolitur in opere de ſeptimo quæſitis*. Aliud eſt *ſeptenarius numerus*, aliud *opus reſponſorum de ſeptimo quæſitis*, quod prædicatum in neutra propoſitione eſt. Aliud ergo vult probare ſed non probat, & aliud probat non ad propoſitum. Eruntque in hoc ſyllogiſmo fortaſſe ſeptem termini.

Septimò. In ſecũda figura cõcluſio ſemper eſt negatiua: quod inductione patet in modis ſecundæ figuræ, Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco. Licetus in hoc ſuo ſyllogiſmo cõcludit affirmatiuã in ſecũda figura. Si hoc modo pergat facere ſyllogiſmos, non Termaximum Logicum, ſed Terminimum iuſtiùs dixeris.

Bal. Ne quæſo, titulum doctiſsimo homini à me datum auferas. fortè enim quem putabam ſyllogiſmum, Licetus non fecit.

Matt. Nõ fecit vtique. Sed omiſſa forma, vis etiã in materia falſũ audire?

Bald.

Bald. Quid falſum?

Matth. Licetus pro ſe citat authoritatem Bongi in libro de myſterijs numerorum. Verba Bongi ſunt. "Adeò autem ſeptenario inoleuit opinio virginitatis, vt Pallas etiam nominetur. Sacris enim initiati Pythagoræi ſemper virgini ſine matre natæ Mineruæ ſeptenarium aſſimilant: quia & illa, nec partu eſt edita, ſed ex Iouis orta capite." Licetus Palladem diſtinguit à Mineruæ, cui Pallas dicatur. Sed apud Bongum Pallas, & Minerua idē ſunt. Itē propter virginitatem ſeptenarius Pallas, Bongo nominatur, nō propter creationem vti Liceto. Sed ſalua dignitate Bongi, non omnino ſine matre nata eſt Minerua iuxta fabulas antiquorum. Nam Methis nupſerat Ioui, quam prægnantem Iupiter deuorauit, ac inde prægnans euaſit: & de capite, & cerebro ſuo Palladem armatam produxit. Monſtrum hoc poëticum narrat, & acutiſſimè explicat in libro de ſapientia antiquorum Eques Andreas Ciolus, qui erat à ſecretis Ferdinandi magni Ethruriæ Ducis. quarè ſi Pallas ex matre, & Patre orta eſt, non eſt ſimilis creationi, quæ ſine interuentu materiæ eſt. Profectò antiqui fabulatores reſonabant, ex nihilo nihil fit: vnde factionem ex nihilo, ideſt *ſine interuentu materiæ*, non concedebant.

Obſeruatio Quadrageſimaquarta.

Bal. PErgam legendo à pag. 6. lin. vltima. "Maximè quum ſeptenarius numerus, ob ſeptem dona diuina reſpiciat Spiritum ſanctum inter cætera largientem hominibus pie requirentibus, ac inuocantibus eius opem bonum intellectum."

Matth. Quid nouitatis hoc eſt? cur non citat locum ſcripturæ, in quo ſeptem dona Spiritus ſancti ponuntur? Solet Licetus, vel apparentiam minimam vocabuli ſcripturalis non omittere: nunc rem, in qua oratio ſequens fundatur, tranſilijt; ſcilicet non inuenit in concordantijs ſub nomine *doni*, ſeptem Spiritus ſancti munera, quæ ſub nomine *ſpirituum* ſeptem Iſaiæ 11. verſ. 2. dicuntur in Chriſto Domino requieſcere. "*Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus: ſpiritus conſilij, & fortitudinis: ſpiritus ſcientiæ, & pietatis: & replebit eum ſpiritus timoris Domini.*" De quibus lege Magiſtrum in 3. ſent. diſt. 34. cum Scholaſticis, & Beatum Bonauenturam tùm ibi, tùm in libro de ſeptem donis.

Bal. Attende precationem Termaximi viri pag. 7. lin. 3. "Te precor enixe, Sancte ſpiritus, qui ferebaris Dominus in mundi creatione ſuper aquas corporeæ ſubſtantiæ primum è nihilo conditæ."
Citat Gen. 1. 2.

Matth. Vtinam, & mente, & manu Spiritui ſancto præmonenti obſequeretur Licetus. Sed non ſatis implorat opem Spiritus ſancti, qui vult Spiritui ſancto reſiſtere.

Bal.

Bal. Quorſum iſta profers?

Matth. Quoniam Licetus, & contra eſſentiam, & contra loquutionem Spiritus ſancti nititur.

Contra eſſentiam. propterea, quod Spiritus ſanctus replet omnia propter ſuæ immenſitatem eſſentiæ, & præcipuè (ſapientiæ primo) *repleuit orbem terrarum*. Licetus verò Dei eſſentiam reſtringit ad cælum, à terra abigit; ideò vtitur vocabulo *Domini*. Sicut enim *Dominus* regni in vno determinato loco exiſtens, per rationem dominij mouet, & gubernat totum regnum. Sic Licetus ponit Deum in toto vniuerſo, & vniuerſum in Deo per efficientiam, & regimen, & non aliter ex pagina ſui libri cart. 228.

Secundò contra loquutionem, quia Spiritus ſanctus in Scriptura poſuit creationem ex aliquo expreſsè, creationem ex nihilo non poſuit; vt cum ait: *Omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum de materia inuiſa*. nunquid ego adiunxi ablatiuum *de materia?* non profectò ſed Spiritus ſanctus, Sapientiæ 11. & Eccl. 33. *Et omnes homines de ſolo, & ex terra, vnde creatus eſt Adam*. nunquid de meo appoſui *de ſolo, ex terra* ad vocem creandi? non ſanè, ſed Spiritus ſanctus. Cum ergo Spiritus ſanctus ita loquatur, Licetus attribuit Spiritui ſancto creationem aquarũ de nihilo, quã loquutionem Spiritus ſanctus nõ dixit: nõ apponit creationem ex materia, quã Spiritus ſanctus dixit.

Adhæc. *In principio creauit Deus cælum, & terram:* terram cum aqua annexa, & ſpiritu ſuper aquas creauit. Eadem eſt ratio de terra, & de aqua, terræ annexa. Terra verò creata eſt ex materia Sapientiæ 11. ergo & aqua. Neque hoc ex meo capite dico, ſed Sanctus Thomas 1. p. q. 65. art. 1. cum conſenſu Sanctorum docet; corpora fuiſſe formata ex materia informi, quæ ordine vel originis, vel durationis præceſſit formationem. Cum D. Thoma conſentit B. Bonauentura in 2. diſt. 12. q. 1. dicens omnes tractatores poſuiſse prius materiam eſſe creatam, ex qua corpora formata ſunt. Sed nos quoque imploremus Spiritum ſanctum verbis Eccleſiæ catholicæ. *Veni, Sãcte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende*.

Bal. Abſoluimus ne iam proœmium?

Matth. Etiam, ſi duo breuiter, atque veraciter reſponderis.

Bal. Quæ nam iſta?

Matth. In titulo Licetus propoſuit ſe acturum de creatione ad intra: in hoc ſuo proœmio dixit ne aliquid de creatione ad intra?

Bal. Nihil.

Matth. In hoc proœmio dixit ne Licetus, Filium Dei eſſe verum Deum aut ſaltem eſſe Deum? Sic enim aduerſus Arianos, & Iudæos confitemur in ſymbolo, *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*.

Bal. Nec dixit eſſe Deum verum, nec dixit eſſe Deum.

Matth. Iam ingrediamur opus.

LIBER TERTIVS

Obſeruatio Quadrageſimaquinta.

Bal. PRimum capitulum in epiſtola Liceti continet epiſtolam meam ad virum Termaximum ſcriptam.

Matt. Ad eam epiſtolam, quantum ſatis viſum eſt, reſpondi. perge ad propria Liceti, hoc eſt ad caput ſecundum, quod incipit in pag. 12. lin. penult.

Bal. Sic exorditur Licetus "Aeternæ mentis Verbum, quod intellectus diuinus intimè ſemetipſum comprehendens in æternitatis momento ſtabili producit."

Matth. Sæpè reperit Licetus, quòd intellectus diuinus ſeipſum intelligens producit Verbum ſibi ſimile, vt in pag. 72. lin. 1. pag. 104. lin. 12. pag. 191. lin. 5. Sed prima hæc propoſitio, *intellectus diuinus producit Verbum æternum*, eſt falſa; ſimiliter, & ſecunda hæc, *Intellectus diuinus ſeipſum intelligens, & comprehendens producit Verbum.*

Prima propoſitio, inquam, eſt falſa: quoniam omne producens diſtinguitur realiter à producto. Sed per primam propoſitionem Liceti Intellectus diuinus eſt producēs Verbum, & Verbum eſt productum ab intellectu: igitur intellectus realiter diſtinguitur à Verbo, & Verbum ab intellectu. Concluſio eſt hæretica, nullum enim eſſentiale diſtinguitur realiter à perſona, neque è contra: *ſed intellectus eſt eſſentiale prædicatum commune tribus.*

Inſuper, nulla diſtinctio realis eſt in Deo ad intra, niſi diſtinctio perſonarum, & diſtinctio proprietarum notionalium; intellectus autem non eſt formaliter perſona, vel proprietas perſonalis: ergo intellectus non diſtinguitur realiter à perſona Verbi, & patet quia intellectus eſt communis tribus, perſona Verbi non eſt communis.

Quando autem concluſio eſt falſa, vel hæretica, & ſyllogiſmus eſt in forma; tunc vel ambæ propoſitiones ſunt falſæ, vel ſaltem vna. Maior autem propoſitio à me addita, quòd omne producēs diſtinguatur realiter à producto, eſt catholica, in qua fundatur contra Sabellium diſtinctio realis perſonarum; quia nihil poteſt producere ſeipſum, nec generare ſeipſum ex 1. de Trinitate B. Auguſtini cap. 1. Igitur prima propoſitio Liceti, quæ eſt minor in propoſito ſyllogiſmo ſapit hæreſim. Probatur iſta conſequentia, eo quòd propoſitio ſapiens hæreſim eſt, quæ aſſerit dogma peruerſum, ex quo cum notorio vero, quod negari non poteſt, ſequitur hæreſis propriè dicta: quemadmodum docet Albertinus de cognoſcendis aſſertionibus, quæſt. 5. num. 17. & quæſt. 6. num. 2. Sic euenit in propoſito, quia maior mei ſyllogiſmi eſt verum notorium lumine ſupernaturali apud Auguſtinum

num loco citato: lumine naturali apud Ariſtotelem 2. de anima 47. dicentem, nihil ſe generat. Minor eſt propoſitio prima Liceti, ex qua ſequitur, quòd eſſentia, ſiuè eſſentiale differt realiter à perſona Verbi: quo dato Verbum non eſſet Deus, ſed realiter differret à Deitate, intellectu, & voluntate Deitatis.

Tertiò argumentor, quæcunque diſtinctio rerum ponitur in diuinis, aut eſt naturæ à natura, aut perſonæ à perſona, aut naturæ à perſona.

Si primò intellectus producat Verbum, atque adeò ſit res à Verbo diſtincta, aut diſtinguuntur primo modo, vt natura, & natura: quo dato, eſt hæreſis patentiſsima, quia in diuinis eſt vnica immultiplicabilis natura, ſiue eſſentia.

Aut ſecundò diſtinguuntur, vt perſona, & perſona. Et ſequitur, quòd intellectus eſt vna perſona producens Verbum. Pater item eſt perſona producens Verbum, & per conſequens Verbum eſt productum à duabus perſonis. Quibus adde Spiritum ſanctum, & ſequetur quaternitas perſonarum in diuinis, quæ eſt hæreſis manifeſta. Prætereà perſona eſt formaliter incommunicabilis, intellectus eſt formaliter communicabilis: ergo intellectus diuinus non eſt perſona diſtincta à perſona Filij.

Aut tertiò diſtinguuntur intellectus, & Verbum, vt natura, & perſona. Verùm in concilio Florentino in ratione Latinorum declaratum eſt, naturam non diſtingui, nec ſeparari re à perſona, ſed ratione: at producens re diſtinguitur à producto: ergo intellectus producens non ſe habet, vt natura ad perſonam Verbi. Poſsent rationes magiſtri in primo diſt. 5. adduci, quibus probatur, quòd eſſentia, ſiue natura, ſiue res, quæ eſt natura, non generat, nec generatur, vt patet etiam in capite *Damnamus* extra de ſumma Trinitate, & fide Catholica. Sed legatur Magiſter.

Quartò principaliter. Actiones, & maximè notionales, ſunt ſuppoſitorum: quia per actiones notionales, quæ ſunt relationes originis perſonæ conſtituuntur, & diſtinguuntur in eſse perſonali. Sed intellectus non eſt ſuppoſitum, nam ſuppoſitum eſt incommunicabile, intellectus eſt communis tribus: igitur actio producendi Verbum non eſt ipſius intellectus vt principij, quod producit.

Bal. Hæ rationes ſunt altius perpendendæ. Verè actio generandi, vel producendi Verbum eſt actio ipſius Patris, qui producit; nam intellectus per identitatem fortaſse poteſt dici producere Verbum.

Matth. Si ad identitatem reſpiceres, etiam voluntas, & omnipotentia, & iuſtitia produceret Verbum: quin & ſpiratio actiua, quæ eſt eadem realiter cum Patre, produceret Verbum.

Bal. Qua igitur ratione concurrit intellectus ad productionem Verbi?

Matth. Quatuor per ordinem ſunt dicenda.

Primum. In omni productione adeſt principium *quod* producit, & principiũ *quo* producit. Principium *quod* producit eſt ſuppoſitũ. Principium *quo* producit eſt natura, vel potentia naturæ vt intellectus, vel

voluntas. Principium *quod* producit, verè habet actionem, vt Pater eſt principium, *quod* producit filium: intellectus non eſt principium *quod*. Principium *quo* agendi non agit, vti ex Philoſophia, & Theologia dictum eſt antea; ipſum producere, quod eſt principij *quod*, & patris, Licetus perperam attribuit intellectui.

Secundum. Iuxta doctrinam Sancti Auguſtini 9. de Trinitate cap. vltimo, ex cognoſcente, & cognito pariter notitia: ideò intellectus ſolus non eſt principium *quo* totale, & adæquatum Verbi, ſed requiritur aliud comprincipium, nempe eſſentia in ratione obiecti actu intelligibilis. Licetus in productione Verbi non meminit eſſentiæ.

Tertium. Obiectum potentiæ cognitiuæ eſt, vel primarium, vel ſecundarium; primarium eſt, quod ſui virtute attingitur; ſecundarium, quod virtute alterius. Eſſentia diuina eſt primum obiectum virtuale, & adæquatum intellectus diuini, vt Scotus quolibeto 5. docet; cętera omnia ſiue ad intra, vt eſſentialia, & notionalia; ſiue ad extra, vt eſſentiæ creabiles, aut proprietates earum ſunt obiecta terminatiua, & ſecundaria. Quare ſi intellectus diuinus non intelligeret primò eſſentiam, nihil aliud intelligeret. Quapropter Licetus ponens intellectum diuinum, qui cognitione comprehendat ſeipſum, producere Verbum, longè abſcedit à vero in ſecunda propoſitione ſua; quia intellectus eſt obiectum ſui ſecundarium, non primarium: terminatiuum, non motiuum: eſt conſequens, non virtuale. Idcirco Verbum eſt notitia genita comprehenſiua ſolius eſſentiæ ſecũdum Scotiſtas, ſecundum Thomiſtas Verbum procedit ex cognitione comprehenſiua eſſentiæ, perſonarum, & creaturarum; propter quod primarium obiectum omittitur à Liceto.

Quartum. Quoniam omne principium productiuum poteſt conſiderari vel cum prioritate ad actum producendi adæquatum vel vt exercet actum. Primò modo eſt fęcundum, & poteſt eſſe principium *quo* elicitiuum actus adæquati, ſi fuerit in ſuppoſito conueniente ad habendum illud principium cum primitate. Secundò modo non eſt amplius fęcundum, non enim poteſt excedere terminum adæquatum, quare intellectus fęcundus, ideſt intellectus cum obiecto intelligibili virtuali, & primitate ad actum exiſtens in Patre æterno, eſt ipſi patri, principium *quo* Pater producit Verbum, atque producit vnica ſimpliciſſima, & impartibili productione. Nam implicat contradictionem, vt idem principiũ *quo*, habere valeat duas productiones adæquatas, aut alteram adæquatam, alteram inadæquatam. Idcirco Scotus in quolib. 4. docet, quòd vnius perſonæ ab vna eſt omnino vnica perfecta origo, omnino indiſtincta à parte rei. Et in hoc quoque aberrat Licetus, qui ponit intellectum diuinum habere duas productiones diſtinctas formalitate reali, & eſſentialiter diſtinctas, vnam, quæ eſt generatio, qua Pater generat filium, aliam, quæ eſt creatio, qua dominus creat Filium iam præexiſtentem in eſ-

fe

ſe creatoris. Hic error ſæpè nobis occurret, nunc indicaſſe ſufficiat. Eſt enim nouitas Licetica omnino intollerabilis. Filius namq; productus productione adæquata per memoriam fecundam eſt vna perſona; ſi iterum producitur alia productione reali (cum nihil imperfectum in Deo eſſe poſſit) erit iam alia productio realis formaliter, & eſſentialiter diſtincta à generatione, qua ſecunda productione producetur tertia perſona in eſſe ſimpliciter, & in eſſe creatoris. Imò iſta perſona ſic producta erit eſſentialiter diſtincta à filio. Quorum enim productiones ſunt eſſentialiter diſtinctæ, & ipſa producta ſunt eſſentialiter diſtincta. Sed generatio filij, & creatio per intellectum diſtinguuntur eſſentialiter ex Liceto pag. 160. lin. 31. ergo perſona producta per intellectum erit eſſentialiter diſtincta à Deo. At hæc eſt Arij hæreſis, volentis, quòd Deus creauerit primò vnam creaturam eſſentialiter diſtinctam à Deo, & quòd hæc prima creatura creauerit Spiritum ſanctum, & cętera creata. At impoſſibile eſt, vt intellectus fecundus habeat duas productiones, vnam adæquatam, qua producitur adæquatè vna perſona: & deinde habeat aliam productionem ſiue adæquatam, ſiue inadæquatam.

Nunc colligo propoſitiones Liceti ſub vno aſpectu, vt cum opus fuerit, hinc accipiantur.

1. Intellectus producit Verbum.
2. Obiectum comprehenſum in productione Verbi eſt intellectus.
3. Eſſentia non ponitur principiũ *quo* concurrens in productione Verbi.
4. Cognitio comprehenſiua eſſentiæ nil præſtat ad productionẽ Verbi.
5. Intellectus diuinus vltra productionem Verbi adæquatam, aliam habet productionem.
6. Duæ ſunt productiones per intellectum diuinũ eſſentialiter diſtinctæ.
7. Filius Dei, per generationem non accipit eſſe ſimpliciter à patre, neque omnipotentiam creatiuam.
8. Filius Dei duplici productione producitur, vna, per quam accipit eſſentiam, & eſt generatio: Alia, qua accipit eſſe ſimpliciter, & eſſe creatoris, & hæc actio non eſt patris, ſed domini.

Bal. Quoniam plures ex his propoſitionibus poſterius erunt tractandæ, nunc prætermittamus eas. Perge legendo.

Obſeruatio Quadrageſimaſexta.

Bal. PErgam legendo pag. 13. lin. 1. Verbum. „Verè generationem habet inenarrabilem, vt ait propheta, quæ fide potius atque ſilentio veneranda foret, quàm diſputationibus, & argumẽtis indagãda.

Matth. Si potius eſt credere, & tacere, quàm credere, & indagare diſputando, & argumentando: ſequitur, quòd doctores Scholaſtici, & diſcipuli eorũ peiorem partem elegerũt. Hęc propoſitio eſt Vvichleffi, qui damnabat ſcholas Chriſtianas, & ſcholaſticos; cuius ſententia

Q 2 dam-

Contra ea ex 1[illegible] 98. pag. 2[illegible] et liberat 207.

damnata eſt in concilio Conſtantienſi ſeſſ.8. ſicut aduertit Alfonſus de Caſtro contra hæreſes titulo *ſtudia generalia* à quo reprobationes huius propoſitionis Liceti accipi debent.

Præterea. In Eccleſia ſunt minores fideles,qui credunt,& credita venerantur:ſunt maiores,vt Epiſcopi,Paſtores,& Doctores,qui debent veritatem explicare fidelibus, & eos exhortari in doctrina ſana, atque debent contradicentes arguere: atque iſti ſunt maiores in Eccleſia,quibus innititur fides minorum. Si potius eſt credere tacendo, quàm credendo docere veritatem, & arguere falſitatem: ergo maiores in Eccleſia ſunt deterioris cõditionis,quàm minores.quod eſt manifeſtè falſúm,ex re ipſa.nam fides minorum dependet a doctrina maiorum: & ſi maiores non doceant,quid credent minores?

Sanctus Thomas 1.p.quæſt.1.art.8. docet Theologicam ſcientiam eſſe argumentatiuam. Sanctus Bonauentura in prologo 1.q.2. oſtendit modum Theologicùm eſſe inquiſitiuum, qui, & argumentis & reſponſionibus procedit, atque vtilis eſt ad confundendos fidei aduerſarios, ad fouendum infirmos in fide, ad conſolandum perfectos: vt ibi pulcherrimè proſequitur,& in 3.d.35.q.2.

Denique Sanctus Auguſtinus de ſcientia diuinitus data iuxta Apoſtolum dicentem; *Alij datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, Alij ſermo ſcientiæ*, ſcribit in 14 de Trinitate cap.primo. "*Neque verò quicquid ſciri ab homine poteſt in rebus humanis,vbi plurimum ſuperuacuæ vanitatis, & noxiæ curioſitatis eſt, huic ſcientiæ tribuo: ſed illud tantùm, quo fides ſaluberrima,quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. qua ſcientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipſa fide plurimum. Aliud eſt enim ſcire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiſcendam vitam beatam: aliud eſt ſcire,quomodo hoc ipſum & pijs opituletur,vel contra impios defendatur. quæ proprio vocabulo appellatur ſcientia.*" Ex iſta B. Auguſtini doctrina,quo ad principium,finem, & effectum cognoſcitur eſſe potius,ac vtilius indagare veritates reuelatas diſputando, quàm fide pollere tantummodo. Ex principio,quia ſpeciale datum ſeu ſpecialis gratia gratis data eſt ſcientia Theologica: quæ gratia non datur cunctis. Ex effectu, quia per ſcientiam hanc diſputatricem fides gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, qui effectus in credente,& tacente non habetur. Ex fine, quia Theologica ſcientia diſputatrix opitulatur pijs,& eos ac fidem defendit ab impijs. Ideò Sanctus Hieronymus in epiſtola ad Paulinum. "*Sancta ruſticitas ſolum ſibi prodeſt, & quantum ædificat ex vitæ merito Eccleſiam Chriſti, tantum nocet,ſi deſtruentibus non reſiſtat;*"Id quod Beatus Hieronymus fusè proſequitur.

Ad extremum. Si hæc propoſitio Liceti recipiatur, auocantur fideles à ſtudio ſacrarum literarum, à ſtudio conciliorum, & patrum;

& omnino ſcholaſticam ſcientiam, quæ diſputando procedit, euertet.

Obſeruatio Quadrageſimaſeptima.

Bal. PAg.13. lin.4. "Nihil eſt enim diuini Filij productione, vel propter illius immenſam lucem illuſtrius, vel propter humani luminis imbecillitatem obſcurius. namque Philoſophi notatu intellectus animæ noſtræ ſe habet ad ea, quæ manifeſtiſſima omnium ſunt, ſicut oculi noctuæ ad lumen Solis illuſtriſſimũ, ad quod planè cæcutiũt.„ Citat 2.metaph.1.

Matth. Hanc authoritatem 2.metaph. nunc ſecundò citat, eamque conſiderauimus antea ad pagin.4. *iterū*.

Bal. Bis, ac ter, quod pulchrum eſt.

Matth. Vel decies repetita placebit veritas, ſed tamen ſi ſit ad propoſitum.

Nos loquimur de generatione Filij Dei: Ariſtoteles non potuit naturaliter peruenire ad cognitionem Filij ad intra. Veritate atteſtante, Matt.11. *Nemo nouit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis nouit niſi Filius: & cui voluerit Filius reuelare*,, quare Ariſtoteles de aliquo alio obiecto loqui potuit, de Filij generatione non potuit. Aliud præterea eſt accuratius inſpiciendum.

Bal. Quid nam illud?

Matth. Primam propoſitionem attendamus. *Nihil eſt diuini Filij productione, vel propter illius immenſam lucem illuſtrius:* quæ pars ſaltem poteſt concedi identicè; nam formaliter, vt dicit *ad*, relatio originis apud Seraphicos, & Subtiles non dicit perfectionem, nec imperfectionem. Sed tamen propter infinitatem identicè acceptam, nec ſpiratio Spiritus ſancti eſt illuſtrior generatione, nec generatio ſpiratione; ſed pars ſecunda eſt valdè ambigua, cum ait, *nihil eſt diuini Filij productione, &c. propter humani luminis imbecillitatem obſcurius*; hæc pars ambigua eſt, vel potius falſa ſi comparemus generationem Filij, & ſpirationem Spiritus ſancti. Nam ſpiratio eſt multò difficilior apud omnes.

Primò; de perſona producente Filium, quòd ea ſit Pater, non eſt difficultas: de perſonis producentibus Spiritum ſanctum, acerrima fuit controuerſia. Etenim Arius, Eunomius, & Semi Ariani contendebant Spiritumſanctum eſſe productum à Filio, non à patre: quæ hæreſis damnata eſt in ſecunda ſynodo generali, & eſt prima Conſtantinopolitana. Theodoritus verò negauit Spiritum ſanctum eſſe productum à Filio, dicens productum à ſolo Patre; quæ procella contra Eccleſiam Catholicam cæpit in concilio Epheſino, ſæpè damnata, ac tandem in Concilio Florentino oppreſſa eſt. Nec dum tamen tranquillitas: nec ſedata eſt tempeſtas

quæ

quæ iam mille, ac ducentis annis vexauit Eccleſiam.

Secundò, difficilior eſt proceſsio Spiritus ſancti, quàm Filij; quoniam proceſſionis nomen eſt commune Filio, & Spiritui ſancto. Ioan. 8. Filius inquit. *Ego ex Deo proceſſi*, & Ioan. 15. *Spiritus ſanctus, qui à Patre procedit*. Sed proceſſio Filij habet nomen proprium in Scripturis, quod eſt *generatio*. & Pſal. 2. *Ego hodie genui te*. Pſal. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te*. Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*. At proceſsio Spiritus ſancti non obtinuit in Scripturis nomen proprium. Sed nec tempore Sancti Anſelmi, Productio actiua Spiritus ſancti communis Patri, & Filio nomẽ habebat propriũ, quæ poſterius vis ſpiratiua, vel ſpiratio actiuà dicta eſt, cui ſpiratio paſsiua correſpõdet. Scot. 1. d. 28. q. 2. G. legito.

Tertiò, propter principia actiua productionum, & modos producendi eſt obſcurior ſpiratio. Conſentiunt Theologi Filium produci per intellectum fœcundum, & naturaliter. Conſentiunt Spiritum produci per voluntatem. Sed an liberè, an naturaliter, quàm grandis eſt controuerſia inter Theologos? Et quomodo cum actu voluntatis ſtet ſumma neceſſitas? Quomodo enim ſumma libertas, & ſumma neceſsitas in ſpirando conſiſtant, eſt explicatu perdifficile.

Quartò, quia Filius, & Spiritus de Patre procedunt: cur vterque non eſt Filius, & vtraque proceſsio non ſit generatio, ſine labore non exponitur.

Quintò, Spiritus ſanctus in ſuo eſse perſonali præſupponit Patrem & Filium, igitur omnes difficultates de Filio impediunt cognitionem de Spiritu ſancto: & vltra difficultates de Patre & Filio, quæ ſunt circa principium ſpiratiuum, vel ſpirans, propriæ difficultates de Spiritu ſancto, nos exercent.

Sextò, In creaturis generatio eſt, per quam communicatur ſubſtantia, & producitur ſuppoſitum ſubſtantiale; vt eſt naturaliter euidens. Sed per ſpirationem voluntatis communicari ſubſtantiam, aut produci ſuppoſitum in nulla creatura cernimus; ideò difficilius aſcendimus ad cognitionem Spiritus, quàm Filij.

Septimò. Denique quomodo multitudo, vel vnitas in principio ſpiratiuo, & perſonis ſpirantibus requirantur: quomodo Pater ſpiret principaliter, & propriè, & authoritatiuè, filius non item, eſt valdè obſcurum. Similia multa poſſunt coaceruari ex quibus apertiſſimum eſt, intellectui noſtro eſſe obſcuriorem Spiritus ſancti proceſſionem, quàm ſit generatio Filij. Sed Licetus nimis eſt velox in propoſitionibus ſcribendis, & parum ſollicitus in conſiderandis. Si de poemate dixit quidam, Nonum prematur in annum. Quid de rebus diuinis, quæ omnem noſtram intellectus aciem excedunt, dicendum eſſet? Sed perge legendo.

Obſer-

Obſeruatio Quadrageſimaoctaua.

Bal. VT mirum non ſit in hoc argumento, ſi non ſolum pridem (*vt* ait Diuus Auguſtinus in opere contra aduerſarium legis, & prophetarum inſcripto, diſſerens) in Eccleſia Dei tantus conflictus aduerſus Arianos fuerit excitatus, ne vnigenitum Filium dicerent eſſe creaturam, idem putantes creatum eſſe, quod genitum, pag. 13. lin. 10.

Matth. Hanc Diui Auguſtini authoritatem frequenter inculcabit Licetus, & peruertet: ideò præueniendus eſt eius conatus. Magnus conflictus fuit in Eccleſia aduerſus Arianos dicentes, Filium Dei vnigenitum eſſe creaturam, & hæc eſt propoſitio principalis. Dicebant eſſe creaturam abſolutè, & ſine determinatione, quæ excluderet ſenſum hæreticum. Sed & Licetus ſæpè de filio pronuntiat ipſum eſse creaturam, neque adiungit determinationem, vel diſtractionem, vel declarationem, quæ auferat ſenſum hæreticum. Secunda propoſitio eſt cauſalis, quia enim putabant Ariani, creatum, & genitum eſse idem, ideò Filium genitum dicebant creaturam abſolutè, & ſimpliciter.

Et pag. 39. lin. 12. pag. 109 à lin. 20.

Licet. car. 101. li. 27. car. 107. lin. 10.

Circa primam propoſitionem aduerto cum D. Thoma 3. p. q. 16. art. 8. & Bon. 3. d. 11. q. 4. aliud eſse proponere creaturam abſolutè, aliud cum determinatione. Si dicas, Chriſtum eſse creaturam, abſolutè, non approbant Sancti. Si cum determinatione, Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt creatura, approbant. Aſsentitur Scotus in 3. d. 11. q. 2. ſi ponatur terminus *creatura* vel *creatus* cum diſtractione. Ariani dicebant, Filium vnigenitum eſse creaturam ſine addito, ſimpliciter, abſolutè: Et per *creaturam* intelligebant *rem factam ex nihilo*: hoc modo dicere, filium eſse creaturam eſt planè hæreticum, quia Filius non eſt factus.

Quoad ſecundam propoſitionem, Ariani confundebant *eſſe genitum, & eſſe creatum*: & per creatum eſse intelligebant eſſe factum de nihilo immediate, vel mediatè: vt poteſt cognoſci ex libro Auguſtini contra Felicianum tom. 6. pag. 252. K. vbi Auguſtinus definit creaturam eo modo, quo concedebatur ab Arianis. Poſtulauerat enim Felicianus, ne diſputaretur authoritate ſcripturarum, ſed ratione. Ideò Auguſtinus definiuit ita creaturam: *Creatura*, inquit, *eſt, ex eo, quod adhuc non eſt, aut aliquando non fuit, vel cuiuslibet corruptibilis, quantum in ſe eſt, Patris omnipotentis Dei voluntate facta ſubſtantia.* Poſuit pro genere *ſubſtantiam factam*: poſuit pro differentia, *ex eo quod non fuit, vel non eſt*: poſuit efficiens, *ſolam voluntatem Patris omnipotentis*; quoniam Ariani nec Filium, nec Spiritum ſanctum habere voluntatem omnipotentem concedebant. In hoc ſenſu dicere: creatum eſt factum ex nihilo, & creatum eſt idem, quod

August. tract. in Joan.

geni-

genitum, eſt falſum prorſus, ſed ab Arianis dictum.

Inde Sanctus Bonauentura in 1.d.13. dub.8. ponit hoc argumentum Arij: omne genitum eſt factum, Filius Dei eſt genitus, ergo factus. maiorem probabat Arius inductione, afferens duodecim modos generationis, in quibus vera videtur illa propoſitio. quod autem factum eſt, fuiſſe ab æterno nihil vſque ad primum mundi inſtans, non eſt ambiguum: ergo omne genitum eſt factum de nihilo ſecundum Arium, quare genitum & factum idem ſunt, quoniam habent eamdem definitionem.

Interim Sanctus Auguſtinus in libro de fide, & ſymbolo cap.4. animaduertit in Latinæ linguæ conſuetudine dici aliquando creare pro eo, quod eſt gignere, & ideò cum loqui volumus ſine ambiguo, dicimus *condere* pro eo, quod eſt Græcè ctizein. Et S.Hieronymus, quòd creare ſit idem quòd gignere, dicit ſuper caput quartum ad Epheſios. Sed applicandò ad Filium Dei, Bellarminus lib.1. de Chriſto cap.18. in ſecunda expoſitione dicti *Dominus creauit me*, oſtendit ex Beato Athanaſio ſermone tertio contra Arianos, & Cyrillo quinto theſauri cap.6. in ſcripturis aliquando *creare* eſſe idem, quod *generare*: ac proinde Filium dici *creatum*, ideſt *genitum*; Quod idem affirmant Gregorius de Valentia tom.1. col.581. Bannes 1.p.quæſt. 45. art.1. Cornelius à Lapide ad caput octauum prouerb. car.178. col.2. Didacus Ruiz de Trinitate diſputatione 4. ſect.1. num.24. car. 14. Oliuerius Bonartius ſuper Eccleſiaſticum in regula trigeſimaquarta ante expoſitiones. Salmeron tom.13. ſuper epiſtolas Pauli lib.1. part.2. diſp.21. pag.133. & 135. Liranus ſuper 1. Eccleſiaſtici in illud. *Prior omnium creata eſt ſapientia*, inquit, *huius ſapientiæ creatio non eſt aliud, quàm generatio*, Vgo de Sancto Caro declarans eumdem locum Eccleſiaſtici dicens vel de *ſapientia loquitur æterna, quæ dicitur creata, ideſt genita*. Primus autem in hac re eſt Sanctus Euariſtus Papa, (qui pontificatum geſſit Anno Domini 112.) in epiſtola decretali in 1. tom. conciliorum pag.312. Is textum Eccleſiaſtici 24. *Qui creauit me, expoſuit*, qui *genuit me*. ergo niſi velimus dicere Sanctum Euariſtum Papam, S.Athanaſium, & Cyrillum, atque alios citatos Doctores fuiſſe in errore Arianorum, neceſſarium eſt diſtinguere; nam Sanctus Auguſtinus reprehendit in Arianis, quòd dixerint *creatum eſſe idem, quod genitum*; Hi Patres citati, & Auguſtinus ipſe quoque concedit, ipſum creare eſſe aliquando idem, quod generare. Nec ſibi contradicit Auguſtinus, neque contradicit Euariſto, vel Athanaſio; ſed diſtinguendum eſt. Si creatum ſit idem, quod *factum ex nihilo*, ſit ſenſus Arianus, quod genitum, & creatum ſint idem; ſi autem creatum non includat ipſum *factum*, nec ipſum *ex nihilo*, ſed excludat totam definitionem creationis Arianæ, poſſumus concedere, quod aliquando *creatum* ſit idem, quod *genitum*.

Si au-

Si autem hic modus conciliandi patres cum Auguſtino non placet, alius eſt quærendus: nec enim debemus dicere, Auguſtinum voluiſſe concludere in ſenſum Arianorum S. Euariſtum, & Sanctum Athanaſium.

Bald. Ego quoque in mea epiſtola citaui S. Euariſtum, qui *creauit* legebat pro communi ſenſu Eccleſiæ *qui genuit*; ſed & Licetus in hac ſua epiſtola pag. 201. lin. 24. ſcribit, Filium Dei ad intra creatum eſſe ſecundo modo creationis æquiuocè dictæ, ſumpto nomine creationis ad indicādam propriè dictam Filij Dei generationem æternam; quod probat authoritate Euariſti à me citata.

Matth. Ergo Licetus hic damnauit cum Auguſtino Arianos, dicentes *creatum eſſe idem, quod genitum*. Et ipſe in eumdem impegit lapidem dicens, *creatum eſſe genitum, & creationem eſſe generationem æternam*. Debuit ergo iſto in loco pag. 13. declarare, in quo ſenſu Auguſtinus loquitur, ne quenquam falleret: multi enim, ſicut Licetus ſæpè inculcat, credent iſtam propoſitionem, *creatum eſt idem, quod genitum*, hæreticam, & Arianam eſſe: quod ſi ita eſt, Licetus non diſtinguens, aſſeruit propoſitionem hæreticam, & Arianam. Non recedam à Diui Thomæ, hoc eſt, à mea diſtinctione vocabuli *creare*: Si creare ſignificat facere ex nihilo: dicere quòd creatum, & genitum, ſint idem, eſt erroneum, & applicando ad Filium Dei, eſt hæreticum. Ariani verò loquebantur in iſta proprietate vocabuli: & Sanctus Auguſtinus eos damnat in iſto ſignificato, quod erat Auguſtino optimè notum. Si autem *creare eſt producere, ſeu conſtituere ex eo, quod eſt*: Sic Filius dici poteſt *creatus*, ideſt genitus, productus: nam genitum eſſe, eſt productum eſſe, ſicut omne inferius dicitur eſſe ſuum ſuperius, velut homo eſt animal.

Velle autem aſſerere, quòd creatum, & genitum ſint idem ſimpliciter in ~~ſcholis~~ [Sacr. scrip.] non ſolùm eſt contra lumen ſupernaturale dicente Pſal. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te*: genui te ex vtero, non ex nihilo: ſed eſt contra lumen naturale, nam omnis generatio naturalis eſt de aliqua ſubſtantia, vel propria, vel aliena. Aliena, vt ignis generat ignem, non de ſubſtantia propria, ſed de ſubſtantia ceræ, aut ligni: propria, vt cum pater, & mater in viuentibus de proprijs ſanguinibus generant prolem.

Hæc quoad differentiam: quia generatio eſt ex aliquo, non ex nihilo. Quo ad genus nunc dicam. Efficiens, & effectus neceſſario habent diſtinctionem eſſentialem vel ſpecificam, vel numericam, aut proportionalem iſtis. Sed in rebus cauſatis generans habet aliam numero eſſentiam à genito, ergo in rebus cauſatis generans eſt faciens, genitus eſt factus. At verò impoſſibile eſt, vt eſſentia diuina multiplicetur, vel ratione, vel numero: ideò in diuinis ad intra Pater generat, Filius generatur: ſed neque pater facit Filium

neque Filius factus eſt Patre: propterea in ſymbolo Niceno confi-temur, *Filium Dei vnigenitum*, eſſe genitum, non factum.

Conſectarium eſt: ſi ſumatur, *creatum*, eſſe factum de nihilo, ſicut Ariani accipiebant: eſſe errorem dicere, *creatum eſt idem, quod genitum*. Si accipiatur *creatum* in alia ſignificatione prout acceperunt Patres, atque Doctores citati: non eſt error dicere *creatum*, *& genitum* ſunt idem; in quo ſecũdo ſenſu Latinæ linguæ authores plurimi accipiũt vocẽ *creare*, ſicut & accepere Sancti Euariſtus, & Athanaſius.

Tota hæc res clareſcet ex Cyrillo lib. 9. in Ioan. cap. 37. car. 268. A loquente contra Arianos, qui Filium dicebant eſſe creaturam, ſed ſuperiorem cęteris creaturis. Cyrillus ait. "Non enim vtrum eximiæ naturæ creatura ſit, ſed vtrum factus ſit, quæritur. quumque factus eſſe ab eis dicatur, gloria eius ſtatim deprimitur. Fruſtra igitur quaſi remedium afferunt, quod optima creaturarum ſit: cum creata omnis natura in infinitum à nõ creata diſſeparetur & diſtet. "Arius, & Ariani conueniebant, quòd Filius eſſet factus: ſed Arius Filium eſſe factum ex nihilo, dicebat, eſſe ſimilem cęteris creaturis, apud Athanaſium oratione ſecunda contra Arianos. Poſteriores Ariani aſſerebant eſſe creaturam, ſed non vt cęteræ creaturæ. At Cyrillus fraudem eorum detegit, quia ita dicebant creaturam, vt aſſererent Filium eſſe factum. Et in hoc eſt vna principalis radix Arianæ hæreſis, ſcilicet in ratione facti. Epiphan. idem de hæreticis docet, hæreſi 73. colum. 719. et August. tract. 26 in Ioan.

Obſeruatio Quadrageſimanona.

Bald. Proſequor lectionem Liceti pag. 13. lin. 15. "Sed etiam Aeuo noſtro conſimilis controuerſia viros inter Theologos nonnullos noſtrates excitata, vigeat acerrima, paucis opinioni nouæ ſubſcribentibus, æterni Verbi generationem eſſe putanti creationem Theologicè, propriéque dictam: & alijs vice verſa creationis actum omnem à generatione Filij Dei procul arcentibus.

Matth. Licetus non percepit ſtatum controuerſiæ: neque mirum eſt ex conſequenti, ſi rectè non reſoluat. Duas propoſitiones ſuperius poſui; Primam Filius Dei non eſt factus ex nihilo. Secundam Filius Dei eſt productus ex aliquo, ideſt ex ſubſtantia Patris.

Circa primam, ego non affirmaui, Filium Dei eſſe factum ex nihilo, imò negaui pag. 34. Filium eſſe productum ex nihilo, & pag. 249. mei libri negaui eſſe ex nihilo, negaui eſſe factum, quare negaui genus, & differentiam creationis Arianæ à Filio Dei; de quocunque negatur definitio, de eodem negatur definitum: igitur à Filio Dei negaui rem ſignificatam, & vocabulum ſignificans in ſenſu Arij. Offenſores quoque mei idem aſſerunt. Filium Dei non eſſe factum ex nihilo: ergo

in

in re eſt concordia inter Theologos noſtrates, non controuerſia.

Circa ſecundam, Ego dixi Filium Dei eſſe productum ex ſubſtãtia Patris præexiſtente in Patre, & inexiſtente in Filio, quæ propoſitio eſt de fide definita in Concilio Niceno, tum in ſymbolo, tum in anathematiſmo. Sed mei offenſores, quod ſciam, hoc non negant. Eſt igitur concordia in re, non controuerſia, vt Licetus putat.

Bald. In quo igitur controuerſia eſt inter Theologos?

Matth. In vocabulo; vtrum hæc productio Filij Dei de ſubſtantia Patris poſſit dici creatio; illi negant, & cauſa eſt: quia non agnoſcunt offenſores mei, niſi vnicum ſignificatum vocabuli *creatio*. Vnde totam vniuerſalitatem Theologorum omnium, coarctant in hoc ſignificato, quòd creatio eſt factio ex nihilo. Ego autem dico vocabulum *creatio* eſſe æquiuocum, ac proinde habere diuerſas ſignificationes: Sed præcipuè duas. Vnam expreſſam in ſcripturis & eſt, quòd creatio eſt productio ex eo, quod eſt, ſiuè ex aliquo ente. Alteram expreſſam apud Scholaſticos & eſt, creatio eſt factio entis ex nihilo: Diuiſi autem Scholaſticos in Theologos, & Philoſophos: Nam & iſti, & illi procedunt modo diſputatorio, & inquiſitiuo. Si accipiatur creatio ſcholaſticè, Filius Dei non poteſt dici creatus, quia non eſt factus ex nihilo, prout definitum eſt in Concilio Niceno in ſecunda particula anathematiſmi. Si autem accipiatur creatio vt excludit *factionem*, & excludit ex nihilo; & includit productionem ex aliquo ente. Tunc dico Filium Dei poſſe dici creatum in hoc ſecundo ſenſu. Et ad hoc probandum in epiſtola, ad te Balde, viginti Patres antiquos, & viginti modernos poſt Diuum Thomam, ac etiam plures attuli. Vides in quo ſit controuerſia.

Licetus interpoſuit ſe, & in capite vltimo ſuæ epiſtolæ, tres ponit concluſiones contra meos offenſores, non tamen integrè pro me. Tres ponit contra me, tamquam Arbiter Theologorum, contra omnes pro nullo.

Bald. Sed in iſta, quam legimus, littera perſtringit tuam opinionem primò, quia eſt opinio noua. Secundò, quia pauci ei ſubſcribunt. Tertiò, quia propriè dictam creationem attribuit Verbo.

Obſeruatio Quinquageſima.

Matth. MEam opinionem vocat nouam: ſed in epiſtola ad Baldum, oſtendi eam eſſe antiquiſſimam, tum ex Scriptura, tum ex Patribus.

Ceterum S. Bonauentura in 1. d. 26. dub. 1. docet "Nouitatem, aut eſſe ortam ex doctrina veteri, aut aliundè. Nouitatem ortam ex doctrina veteri, non eſſe euitandam. Id verò nobis indicat Saluator Matthæi 13. dicens. "*Omnis ſcriba doctus in regno cœlorum, ſimilis eſt ho-*

R 2 mini

mini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua, & vetera. „Theſaurus Doctoris fidelis eſt diuina reuelatio in Scriptura, & traditionibus contenta. De hoc veteri theſauro proferre, & noua, & vetera iuſtum eſt, alioquin nihil facere deberemus, niſi tranſcribere vetera. Nouitatem aliunde ortam, eſſe euitandam monet Apoſtolus in epiſtola 1. ad Timotheum cap. vltimo, deuitandas. ſ. eſſe profanas vocum nouitates. Atqui, cum dico iſtam propoſitionem primam, *creare in ſcriptura eſt expreſsè ex aliquo:* hæc eſt obſeruatio nata ex doctrina veteri, vt *omnes homines de ſolo, & ex terra, vnde creatus eſt Adam.* Eccl. 33. Terra ex materia. Sap. 11. Piſces, & Aues *de aqua.* Geneſ. 1. ergo hæc nouitas non eſt fugienda.

Secunda propoſitio; *creare in ſcriptura Dei, nunquam conſtruitur expreſsè cum particula ex nihilo, aut cum æquiualenti.* Conſtat inductione facta in triginta nouem ſupra centum ſcripturæ diuinæ locis. Res conſiſtit in facto, non in diſputatione. Si adeſt locus in Scriptura, in quo creare conſtruatur cum ablatiuo *ex nulla re,* vel *ex nihilo* expreſsè; oſtendatur locus. Ego oſtendo locum poſitiuè, pro creatione *ex aliquo* ente, vt Eccl. 38. *Altiſſimus creauit de terra medicamenta.* Oſtendant alij locum ſimilem pro creatione ex nihilo, non ponentes de ſuo ablatiuum ex nihilo, ſed legentes in textu. Hæc obſeruatio orta eſt ex doctrina veteri.

Tertia propoſitio. Filius Dei vnigenitus non eſt factus ex nihilo: hæc propoſitio nata eſt ex doctrina veteri, nam S. Pontifices, Sother, & Dionyſius docuerunt in ſcriptura legi, Filium eſſe *genitum,* non legi eſſe *factum.* Quod poſt Pontifices iſtos, in ſymbolo Niceno, & in anathematiſmo decretum eſt. Vnde filius non eſt factus ex nihilo, neque creatus, ſi *creauit* ſignificat *fecit.*

Quarta propoſitio. Filius Dei vnigenitus eſt productus de ſubſtantia Patris præexiſtente in Patre ordine originis, & inexiſtente internè in Filio. Eſt obſeruatio noua, nata ex doctrina veteri, Concilij Niceni primi, in quo decernitur; *Filium eſſe de Patre, idest de ſubſtantia Patris:* Filiumque eſſe conſubſtantialem Patri: atque anathematæ damnantur dicentes, filium eſſe de aliena ſubſtantia.

Quinta propoſitio. Creare eſſe vocem æquiuocam: & aliquando creare nō ſignificat facere, ſed præficere, vel generare, vel producere, aliquādo ſignificat facere ex nihilo. Obſeruatio hæc orta eſt ex decreto S. Dionyſij Papæ cum concil. Romano, & item S. Athanaſij in epiſtola de decretis Nicenis. Ait Pontifex: "*Non enim ſimplex eſt, & vna ſignificatio huius verbi Ἔκτισε* Latinè *creauit.*„ Et in hoc dicto *Dominus creauit me.* creauit intelligendum, non *fecit,* ſed *præfecit* operibus ſuis. *Creauit* intelligendum eſt *genuit* ex decreto S. Euariſti, & documento Athanaſij. *Creauit* intelligendum eſt *produxit* ex doctrina S. Cyrilli Alexandrini 4. de Trinitate.

Sexta propoſitio. *Dominus creauit me* intelligendū eſſe de perſona Chriſti

ſti diuina,ſecundū diuinitatē,vel ſecūdum humanitatem. Obſeruatio eſt orta ex doctrina veteri S.Petri Apoſtoli,in concil.Apoſt.ex lib. 5.Cōſtitutionū Apoſtolicarū cap.vlt.& lib.7.cap.37.Ex concilio Romano citato ſub S.Dionyſio, & alijs in epiſtola ad Baldum citatis. De humanitate alias. Quare falsò dicitur mea opinio eſſe nōua,cum non ſit niſi repetitio doctrinæ veteris. Nec ſemel monuiſſe ſufficiat, nam Licetus vel millies in hac epiſtola meam opinionem nouam vocat; ſed toties falsò dicit, quoties dicit nouam.

Obſeruatio Quinquageſimaprima.

Bald. VEtuſtam exiſtimo tuā ſententiā quoad omnes propoſitiones, ſed noua eſt ijs, qui ſcripturas ſacras,& ſanctos Patres nō legerūt, Nūc de paucitate,vel de multitudine ſcribentium,quid dicis?

Matth. Si meæ propoſitiones adducantur cum diminutione, additione, inuerſione, ſicut adducuntur à Liceto, & à quibuſdam pauciſſimis eius cōſortibus,iuſtū eſt non ſubſcribere.Qui autem legūt meas propoſitiones integrè,& ſincerè prolatas,ſubſcribunt eis.Vti ſubſcripſerunt ſex doctiſſimi Theologi. Subſcripſerūt duo Reuerendiſs.Inquiſitores,Venetus & Brixienſis;ſubſcriberēt plures,ſi plures requirerē.

Obſeruatio Quinquageſimaſecunda.

Bald. AT, ineuitabilis eſt accuſatio contre te, intorta, quòd Verbum dixeris eſſe creatum Theologicè,propriéque dicta creatione.

Matth. In hoc libro de ſeptimo quæſitis ad pag.8. referuntur mea verba ex libro primo defenſionis cap.4. num.27.28.29. Dixi Filium eſſe creatum Theologicè, ideſt, ſcripturaliter accipiendo vocabulum creationis,ſed eſſe creatum *propriè* non dixi.Lege tu,& vide,an ego ſcripſerim particulam *propriè*.

Bald. Vox *propriè* non eſt ſcripta.

Matth. Accipe nunc Librum Defenſionis Veſtigationum, & in pag.249. 250.251. vbi per occaſionem tractandi de creatione ex aliquo, vel ex nihilo,egi de creatione,quæ à diuina ſcriptura tribuitur Filio Dei. Quære,vtrum ſit ſcriptum, quòd Filius ſit *propriè* creatus,vel quòd eius generatio ſit propriè creatio.

Bald. Vox *propriè* non eſt ſcripta.

Matth. Ergo illa vox *proprie* addita eſt à ſinceritate Liceti. Interea percontor abs te, vtrum in decernendo,de proprietate,& improprietate vocabuli *creatio*, ſit attendenda aliqua regula, vel nulla. Nam Licetus totus eſt voluntarius in ſignificato, proprij,improprij propriſſimi, impropriſſimi aſſignando.

Bald. Omninò præſcribenda eſt aliqua regula, ne quiſquam pro libidine

inuer-

inuertat proprietates vocabulorū,& omnē diſputationem euertat.

Matth. Regulæ huius rei apud me ſunt; prima *Inſtitutio*, nam voces ad placitum primi inſtituentis acceptæ propriè accipiuntur, ac fiunt, vel nomina, vel verba ex ipſa ſignificatione ad placitum.

Secunda, eſt *Vſus* loquentium, ſed grauioris authoritatis, prout notat Scotus in 1.d.1.q.3. Quanta verò ſit vis ipſius vſus in vocabulis, oſtendit Horatius de arte poetica.

Tertia, *propria principia ſcientiæ*. Vnaquæque enim ſcientia iuxta ſua principia habet terminos, propoſitiones, concluſiones, imò ipſe definitiones terminorum ſunt principia propria in ſcientijs, vt in mathematicis conſtat, per definitionem lineæ, trianguli, circuli.

Quarta, eſt *commune, & proprium, confuſum & diſtinctum*; nec enim res aut voces accipiuntur *propriè* quando accipiuntur in cōceptu communi, aut confuſo, in quo conueniunt. Sed quando in conceptu proprio; per quod diſcernuntur. Quo pacto diſtinguitur vox differentia, in communiter, propriè, & magis propriè dictam. Si aliqua alia regula detur eam non reſpuam: mihi verò nunc non occurrit.

Iuxta primam regulam. quia vox ſignificatiua ad placitum eſt illa, quę ad placitum primi inſtituentis aliquid ſignificat, vt dixit Petrus Hiſpanus, & magnus Logicus, & Summus Pontifex in Eccleſia Dei. Sed voces Hebraicæ, Græcè, Latinæ, quæ ſignificant creationem ſunt à Deo, vt à primo inſtituente, qui & in iſtis tribus linguis loquutus eſt per os Sanctorum ſcribentium ſacras litteras. Ego igitur acciperem proprietatem iſtius vocabuli *creare* à Deo.

Iuxta ſecundam regulam. In Eccleſia Dei conſidero ſcriptores Canonicos, qui ſunt ſummę authoritatis, & infallibilis, iuxta Auguſtinū in 2. de doctrina Chriſtiana cap. 7. " Debemus enim cogitare id eſſe melius, & verius, quod ibi ſcriptum eſt. " Quod conſentit cum decreto Gratiani d.9.cap. quis *neſciat*, & capite *Ego ſolis*. Alij vel tractatores ſcripturarum, qui ſolēt dici poſitiui, vel diſputatores de ſacris veritatibus, qui nuncupantur Theologi ſcholaſtici, ſunt quidem magnæ authoritatis, ſed in proprijs eorum dictis dependentes à ſcriptoribus canonicis, atque ideò minoris authoritatis. Si itaque melius, & rectius eſt loqui propriè, quam impropriè: & melius loquuntur, ac rectius ſcriptores Canonici ex comuni conſenſu, quàm alij ſacri ſcriptores, iuxta atteſtationem Beati Auguſtini, & Canonum. Videtur mihi rationabile accipere proprietatem vocis *creare* iuxta communem vſum ſcriptorum canonicorum.

Iuxta tertiam regulam. Propria principia Theologiæ conſiſtunt in Sacra Scriptura, ex qua ſcholaſtici deducūt concluſiones vt conſtat ex B.Thoma 1.p.q.1.art.8. & Bannes diffusè ſuper illo articulo, idem tangit B. Bonauentura in q.2. Vbi ſcripturam dicit eſſe ſubalternantem, ex qua principia ſumuntur ad probandas cōcluſiones Magiſtri ſcholaſticas. Si ergo iuxta principia prima Theologiæ, id eſt

iuxta

iuxta Scripturas ex inductione in eis colligatur definitio creationis: videtur mihi illud creare, eſſe propriè, quod ex proprijs principijs colligitur.

Iuxta quartam. S. Auguſtinus in 1. contra aduerſarium legis cap. 23. diſtinguit, quia in Scripturis creare, & facere aliquando confunduntur, & accipiuntur promiſcuè: aliquando diſcernuntur, & hoc, ſecundum proprias rationes, quas aſſignat ibidem, & in libro de moribus Manichęorum cap. 7. Videtur mihi rationabile, vt tùm dicatur creare *propriè*, cùm creare accipitur ſecundum propriam rationem, per quam diſcernitur ab ipſo facere, non ſecundum rationem communem, in qua conuenit cum ipſo facere. Hæ ſunt rationes apud me, per quas poſſimus diſcernere, quando voces *propriè*, quando *impropriè* accipiuntur. Si quis meliores habeat rationes, conferat in commune bonum. Ego enim ſum paratus diſcere.

Bald. Hæc ratio ſecundo loco poſita eſt contra te, vt cantes

Heu patior telis vulnera facta meis

Etenim ex vſu ſcholaſtico, creare eſt facere aliquid ex nihilo, & iuxta magiſtrũ in 2. d. 1. Creare hoc modo acceptum, eſt creare propriè. Hoc pacto gloſsa in cap. 1. Gen. citatus à Diuo Thoma in 1. p. q. 45. art. 1. ſumpſit creare: at nemo dixerit ſcholaſticos non eſse viros valdè doctos, & rigoroſè loquentes.

Matth. Exploratiſſimum eſt inter ſcholaſticos eſſe viros ſummos, & doctrina, & authoritate. Quia verò vnicuique ſcientifico in arte ſua licet appropriare terminos: propterea ex vſu ſcholaſtico poſsumus accipere propriè creationem in illo ſignificato. Sed præter vſum ſcholaſticum vocabuli creare, aliud eſse ſignificatum vſitatum in ſcriptura notauit Franciſcus Suarez in 3. p. q. 16. art. 8. & Martinengus Gloſa magna tom. 1. à cart. 115. ad 120. ad quorum doctrinam me refero. Ideò, & S. Thomas in 1. p. q. 45. art. 1. duo ſignificata vocis *creare* ponit, vnum ab Auguſtino collectum ex Scriptura, alterum à Gloſa in 1. Geneſ. & S. Bonauentura in ſecundi prologo cum Scriptura ponit creationem ex aliquo: in q. 6. cum ſcholaſticis creationem ex *nihilo*. Biel in 2. d. 1. q. 1. & 4. quinque ſignificata ſatis commodè ponit. Sed aliud eſt dicere de ſignificato ſcholaſtico abſolutè: aliud de ſignificato ſcholaſtico in comparatione ad ſignificatum ſcripturale, qui duo vſus magnopere differunt, & nunc breuiter probo. Quicumque accedit ad vnum contradictorium, recedit ab altero, nec enim poſſibile eſt duo contradictoria ſimul vnire. Sed ex aliquo, & ex nihilo ſunt contradictoria: & vſus ſcholaſticus expreſsè accedit ad ex *nihilo* in vocabulo *creare*. Scripturalis vſus expreſsè accedit ad creationem ex *aliquo*: Ergo vnus vſus recedit ab altero.

Bald. Quantum capio tu accipis creare propriè ex vſu ſcripturarum, Licetus ex vſu ſcholaſticorum.

Matth.

Matt. Ego quidem accipio proprietatem vocis ex vſu Scripturæ diuinæ. Licetus accipit aliter ſicut accepere Sabellius, & Arius. Vnde bifariam in hac parte conqueror: primò quidem, quoniam in loquendo de Filio Dei, Ego non adiunxi vocabulum *propriè* ad creatum, vel creationem, quod tamen infida fide Licetus de me dicit. Secundò quoniam & ſi creare *propriè* dixiſſem, intellexiſſem proprietatem vocis iuxta modum à me declaratum in libro Defenſionis pag. 254.255. Licetus autem, vt me cum Ario coniungat, mihi attribuit proprietatē vocis talem, qualem Arius accepit. Callidè nimiū agit.

Obſeruatio Quinquageſimatertia.

Bald. Poſtquam datæ ſunt regulæ de iudicanda proprietate vocabuli creare, vel creatio. tuque vocas creationem propriè eam, quæ eſt ſcripturalis. Scholaſtici verò eam, quaſi ipſi vtuntur operæ pretium videretur hoc loco excutere hanc rem.

Matth. Rectè. S. Auguſtinus 10. de Ciuit. Dei cap. 23. "Liberis verbis vtuntur Philoſophi, & in rebus ad intelligendum difficillimis, religioſarum aurium non timent offenſionem. Nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia, etiam de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem.,, Quamuis poſtquam vocabula ſunt diſtincta, ne æquiuocatio intercedat, nolit S. Auguſtinus contendere. Ergo incipiamus à diuina Scriptura quærere de vocibus: poſthac Patres, Pontifices, & concilia exquiremus.

In Scriptura. Creare, & eius deriuata bifariam conſtruuntur, primò, *cum ablatiuo* ſignificante *aliquid*, ſecundò ſine vllo ablatiuo. Exemplum primi Eccl. 33. *Omnes homines de ſolo, & ex terra, vnde creatus eſt Adam.* Eccl. 17. *Deus creauit hominem de terrâ.* Eodemq́ue verſ. 5. *Creauit ex ipſo adiutorium ſimile ſibi.* Sap. 11. *Omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuiſa* quibus locis duplex principium rei creatæ ponitur, principium *à quo*, & eſt Deus, & principium *de quo*, & eſt aliquod ens præexiſtens vt materia, terra, aqua, limus, coſta, vir; & aliquādo aſſignatur principium propinquum, vti *terra* reſpectu Adami, quandoque remotum, vti ſolum, & terra, reſpectu omnium aliorum hominum. Exemplum ſecundi Geneſ. 7. *Delebo hominem, quem creaui à facie terræ.* Ieremiæ 31. *Creauit Dominus nouum ſuper terram* 1. Timoth. 4. *Abſtinere à cibis, quos Dominus creauit.* Tertiò conſtruere ipſum *creare* cum particula ex *nihilo*, vel ut æquiualente, ex *nulla re*, ex *nullo ente*, nunquam nuſquam reperi expreſſum in Scripturis: & ſi centum triginta nouem locos ſcripturarum percurrerim, maiori, qua potui diligentia. Res iſta non conſiſtit in diſputatione, vt dixi, ſed in facto. Si adeſt in Scriptura *creare* conſtructum cum ablatiuo *ex nibilo*, indicanti hoc gratias habebo.

bo. In ſecunda conſtructione, cum neuter ablatiuus à Deo ſit poſitus, obſcurum eſt, an debeat poni ablatiuus ex aliquo, vel ex nihilo. At Beatus Auguſtinus in 2. de doctrina Chriſtiana cap. 9. docet nos, ex claris ſcripturis pergere debere ad obſcuras. Sed clarum eſt in ſcripturis citatis rem creatam habere reſpectum ad materiam propinquam, vel remotam, ſed à Deo explicitè, & formaliter dicente: talis eſt creatio ex aliquo. Clarum eſt non adeſſe explicitè, & formaliter in ſcripturis cum verbo *creare* particulam *ex nihilo*: Ergo videtur conſentaneum, vbi Deus neutrum ablatiuum expreſſit, imitari in exprimendo Deum, & applicare ablatiuum *ex aliquo*, non applicare creationi ablatiuum *ex nihilo*. Scotus 3. d.24.q.1. F. in manifeſta ſcriptura, per manifeſtam exponitur.

De Patribus, & concilijs alio loco, quãdo Licetus de creatione ſcribit.

uide obſeruat. 41. et infra pag. 390. 391.

Obſeruatio Quinquageſimaquarta.

Bal. PRoſequor legendo pag. 13. lin. 21. "Quid ergo nunc, optime Balde, tu me vocas arbitrum inter inſignes Theologos de tanta re purè theologica repugnantes, purum putum philoſophum, ac medicum? &c. Conſulere poteras de propoſito Diuum Thomam & alios Theologiæ ſummates, conciliorumque Patres, à quibus altiſſimum hoc myſterium explicatum haberes, quàm à me non profeſſione Theologo.

Citat D. Thomam 1. p. q. 41. 3. ad quart. & 3. cont. gent. cap. 8. Non dices hanc citationem non eſſe veram.

Matth. Non eſt tanti Licetus, vt citationes iſtas veras adduceret, ſed tamen ſecundam falſificauit. Ego in meo ſcripto ante quatuor annos dederam Liceto iſtas citationes D. Thomæ; ſed in ſecunda citatione attuleram D. Thomam 4. cont. gent. cap. 8. *L*icetus aſſuetus falsò citare, citat. 3. cont. gent. Alios Theologorum Principes non citaui, ideò Licetus in generali citat, & nullum in particulari: quia non habet conſuetudinem legendi ſcholaſticos Theologos. Quilibet, quantumuis ignorans poteſt citare in communi Patres poſitiuos, & ſcholaſticos; ſed citare in particulari loca, laborioſi Lectoris eſt.

Bald. Nimis deprimis Liceti Termaximi, ſcriptoris diligentiam.

Matth. Non ego, ſed res ipſa declarat, an verè, an falsò dicam.

Obſeruatio Quinquageſimaquinta.

Matt. QVid tibi videtur, clariſſime Balde, de vocibus illis *Purus, putus*: crebrò iteratis in hac epiſtola, & de vocabulo *Summates*?

Bald. Quid? niſi eſſe ſelectas, & elegantes?

Matth. Melchior Cano de locis Theologicis lib. 5. cap. 361. indignè

tulit, ſi requirantur voces à Lenone ad res ſacras enucleandas. Nũc autem in comœdia Plauti, cuius inſcriptio *Pſeudolus*, Leno Balio ad ſycophantam profert hæc verba, *purus putus*. Ad meretricem *ſummatum* vocabulum *ſummates*. Itaque Lenonia verba Licetus miſcet in ſacris myſterijs.

Bald. An non licet à Latinæ linguæ authoribus dictiones, & orationes promere?

Matth. Licet, ſed delectus eſt habendus: vt à nobilibus, & nobilium alumnis ſelectiora vocabula promantur: non à ſordidis, & lenonibus impuris: nam & boni ſcriptores (qualis Plautus) *decorum* ſeruantes, alia alijs perſonis verba appropriant.

Obſeruatio Quinquageſimaſexta.

Matth. Nota illa verba, *me arbitrum inter inſignes theologos*. tu in tua epiſtola dixiſti Licetum eſſe *arbitrum omnium ſcientiarum*; ipſe ſe *arbitrum* ſtatuit etiam inter theologos, & in re purè theologica. Sed qualis eſt?

Primò ait, ſe purum philoſophum ac medicum.

Secundò, ſe non profeſſione Theologum lin. 30.

Bald. Sed perfectione Theologum Termaximum.

Matth. Tertiò pag. 14. lin. 5. nec Theologum.

Quartò, prorſus infantem in rebus theologicis, atque vix theologicum nectar lactẽtem. Negat ſe Theologum profeſſione, diſcipulatu: affirmat ſe purum philoſophum; non enim dignatur confiteri, ſe didiciſſe theologiam, aut doctoratum theologicum habere ad docendos theologiæ diſcipulos. Sed ſubdit pag. 14. lin. 12. "*Ex quo de ſacris Dei myſterijs à pleriſque viris theologis interpellatus ſum*; Doctorem theologorum ſe dici vult, quem theologi viri conſulant. Itaque Apoſtolis præſtantior eſt. Illi triennio fuere diſcipuli in theologia. Hinc à Chriſto doctores facti ſunt Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes*. Sed Licetus non vult eſſe diſcipulus in theologia, non doctor, non profeſſor: ſed quaſi alter Deus à ſe ſapiens, doctor doctorum theologiæ conſulentium ſe eſt. Hinc argumentor.

Aut verè eſt purus philoſophus, & nihil theologiæ attingit, aut falsò hæc dicit. Si falsò dicit, non eſt dignus fide, qui nos fallit. Si verè, nimis audet; dicente Sancto Hieronymo. "Quod medicorum eſt promittunt medici, tractant fabrilia fabri, Chriſti Domini priuilegium eſt ſcire litteras theologicas, & ab hominibus non diſcere. Sanctus Auguſtinus in prologo librorum de doctrina Chriſtiana inquit. "Imò verò, & quod per hominem diſcendum eſt, ſine ſuperbia diſcat: & per quem docetur alius, ſine inuidia tradat, quod accepit. Neque tentemus eum, cui credidimus, ne talibus inimici verſutijs,

& per-

& peruerſitate decepti ad ipſum quoque euangelium audiendum, atque diſcendum nolimus ire in eccleſias, aut codicem legere, aut legentem, prædicantemque hominem audire, & expectemus rapi vſque in tertium cęlum, ſiue in corpore, ſiue extra corpus, ſicut dixit Apoſtolus, & ibi audire ineffabilia verba, &c. Caueamus tales tentationes ſuperbiſſimas, & periculoſiſſimas; magiſque cogitemus, & ipſum Apoſtolum Paulum licet diuina, & cæleſti voce proſtratum, & inſtructum, ad hominem tamen miſſum eſſe.,, & reliqua ibi ſolidiſſimè, & ſaluberrimè dicta.

Bald. Si Termaximus dicit ſe purum philoſophum, & ideò non theologum, vel diſcipulum, vel doctorem: hoc dicit præ humilitate. Nam in rei veritate eſt maximus, imò Termaximus theologus.

Matth. Sanctus Auguſtinus in libro de natura & gratia aſſerit humilitatem collocandam eſſe in parte veritatis, non in parte falſitatis. Erit ergo vel vera ignorantia rerum theologicarum, vel falſa & ſimulata humilitas. Cap. 34.

Obſeruatio Quinquageſimaſeptima.

Bald. Quæ ſequuntur non legam ſed in ſumma colligam. In his Termaximus ſe Moſen dicit, doctores orthodoxos ſuos Aarones: & ex conſequenti te Pharaonem oppreſſorem populi fidelis.

Se Dauid adoleſcentem, te Goliat gigantem, Dei inimicum; ſe propugnatorem veritatis, te impugnatorem veritatis vincendum, vinciendum, victumque ad tentoria veritatis ducendum, vt captiuum.

Se Angelum Michaelem pro Iſraele pugnantem, te Angelum Perſarum reſiſtentem.

Se Chriſtianum bonum, qui lucrari velit te perditum. Hæc ſunt aduerſum te atrociſſimarum plena iniuriarum.

Matth. Satis benè de ſe, & nimis malè de me loquitur: poſſem & ego hæc eadem in Licetum reflectere.

Bald. Ne feceris. iniuriæ enim iniurias in infinitum progenerant. Scis enim Licetum Termaximè fertilem eſſe etiam in hac parte.

Matth. Noui & omnes cognoſcunt Liceti vitam conſumi in alijs impugnandis, lege ſcripta contra

Libertum Fromondum.
Antonium Sanctacrucium protomedicum Regis Hiſpaniæ.
Scipionem Claramontium, Lectorem publicum Piſis.
Stephanum de Caſtro Lectorem publicum Piſis.
Galileum mathematicum publicum Patauij.
Camillum Glorioſum mathematicum publicum Patauij.
Giliolum primarium philoſophum Patauij.
Gaſsendum.

Blancanum . Et alios multos.

Denique Patrem Campanium ex ordine Dominicano doctiſſimum, & elegantiſsimum ſacræ Scripturæ explicatorem in hac vniuerſitate aggreſſus eſt; me quoque, & alio in libro, & in iſto de ſeptimo quæſitis denigrare tentat. Quam autem conuitijs, & ignominijs ſit fertilis Licetus; immanis congeries contumeliarum contra Camillum Glorioſum, & contra Stephanum à Caſtro & contra me demõſtrat: non enim eſt poſsibile illa patienter legere.

Quò circa quemadmodum per Dei gratiam hucuſque, ita & in poſterum captiuabo intellectum in obſequium Chriſti, & obtemperabo iuſſioni diuinæ dicenti: *orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.*

Bald. Hoc optimum fuerit. Vis igitur aliquid notare in propoſitionibus iſtius capituli, omiſſo proponente?

Matth. Maximè tria.

Primum, quòd Licetus ſibi nomen Moyſis acceperit, nomen Dauidis, nomen Archangeli Michaelis. Nihil de meo dicam, ſed ex Feuardentio ſuper librum 1. Sancti Irenæi cap. 5. car. 62. colum. 2. tranſcribam. "Hoc autem, quaſi hæreditario iure ab omni æuo poſsident hæretici, vt ſpecioſis titulis ſe, ſuoſque cętus adornent. Symon ſe *virtutem Dei magnam* affirmabat: Montanus *Paracletum Eccleſiæ* promiſſum: Noetus in eam dementiam dilatus eſt (ait Epiphanius) vt ſe *Moſem* diceret, & fratrem ſuum Aaronem. Manichæis frequenter exprobrat Auguſtinus, quòd nomen Manetis eorum Patriarchæ, vt apud græcos ſignificatio inſaniæ vitaretur, geminata litera N. Mannichæum quaſi Manna fundẽtem appellauerunt. *Magna* quoque impudentia Nonatiani ſe ſe Catharos, ideſt puros, & mundos vocabant, ait, in eos ſcribens Epiphanius. Noſtro vero ſæculo & hanc auorum ſuorum philautiam pedibus, & manibus ſequuntur hæretici, dum ſuos hæreſiarchas Apoſtolos, Paulos, & Elias, mundique huius ſoles, & luminaria: & viciſſim illi Euangelicos, reformatos, ſantificatos ex vtero (& quid non) quos miſerè dementant, vocare non erubeſcunt."

lxxi. 7 Secundum, quòd Licetus ſeipſum *Moſem* patres orthodoxos Aarones ſuos nuncupat. *Moſes* à Deo conſtitutus fuit Deus Pharaonis & Aaron fuit *Moſi* aſsignatus vt propheta. *Moſes* vt Deus oracula dictabat Aaroni, Aaron promulgabat, non, quæ ſibi placebant, ſed quæ *Moſes* præcipiebat: Hoc nimis ſæpè facit noſter *Moſes* à ſe conſtitutus Deus, & ſibi deligens, & prophetas Doctores orthodoxos. Nec enim ab illis diſcere, ſed docere vult ſuos Aarones, & cogere, vt dicant, quod ipſe *Moſes* inſpirat. In 1. pag. Sanctum Thomam Doctorem orthodoxum dicere compellit, quòd Deus creat ſub ratione Trinitatis.

In

Vide pag.

In 2.pag. Sanctum Dionyſium Areopagitam dicere, quòd Angeli ſunt ſtellæ & aſtra.

In iſto cap. pag.15. lin.7. Sancto Athanaſio inſpirat, vt dicat in ſymbolo, Filium non eſſe creatum, ſed adiungat *propriè*.

In pag.33. & 65. & pag.180. 203. D.Thomam confutat, quò dictum, *ante ſæcula creata ſum*, expoſuerit de Filio in diuinitate. Ad pag. 164. quòd aſſeruerit creationem propriè eſſe compoſitorum, & ſubſiſtentium: cogitque dicere eſſe etiam accidentium, & formarum.

In pag.75. Patres Nicenos in ſymbolo adigit dicere *factorem cæli, & terræ*, quod non dixerunt. Alibi dictat eiſdem patribus, quòd Filius non ſit creatus: illi verò hoc non dixerunt. Patres Epheſini concilij vt Aarones, proferre iubet ſub anathemate, ne diceretur Beata Virgo Mater Chriſti: quod dictum in actis concilij non reperitur? Sic frequenter Aarones ſuos docet ſpirare oracula Moſaica: non diſcit ab eis oracula catholica, quod vtinam faceret.

Licet. pag.16.

Licet. pag.134. & 135.

Obſeruatio Quinquageſimaoctaua.

Matth. TErtium poſtremò in pag.14. lin.30. Liceti verba ſunt "Inermem vincere facilè fuerit, victumque triplici funiculo paſſiuæ nempè generationis, & actiuarum ſpirationis, atque creationis propriè Filio Dei congruentium omnino vincire." *Propriè conuenientium*. quid ſibi vult hoc aduerbium *propriè?* quomodo intelligitur Filius habere propriè iſta tria?

An exponemus cum Scoto? Sanctus Hieronymus epiſtola 88. docuit Spiritum ſanctum *propriè* à patre per Filium procedere. Reſpondet Scotus in 1.d.12.q.2. Sic dico de Hieronymo. "*Quòd proprietarius tantùm dicitur ille, qui in habendo rem nullo modo dependet ab alio. Vſuarius autem, qui in vtendo re, dependet ab alio, non eſt propriè proprietarius. Pater igitur, quia vim ſpiratiuam habet à ſe: rectè dicitur propriè ſpirare: Filius non ſic propriè, ſcilicet à ſe ſpirat: Licet propriè, ideſt non impropriè, vel imperfectè ſpiret.* "Si Licetus intelligat per propriè, *à ſe*: tres hæreſes aſſerit, ideſt Filius habet generationem paſſiuam à ſe, 2. ſpirationem actiuam à ſe, 3. creationem actiuam à ſe: nihil enim Filius habet à ſe, ſed à Patre.

Propriè fortaſsè dicitur contra *communiter*, vt Licetus ex Porphyrio dicit pag.36. lin.13. & *propriè* habere, erit habere non *communiter* cum alio. Quo pacto Ariſtoteles in 1.topicorum cap.4. proprium dicit eſſe, quod ſoli ineſt. Si Licetus in hoc ſenſu dicit propriè ineſſe filio tres illas conditiones, quia ſoli Filio conueniunt,

& non

& non ſunt communes Patri, vel Spiritui ſancto; ruſus tres hæreſes progignit. 1. Pater non ſpirat Spiritum ſanctum. 2. Pater non creat res eſſentialiter diuerſas. Spiritus ſanctus non creat. Sic enim ſpirare propriè conueniet Filio ſoli, & non communiter cum Patre. Creare conuenit Filio ſoli & propriè, ideſt, non communiter cum Patre, & Spiritu ſancto.

Propriè tertiò poteſt diſtingui contra impropriè: atque in hoc ſenſu non impropriè conueniunt Filio generatio paſsiua, ſpiratio actiua, & creatio actiua. Quia verò in habendis iſtis actibus ratio proprietatis attribuitur Filio in comparatione ad perſonas diuinas (nam hi actus ſolis diuinis perſonis conuenire poſſunt) tunc ſequeretur, quòd Pater impropriè ſpirat: impropriè creat: atque Spiritus ſanctus impropriè creat: Et rurſus tres hæreſes inuoluuntur. Sanè ſi hæc tria prædicata eadem, & eodem modo, ideſt propriè, non impropriè conueniunt Filio: aut hæc dictio *propriè* nihil operatur, aut ponit aliquod diſcrimen inter Filium & alias perſonas, quibus conueniunt aliqua ex eiſdem prædicatis.

Sed quanto cum diſcrimine tria hæc prædicata in diuinis perſonis exiſtant; facilè patet. Nam generatio paſſiua conuenit propriè filio: at generatio paſſiua eadem, nec propriè, nec impropriè conuenit Patri, vel Spiritui ſancto.

Spiratio actiua nec propriè, nec impropriè Spiritui ſancto conuenit. Sed eadem ſpiratio actiua ex Liceto conuenit filio propriè: at conuenit etiam Patri; quid dicemus propriè, an impropriè? Licetus nõ declarat. Sed ſi Pater excluditur à conſortio in ſpiratione actiua, hæreſis eſt Eunomij. Si excluditur à modo proprietatis, error eſt, nam & ipſe Pater non impropriè ſpirat.

Creatio actiua nulli perſonæ diuinæ conuenit impropriè, ſed vna & eadem creatio actiua indiuiſè, & æquè propriè ſeruato ordine originis conuenit tribus. Cum tanta ſit diuerſitas in iſtis tribus prædicatis, non debuit Licetus vocabulum æquiuocum *propriè* apponendo rem totam obſcurare.

Bald. Puto à Ter maximo in iſta pag. 14. lin. penultima ſumi vocabulum *propriè* ſicuti accipitur in proxima pag. 15. lin. 7. cum dicitur filius non creatus *propriè*.

Matth. Si ita eſt, vocabulum *propriè* vſurpatum eſt contra communiter: & incidit ſenſus paulò ante reiectus, in quo ſenſu tres hæreſes pullulant.

Obſeruatio Quinquageſimanona.

Matt. Conſideremus, quod proximè citaſti ex Liceto in pag. 15. lin. 5. "in obſequium Chriſti. Formaliterque Filij Dei ab æterno geniti, non creati propriè."

Cita-

Citatur in margine Athanaſius in ſymbolo. Dic, obſecro, quomodo legis de Filio in ſymbolo Athanaſij.

Bal. Sic lego. Filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus.

Matth. Igitur falſa citatio eſt in eo ipſo, quod quæritur; quæritur propriè ne, an non, accipiatur ab Athanaſio vox creatum?

Bald. Omnino in ſymbolo Vox *propriè* non eſt: ſed ex intentione Termaximi debet intelligi.

Matth. Ergo propria intentio Liceti erit ſymbolum Athanaſij, & iuxta propriam intentionem addere, minuere, inuertere poterit quiſque ſymbolum Athanaſij, atque proprias intentiones ſub ſymboli authoritate proferre.

Bald. Quid igitur propriè, an impropriè accipit in ſymbolo Athanaſius hoc vocabulum *creatus*?

Matth. Quando probatio eſt afferenda, interrogatio non eſt opportuna: Sanctus Athanaſius in epiſtola de decretis Nicenæ Synodi poſt Sanctum Dionyſium Pontificem Romanum docet, quòd creauit eſt vox æquiuoca, & quando attribuitur Filio Dei non ſignificat *fecit*, ſed *præfecit*. Quare duo ſunt ſignificata, alterum, quòd creatum ſit eſſe factum: & hoc modo accipiendo vocabulum *creatus*, Filius nõ eſt factus, nec creatus; alterum, quòd creatum ſit eſſe præfectum, & in hoc ſenſu, ab Athanaſio, & Sancto Dionyſio Papa cum concilio Romano decernitur, quòd Pater creauit filium. Decretũ Papæ est in obſeru. 61

In ſermone tertio cõtra Arianos [a] Athanaſius docet, quod omnis creatura factitia dicitur *condi*, & *creari*: ſed non omne, quod dicitur *condi*, & *creari* eſt res factitia, vel creatura ſic dicta: eo quòd Filius dicatur *condi*, & *creari*, nec tamen Filius eſt factus vel factitium, vel creatura factitia. [a] Pag. 416. A. & ſeq.

Si attendamus ad diuinam ſcripturam, Sanctus Dionyſius Papa declarauit duas ſcripturas cum concilio Romano, vnam ex prouerbijs 8. *Dominus creauit me*, quod *creauit* non eſt *fecit*; Alteram ex Deuter. 32. *Qui fecit te, & creauit te*, quòd etiam hic creauit non eſt fecit. Si igitur ex vſu iſtarum ſcripturarum, ex decreto Pontificis & concilij, ex approbatione Athanaſij velimus accipere proprietatem vocabuli *creare*, & *creatus*, creauit propriè non eſt fecit, ſed præfecit: ſi proprietatem accipiamus ex vſu diſputantium, præſertim contra Arium: tũc creauit propriè eſt *fecit ex nihilo*, quam rem ſæpè repetere cogimur, tùm ad præcauendas inſidias Sophiſtarum: tùm ad iuuandam lectoris memoriam.

Bald. Vis tranſeamus ad aliud capitulum.

Matt. Etiam. Sed prius reſponde, an in iſto capite 2. Licetus fecerit aliquem ſyllogiſmum in forma?

Bald. Nullum fecit.

Matt. Dixit ne Filium Dei eſſe Deum, vel Deum verũ, vel natura Deum?

Bald. Non dixit.

Obſer-

Obſeruatio Sexageſima.

Bald. IN tertio capite multa dicit ex doctrinæ redundantia Doctor Termaximus, ſed quæ te non reſpiciant. in pag. 16. lin. 9. ſic ſcribit. "In hac noſtra contemplatione nouam opinionem de creatione Filij Dei ad intra coacti ſumus expendere partim ante noſtræ ſententiæ promulgationem, partim poſt ipſam iam explicatam.„

Matth. Si hæc opinio, vt ait Licetus, eſt noua, iam damnat ſemetipſum nouitatis. quoniam in cap. vltimo ſuæ epiſtolæ ad pag. 102. concedit tribus concluſionibus ex Auguſtino, Nazianzeno, Euariſto, *Filium Dei eſſe creatum ad intra.* Rem tàm antiquam damnat nouitatis, & ſe ipſum quoque.

Bald. Reſpondebit Termaximus vir, ſe concedere Filium Dei eſſe creatum ad intra. Sed creatione non accepta propriè.

Matth. In eodem luto inuoluitur; Ad nomen diſputat, propriè, vel impropriè acceptum, ſed ad placitum proprium. Ad rem ſignificatam nil dicit, aut dicere poteſt;

Repeto duas propoſitiones meas, primam: Filius Dei non eſt factus ex nihilo: Experiemur, ſi Licetus contra iſtam concluſionem aliquid proferet. Secundam, Filius Dei eſt productus ex aliquo principio præſuppoſito, hoc eſt ex ſubſtantia Patris interna in Filio: Videbimus quid contra iſtam aſſertionem afferat Licetus. Negat eam tamquam dogma Arij, ſed iſtam propoſitionem negant Iudæi & Saballiani: non Chriſtiani, & Catholici. perge legendo.

Bald. "Nam rationes, quibus opinio noua præcipuè fulcitur, impediunt nobis iter ad veritatem catholicam, hucuſque cultam: Abſque eo, quòd vllam nobis facem afferant ad ipſius intuitionem. Et eam doctrinam pariunt, quam omnino falſam tollere.

Ex Liceto.

Matth. Iſta, quæ ſine probatione dicuntur, ſpectant ad maledicentiam. Sunt igitur ſimpliciter neganda tanquam hominis, qui multa dicit, & nihil probat. Carmina, quæ cantillat in iſto capite Licetus, omittamus. Expendamus, quid contra me afferat.

Obſeruatio Sexageſimaprima.

Bald. PAg. 16. lin. penultima Liceti ſcribitur. "Profectò primum illud animaduertere lubet, iſtum cl. virum de productione Filij Dei ad intra, non ſemper eamdem profiteri doctrinam. Etenim ſua in epitome Theologica ſententiam communem habens cum orthodoxis, Athanaſio, concilio Niceno, cæteriſque Sanctis Patribus aſſerit, æterni Filij productionē eſſe generationē, nō creationē; Filiū Dei ad intra genitū eſſe nō creatū: imò ne cū hæreticis in ſermone communice-

nicemus, dicendum non eſſe Chriſtum creaturam; „quid hæres tacitus?

Matth. Hæreo propter *citationem patentiſſimè* falſam. Concilium Nicenum proſtat in 1.tom. conciliorum ex impreſſione Veneta anni 1585. car.532. Illic adeſt ſymbolum Nicenum, in quo veritas catholica aſſeritur: & anathematiſmus, in quo falſitas hæretica Arij damnatur. Sed neutro in loco reperitur vox *creatum* affirmata, vel negata de Filio. Si Licetus poſſet erubeſcere, fortè falſi conuictus erubeſceret. Prima aſſertio ex Concil. Nicen.

Sic Sanctus Epiphanius in Ancorato ad finem,ſymbolum Nicenũ cum additionibus factis in ſecundo concilio Generali deſcribit,cum anathematiſmo Niceno: mox declarat, & ſymbolum, & anathematiſmum. Sed neque in referendo, neque in declarando ſcribit vocem *creatum*. Secunda ex Conſtãtinop.

In 1.tom. Conciliorum car.954. Concilium Alexandrinum vt præparatorium ad Epheſinum adducitur, & in ipſo Alexandtino recitatur ſymbolum Nicenum cum anathematiſmo: ſed ſine voce *creatum*. In concilio ipſo Epheſino tom.2. cap.3. car.988. tom.2. cap.5. car.1000. tom.2. cap.22. car.1026. quibus locis ſingulis,ſed ſimul ter, legitur anathematiſmus Nicenus cum ſymbolo, ſed ſine voce *creatum*. 3.Syro.

Quarta ſynodus Romæ impreſſa car.114.in tom.2.conciliorum.Quinta ſynodus Romæ item impreſſa. car.595.tom.item 2. Quarta & quinta Synodus.

Concilium Lateranenſe ſub Martino 1. in 3.tom. concil. car.140. Secretario quarto, ex impreſſione Veneta habet anathematiſmum, ſine vocabulo *creatum*. Sex conciliorum generalium atteſtatio eſt pluſquam ſatis, ad oſtendendum verè dici à me in libro defenſionis veſtigationum car.249. concilium Nicenum nec affirmauiſſe, nec negauiſſe in determinatione de fide vocem *creatum*.

Idipſum legatur apud S.Hilarium de ſynodis car.95.

S. Baſilium epiſt.78. car.709.

S. Ambroſium de fide ad Gratian. lib.1. cap.9.

Nazianzen. de fide car.135. col.1.

Ruffin. in hiſtor. lib.1. cap.6.

Euſebium Ceſarienſ. in concil. Niceno car.465. impreſſ. Venetæ.

Et S. Epiphanium ſupra citatum in fine Ancorati, & in hæreſ.72.colum.704. Hi omnes fidem, Nicenam recitant, ſed nullus in anathematiſmo ſcriptam habet vocem *creatum*.

His addo duos, vnum ex antiquis, alterum ex modernis. Ex antiquis eſt S.Cyrillus Alexand. tom.2. Epheſini in apendice ad car. 1037. colum.1. in 1.tom. concil. Qui recitat, & exponit ſymbolum cum anathematiſmo, nec habet vocem *creatum*. Ex modernis eſt Alphonſ. de Caſtro aduerſus hæreſ.tit. Chriſtus hæreſ.1. car.423. Qui ſymbolum, & anathematiſmum Nicenum refert ſine

T voce

voce *Creatum*. Contra tantam teſtium multitudinem audet Licetus dicere à concilio Niceno eſſe dictum, quòd generatio Filij non ſit creatio, quòd Filius ſit genitus, non creatus.

Bald. Sed Symbolum Nicenum ait de Filio *genitum, non factum*: at creatum, eſſe eſt eſſe factum.

Matth. Hic alius error eſt, confundens hæc vocabula *facere* & *creare*. de qua re infra. Nunc ſufficiant Sanctus Dionyſius, & Sanctus Athanaſius dicentes, quòd *creauit*, non eſt *fecit*: quòd *creare* & *facere* differunt; non ergo ſunt idem, negare *factum*, & negare *creatum*.

Quia verò ſæpius hoc decreto Sancti Dionyſij Papæ innitar; & ad rem præſentem vtile eſt pro conuincenda illa falſa propoſitione Liceti, quòd concilium Nicenum decreuerit, *Filium non eſſe creatum*. Ideò ex Diuo Athanaſio de decretis Nicenæ Synodi in 2. tom. Athanaſij ex editione Pariſienſi ſub anno 1627. ad pag. 276. profero decretum S. Dionyſij Papæ in concilio Romano editum cõtra Sabellium. Verba Papæ ſunt. "*Cognoſcentes, quæ abſurditates naſcantur ex eo, ſi Filius* opus *aliquod, & factitium quiddam nominetur, quas minimè videntur animaduertere, qui hac opinione ducuntur; ac propterea certo quodam modo à veritate aberrant, qui aliter accipiunt has voces, Dominus creauit me in initio viarum ſuarum, quàm ſacra, & prophetica Scripturæ intelligant. Non enim ſimplex eſt, & vna ſignificatio, vt ſcitis, huius verbi ἔκτισε. hic enim ἔκτισε intelligendum non præfecit, ſed præfecit operibus ſuis, ſed tamen per Filium conficiendis: neutiquam enim illud ἔκτισε ita accipias, tamquam ſi dixiſſet* fecit me. *differunt enim facere, & κτίσαι. Hinc illud. Nonne ipſe hic Pater tuus poſſedit te, & fecit te, & creauit te.* „In qua concilij authoritate tria ſunt obſeruanda.

1 *Creare* non eſſe vocabulum ſimplex, ſed habere multas ſignificationes: vnde conſequitur, quòd creare eſt vox equiuoca.

2 *Creauit* non eſt *fecit*, in duabus ſcripturis Prouerb. 8. Deuteron. 32. Quia facere, & creare differunt. quam differentiam inter creare, & facere notauerat longè prius
S. Iuſtinus in oratione ad gentes car. 66. tom. 1. & longè poſterius D. Auguſtinus de moribus Manichæorum cap. 7. & lib. 1. contra aduerſarium legis cap. 23.

3 Scriptura Dominus *creauit me* de Filio, intelligitur, quem *Deus creauit*, id eſt præfecit operibus ſuis, per Filium conficiendis: conuerte actiuum in paſſiuum, hoc pacto. Deus creauit Filium, non fecit, ſed præfecit: ergo Filius creatus eſt à Deo, non factus, ſed præfectus.

Si ergo, vt Licetus ait, Concilium Nicenum determinauit de fide illam negatiuam: Filius non eſt creatus; igitur concilium Nicenum contradixit affirmatiuæ, *Filius eſt creatus*: & damnauit ſummum Pontificem erroris in fide, damnauit concilium Romanum Pontifici con-

coniunctum, damnuit Romanam Eccleſiam tanquam ſubmerſam eo tempore in hæreſi Ariana: quæ ſunt abſurdiſſima.

Bald. Quid ni? Concilium generale poteſt corrigere concilia prouincialia, prælatos ſingulos, eccleſias particulares. Concilium Nicenum eſt generale, concilium Romanum non eſt.

Matth. In ſumma concedis cum Liceto, Pontificem cum Concilio iunctum errauiſſe in fidei dogmate, & in expoſitione ſcripturæ, quæ eſt materia de fide.

Bald. Id ſequi, non negabit Termaximus. quicunque enim contradicit concilio generali in decretis de fide, damnatur erroris in fide. Sed iſtæ duæ enuntiationes, *Filius eſt creatus*, *Filius non eſt creatus*, ſunt contradictoriæ: & concilium Nicenũ generale decreuit de fide negatiuã, *Filius non eſt creatus*; ergo concilium Nicenũ generale damnauit erroris in fide Pontificem Romanum, concilium Romanũ, Eccleſiam Romanam, docẽtes de fide contradictoriam affirmatiuam, *Filius eſt creatus*. Nec enim duo contradictoria vera eſſe poſſunt, etiam per diuinam omnipotentiam; at illæ duæ enuntiationes, *Filius eſt creatus*, *Filius non eſt creatus*, ſunt contradictoriæ ſingulares, in quibus contradictorijs ſingularibus maximè ſpectatur vis contradictionis, ex 1. de interpretatione cap. 5; quare negatiua eſt catholica, & de fide ex cõcilio Niceno: affirmatiua Dionyſij Romani, concilij Romani, Romanæ Eccleſiæ eſt hæretica, & contra fidem. Iuſtiſſimè igitur Licetus damnat, vt hæreticam tuam affirmatiuam, *Filius eſt creatus*, quam voluiſti tenere cum Romano Pontifice, Romana Eccleſia, & Romano Concilio. Licet. pag. 16. Licet. Pag. 134 & 135.

Matth. Iuxta meæ regulæ præſcriptum in omnibus meis ſcriptis ſubſcribo, ſic. *ſub pedibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ*. Ita præſcribit Sanctus Pater Franciſcus in fine ſuæ regulæ, alloquens ſuos filios, & fratres in Domino. *Vt ſemper ſubditi, & ſubiecti pedibus eiuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ*. Si Sancta Romana Eccleſia, & eius Caput damnantur in fide, quid facerem? damnabor cum eis.

At quam magnum gaudium, quas triumphales voces parauit Licetus Lutheranis, & Caluiniſtis? Iam non timebunt iudicem controuerſiarũ de fide, Summum Pontificem: non concilia, non Eccleſiam Romanam. Non mendicabunt exempla ad oſtendendum, quod Papa per ſe ſe poſſit errare in decreto de fide, in declaratione ſcripturæ; vel quod Concilium per ſe ſe poteſt errare; quoniam ex iſta doctrina Liceti Concilium, (non per legatos à Pontifice cõgregatum, directũ, confirmatum, ſed à Pontifice per ſemetipſum perſonaliter præſidente rectũ errauerit in fide, & Arianam hæreſim illam, *Filius Dei eſt creatus à Deo*, docuerit toti Eccleſiæ eſſe credendam. O abſurditates. ò monſtra Licetica; ad proprium errorem tuendum concedit antecedens iſtud, *Concilium Nicenum damnauit iſtam propoſitionem, filius eſt creatus*. qui concedit antecedens, neceſſariò debet

T 2 con-

concedere conſequens triplex; 1. Pontifex Romanus per ſe ipſum in decreto de fide errauit; 2. Concilium Romanum à Pontifice confirmatum errauit; 3. Eccleſia Romana (quæ nulla hæreſi vnquam fuit maculata) errauit in fide, & hæreſis Arianæ mancipium fuit. Heu ſcelera, heu blaſphemiæ. Chriſtus Matth. 16. dixit Petro. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* „Lucæ 22. "*Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.* „Iam Chriſti promiſſio fideliſſima infida eſt, ſi Liceti antecedens eſt verum: Fides Petri defecit, fides Petri infirmauit fratres, Eccleſia Petri ſubiecta eſt portis inferni. At hæc impoſſibilia ſunt, ergò non eſt poſſibile credere, quòd concilium Nicenum contradixerit Romanis, Pontifici, Concilio, Eccleſiæ.

Bald. Planè terruiſti me.

Matth. Meritò terrebuntur omnes fideles. Sublatis enim illis tribus Fidei catholicæ fundamentis, Chriſtiana Fides & Chriſtiana Eccleſia corruit. Sed audi, quid per Iſaiam Prophetam æternus Pater cap. 59. dicat ad Filium incarnatum, & redemptorem. "Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo & de ore ſeminis tui vſque in ſempiternum. „

Bald. Coniector tempore concilij Niceni adhuc fuiſſe viuos aliquos ex ijs, qui cum Dionyſio Alexandrino, & Dionyſio Romano vixerant. Hi autem neutiquam permiſiſſent in concilio Niceno ſub Silueſtro determinari aliquid contra concilium Romanum ſub Dionyſio.

Matth. Sic exiſtimo, Alexandrum Patriarcham Alexandrinum, cuius rogatu coactum eſt concilium Nicenum, vixiſſe in minoribus officijs ſub Dionyſio Alexandrino. Obijt Alexander valdè ſenex anno poſt concilium Nicenum abſolutum: cuius gloria ſingularis in æternum manet, quòd primò Arium, & Arianam hæreſim in concilio Alexandrino damnauerit: mox in concilio Niceno generali damnari curauerit.

Illud adiungo, quòd Gelaſius Pontifex in cap. *Maiores noſtri* 24. quæſt. 1. decernit: ſemel in concilio definitum contra aliquam hæreſim, non eſſe amplius retractandum. Hoc probat, quia Sabellius à ſynodo, damnatus eſt, nec poſtea illius cauſa eſt retractata. Synodus autem in qua damnatus eſt Sabellius, eſt iſta Romana ſub Sancto Dionyſio celebrata. Quare ſi adducitur in dubium decretum Sancti Dionyſij, & concilij Romani, quaſi contineant errorem in fide & in declaratione ſcripturæ; profectò & damnatio Sabellij in dubium reuocabitur: quod maximè fauet Iudaiſmo neganti productionem in Deo ad intra. neganti in Deo eſſe Filium diſtinctum à patre. (Baron. an. 263.)

Bald. Quid ex hoc argumento eſt concludendum.

Matth. Id quod veritas eſt. In concilio Niceno non fuiſſe decretum contra-

tradictorium concilio Romano: in Concilio Romano decretum eſt Prouerb.8. *Filium dici creatum, non factum*: ſed quoniam Arius duobus argumentis nitebatur, vnum habet pro medio *creatum*, aliud habet *genitum*. Primum tale eſt: omne creatum eſt factum ex nihilo, Filius eſt creatus Prouerb.8. ergo Filius eſt factus ex nihilo. Circa hoc argumentum concilium Nicenum non fecit aliquod decretum nouum: quoniam in concilio Romano ante paucos annos erat in controuerſia examinatum, & decretum, quòd *creauit* non eſt *fecit*, ergo & quòd Filius eſt creatus, non factus. In hoc puto iuxta traditiones Patrum damnatum eſſe Arium, vti notat Bellarminus. li.4. de Verbo Dei. cap. 6. Et Gordonus controu. 2. cap. penult. Neque in hoc opus fuit nouum decretum facere.

Secundum Arij tale erat: omne genitum eſt factum. Filius Dei eſt genitus Ioan. 1. & Prouerb.8. Ergo Filius Dei eſt factus. Maiorem probabat afferendo duodecim modos generationis vt notat S. Bonauentura 1. d. 13. dub. 8. Concilium Nicenum contra hunc errorem Arij nouum, poſuit in ſymbolo nouum decretum dicens, Filium eſse *genitum non factum*: Hanc exiſtimo eſſe rationem, ob quam in concilio Niceno de voce *creatum* nulla mentio eſt habita. Si quis meliorem rationem inuenerit, communicare dignetur in publicum Eccleſiæ bonum.

Bald. Satis videretur excuſſa hæc difficultas, niſi aliud concilium te promiſiſſes allaturum.

Matth. Concilium Orientale apud Sanctum Hilarium in libro de Synodis Canone 5. iubet ſub pęna anathematis, vt intelligamus de Filio duas ſcripturas ex Prouerb.8. *Creauit me, & genuit me*.

Tunc argumentor. Si in concilio Niceno decretum fuiſſet, quòd Filius non eſt creatus, & quòd Deus non creauit Filium: concilium orientale paucis poſt annis congregatum, non decreuiſſet intelligendum eſſe Filio, *Dominus creauit me*. Neque Hilarius tacuiſſet, ſi concilium orientale contra Nicenum decreuiſſet: non ergo in concilio Niceno adeſt vox *creatum* negata de Filio; ſed Licetus hoc fingit, vt verum, quod eſt patentiſſimè falſum.

Id. Audiui tamen quoſdam in anathematiſmo Niceno legere vocem *creatum*.

Matth. Ita eſt; & ex vno errante plures ſunt decepti. Sanctus Athanaſius ad Imperatorem Iouianum ſcripſit epiſtolam, in qua ſymbolum Nicenum, & anathematiſmus eſt. In anathematiſmo aliquis ſciolus induxit vocem *creatum*: ſed errauit ponens vocem quarto loco, quæ, ſi ſcitè fallere voluiſſet, ponenda erat ſecundo loco. Deus autem ita permiſit errorem, vt cognoſceretur non eſſe Athanaſij viri, alias prudentiſſimi. Hanc rem excutere neceſse eſt,

quod fieri non poteſt, niſi commemorando errores Arij, & eorum damnationem in anathematiſmo Niceno. Hæc narratio errorum Arij perutilis eſt futura ad oſtendendum, quàm grauiter errauerit Licetus in diſcernenda hæreſi à fide catholica.

Errores Arij.

NVſquam melius errores Arij deprehendemus, quàm ex epiſtola Alexandri Alexandriæ Epiſcopi, in qua epiſtola ad omnes Epiſcopos miſſa, ponuntur errores Arij, & damnatio Arij. Epiſtola eſt in 1. tom. conciliorum impreſſionis Venetæ pag. 500. &c. Ex qua iſta tranſcribo. "Quæ nam verò iſti contra Scripturas excogitarint, temereque effutiuerint, ſic accipite: &c.

Error 1. Contra æternitatem.

1 Deum non ſemper Patrem fuiſſe, ſed tempus aliquando extitiſſe, cum Deus non eſſet Pater: non ab æterno Dei Verbum fuiſſe.

2 Sed ex nihilo ortum eſſe, nam Deum, qui eſt, eum, cum non erat, ex eo quod non eſt, procreaſſe: & propterea tempus fuiſſe aliquando cum non eſſet, creatum enim, & factum fuiſse Filium.

Error 2. cõtra Originem. Error 3. cõtra cõſubſtantialitatẽ.

3 Neque eſsentia Patri ſimilem, neque natura verum Patris ſermonem, neque veram ſapientiam eius eſse: ſed per abuſionem Verbum, & ſapientiam dici. Ipſum factum eſse proprio Dei Verbo & ſapientia, quæ in Deo eſt, per quam cum cætera omnia, tum illum ipſum fecit Deus.

Error 4. cõtra immutabilitatem.

4 Et ob eam cauſam natura ſua poſse conuerti, & mutari ſicut animantia omnia ratione vtentia.

Verbum eſse peregrinum, alienum, & ſeiunctum à ſapientia Dei.

Hos quatuor errores Arij præcipuos concilium Nicenum in anathematiſmo damnauit per ordinem in hæc verba.

Aſſerit æternitatẽ.

1 "Eos autem, qui dicunt: erat aliquando, quando non erat, & antequam naſceretur, non erat.

Originẽ.

2 Et quia ex nullis ſubſtantibus factus eſt.

Conſubſtantialitatem.

3 Aut ex alia ſubſiſtentia, vel ſubſtantia.

Immutabilitatẽ.

4 Dicunt eſſe τρεπτόν, aut conuertibilem, vel mutabilem Filium Dei, anathematizat catholica, & Apoſtolica Eccleſia. „In hoc anathematiſmo damnatur error primo loco contra æternitatem Filij. in ſecundo error contra originem, in tertio error contra conſubſtantialitatem, in quarto contra immutabilitatem; Et quamuis Alexander Epiſcopus poſt tertium errorem memorat, quòd Filius dicitur factus: tamen nihil noui adiunctum eſt, niſi quod ſpectat ad ſecundum errorem: in quo narratur Arius dixiſse, Filium eſſe factum, & creatum ex nihilo. Quare ſi concilium Nicenum voluiſset damnare vocem *creatum*, quæ ſpectat ad originem Filij, poſuiſset illam ſecundo loco, ſicut ſecundo loco poſita erat ab Alexandro. Qui

ergo

ergo intruſit in epiſtolam Athanaſij vocabulum *creauit*, non ſatis perſpexit, vbi ponenda eſſet.

Bal. Poſſes ne conijcere, à quo, & cur intruſa ſit particula *creatus*.

Matth. Poſſem, vt in additionibus ad finem.

His ita perſpectis, animaduerto eos, qui Romæ ſub Paulo Quinto Sanctæ memoriæ curauerunt concilia imprimenda: non ſatis vigilanter contuliſſe, quòd ponebant in concilio Niceno, tanquam anathematiſmum; & quod in tribus concilijs Epheſino, quarta, & quinta ſynodo; nam in iſtis ſepties anathematiſmus Nicenus eſt ſine voce *creatum*: in Niceno, ſemel eſt cum voce *creatum*. quid ergo? Sancta ſedes Apoſtolica nobis proponit duo contradictoria, ſcilicet anathematiſmum Nicenum habere, & non habere vocem *creatum*?

Conſultius videretur factum eſſe, ſi à Sancto Hilario & ſymbolum, & anathematiſmus eſſent tranſcripti: quoniam Hilarius & ante Athanaſium conſcripſit: & ex profeſſo ſynodos, & ſynodorum differentias conſcripſit circa Filium Dei. Deinde Hilarius & loco, & tempore, & oportunitate potuit verius ſcire ſymbolum, & anathematiſmum. Etenim poſt Conſtantinum magnum, Conſtantius Imperium orientis obtinuit. Sub Conſtantio Ariana peſtis in catholicos deflagrauit. Initio perſequutionis Hilarius in oriente exulabat, quo tempore nondum omnia exemplaria Nicenæ ſynodi poterant ab Arianis eſſe deſtructa; nec omnes Epiſcopi, qui in concilio Niceno adfuerant erant mortui. Potuit ergo & ex viris, & ex libris Hilarius habere ſymbolum, & anathematiſmum fideliter. Conſtantio ſucceſſit Iulianus Apoſtata, Iuliano Iouianus, ad quem epiſtola Athanaſij directa eſt. Caruiſſe autem Athanaſium exemplaribus Niceni cõcilij conſtat ex legatione, quam miſit Romam ad Papam Marcum pro habendis canonibus Nicenis. Idcirco ſi error eſt ab Athanaſio admiſſus in ponenda voce *creatus* (quod vt credam de Athanaſio, adduci non poſſum) corrigendus eſt error ex Hilario, ex actis conciliorum, ex atteſtationibus Patrum.

Interea ſupplex, & proſtratus ad pedes Sanctiſſimi Domini noſtri Innocentij X Papæ, humillimè, precor pro ſumma ipſius erga Chriſtianos vigilantia & pietate, vt auferat hoc ſcandalum ab oculis fidelium in re grauiſſima circa originem Filij Dei. Ne à Sancta Sede procedant duo contradictoria, ne falſatum proponatur decretum Nicenum, falſatum, inquam, vel per additionem, vel per detractionem. Ego meum laborem ad pedes ſanctitatis ſuæ iudicandum offero.

Obſer-

Obſeruatio Sexageſimaſecunda.

Matth. VTile fuit oſtendere in Concilio Niceno nihil fuiſſe determinatum de voce *creatum* affirmanda, vel neganda de Filio. Legerat hoc Licetus in defenſione veſtigationum pag. 149. Quæſiuit in tomo conciliorum, & inuenit ita eſſe; ſicut ego dixi in confutatione Maſtrij, quam Liceto ſcriptam dedi ante quatuor annos, Maſtrium citantem ex concilio Niceno 1. & ex Toletano 11. conuici falſæ citationis: quia in neutro concilio negatur de Filio vox *creatum*. Legit Licetus iſtud ſcriptum, deprehendit me verum dicere: ſed falsò citare voluit, pertuicax in falſitate. Sic citat concilium Nicenum pag. 17. lin. 3. pag. 18. lin. 30. pag. 20. lin. 1. atque, vt opinor, ſupra centies falſiſſimam citationem facit, dicens, à concilio Niceno eſſe decretum, quòd Filius non ſit creatus.

Bald. At in actis concilij Niceni legitur diſputatio, in qua Euſebius Pamphili negat Filium eſſe creatum, & negat textum Prouerb. 8. *Dominus creauit me*, intelligendum de Filio Dei: ſed probat intelligendum de ſapientia infuſa homini, præcipuè Salomoni.

Matth. In confutatione citata reſpondi, nos obligari ad determinationes conciliorum de fide recipiendas, non obligari ad diſputationes: Ita Tomiſtæ, ita Scotiſtæ ſentiunt. Pro Scotiſtis cito Radam in controuerſijs 1. ſent. controu. 4. pag. 85. 86. Pro Thomiſtis Cano de locis Theologicis car. 330. lib. 7. appoſitè.

Obſeruatio Sexageſimatertia.

Matth. PRopoſuit Licetus pag. 16. lin. vlt. oſtendere, me aliam doctrinam tenere de generatione Filij in Epitome, alteram poſtea, taxans me inconſtantiæ. Sed oblitus propoſiti in pag. 17. lin. 7. incipit oſtendere aliud extra propoſitum, ſcilicet me in Epitome poſuiſſe creatum, & factum coincidere, & hoc ipſum negare in Defenſione. Igitur Licetus vult oſtendere ex Epitome eſſe à me dictum, quòd creatum, & factum coincidant; ex Defenſione, quòd non coincidant.

Bald. Verè ne dixiſti creatum & factum coincidere?

Matth. Neque hoc dixi, neque hoc dictum verum eſſe, quare Licetus ad hoc falſum mihi imponendum tres fallacias committit referendo mea dicta, quæ ſimul conferemus ex Epitome Theologiæ, & ex libro de ſeptimo quæſitis pag. 17. lin. 7. lege igitur Licetum.

Bald. "Verba Theologi ſunt ipſiſſima diluendum argumentum afferentia: Si eſſet genitum aliquid in diuinis, eſſet neceſſarium ab alio, & generans neceſſarium à ſe; ergo genitum eſſet minus neceſſarium

in Deo,quàm generans: quod autem eſt minus neceſſarium in Deo eſt creatura: ergo genitum in Deo eſſet creatura.

Citat in margine ex Epitome 1.ſent. diſt.4. pag.26.

Matth. Prima fallacia eſt, mutilare duas partes mei argumenti pro parte falſa allati. Argumentum 2. tale eſt in dicta diſt.4. primi pag.26.

Si in diuinis eſſet generatio,Deus genitus eſſet creatura. probatur conſequentia: quod eſt neceſſarium à ſe,magis eſt neceſſarium eo, quòd eſt neceſſarium ab alio. Sed ſi eſſet genitum aliquid in diuinis,eſſet neceſſarium ab alio,& generans neceſſarium à ſe.ergo genitum eſſet minus neceſſarium in Deo, quàm generans: quod autem eſt minus neceſſarium Deo,eſt creatura: ergo genitum in Deo eſſet creatura.

Confer hoc argumentum cum relatis à Liceto. Argumentum eſt ad inconueniens, in quo prima conſequentia dat claritatem toti argumento. Licetus illam primam conſequentiam mutilauit, ne lector perciperet,quorſum tendendum ſit,& quid ſit probandum.

Secundò Licetus mutilauit maiorem propoſitionem in probatione conſequentiæ. In illa maiori conſiſtit tota vis argumenti: qua ſublata argumentum inualidum eſt. Fortè etiam hoc fecit, ne meum argumentum in forma eſſe videretur.

Bald. Lego ſequentem partem in pag.17. Liceti lin.13. Quam rationem eluens mox addit.

Citat pag.28.

"Generatio translata ad Deum ponit eamdem eſſentiam numero in patre generante, & in Filio genito: ponit quoque Filium eſſe ſimul natura cum Patre,quam ob rem Filius non eſt factus in diuinis.quod enim eſt effectum,eſſentialiter differt ab efficiente:ſed Filius Dei non differt eſſentialiter à Deo generante. Rurſus effectum eſt poſterius natura efficiente,ſed Filius genitus eſt ſimul natura cum Patre generante. Exactè igitur Athanaſius dixit: Filius à Patre ſolo eſt, non factus, non creatus,ſed genitus. "Vbi creatum, & factum coincidere ponit apertè." Obſeru. 65. Tho.3.p. q.16.art. 8. Bon.3.d. 11.q.4.

Matth. Monſtri inſtar eſt afferre ſolutionem meam ad ſecundum argumētum,& totam ſolutionem ſupprimere.quæ eſt turpiſſima fallacia. Sed Secunda. Cui annexa eſt tertia,quia id,quòd non eſt ſolutio argumenti, affertur vt ſolutio. In Epitome diſt.4. primi. pag.29. lego.

"Ad 2,neceſſitas formalis ſpectatur in natura: Si ergo productum eſt in alia natura à producente,eſt minus neceſſarium; Si in eadem, eſt æque neceſſarium: ſecundo modo ſe habent Pater, & Filius in Deo eſſentialiter. "Hæc exaraui diluens argumentum,& ſolui probationem conſequentiæ reſpondens ad formam,& materiam: ad propoſitiones,& medium terminum,qui ex neceſſitate à ſe, & ab alio procedit. Licetus veram ſolutionem totam oppreſſit, vt me malè ſoluiſſe doceret.

Bald. Vnde igitur Termaximus corrogat non ſolutionem pro ſolutione?

Matth. In quæſtione qualibet tria notata ſunt pro intelligenda quæſtione: ex tertio notato fragmentum aſſumpſit, quod nec ad propoſitiones, nec ad medium, nec ad materiam, nec ad formam ſecundi argumenti quicquam facit.

Bald. Facit ad intentionem ſuam, quia in fine notati dicis: "exactè igitur Athanaſius dixit; Filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus: ergo apertè ponis creatum & factum coincidere.

Matth. Vidit Licetus conſequentiam ſuam non valere. quam cum probare non poſſet, pro more ſuo adiecit *apertè* vt Lectorem falleret.

Bald. Ego probabo; tu in ipſo notato tractas de duabus, generatione & factione: oſtendens Filium diuinum eſſe genitum, non factum. Colligis in Athanaſij dicto tria, factum, creatum, genitum: ergo creatum vel coincidit cum facto, vel cum genito, aut certè ponere non debueras tria in Athanaſij dicto.

Matth. Non eſt meum authoritates mutilare, ſed eſt Liceti: qui hanc ipſam authoritatem violauit, ſi quidem in ſecunda negatione ſcriptum eſt *Nec*, Licetus ſcripſit *Non*. Regula Logicæ eſt, ne colligatur in concluſione, quod non eſt poſitum in præmiſſis. In præmiſſis actum eſt de verbis *facere*, & *generare*: de verbo *creare* nihil in præmiſſis poſitum eſt, nihil colligendum eſt in concluſione. Exactè igitur Athanaſius loquutus eſt, quoad *generare*, & *facere*; quomodo ſit loquutus de ipſo *creari* nihil in re præſenti. In eodem verſiculo agitur de ſolo generante, nec tamen colligitur, quod à ſolo Patre ſit Filius in illa concluſione. Sed & Licetus in parte mei notati citati habet de prioritate naturæ, de vnitate naturæ, de diſtinctione eſſentiali, nec ijs omnibus concludendo vtitur, ſed ſolis vocibus *creare* & *facere*. de quibus nũc dico, eas nõ coincidere, ſed differre.

Bald. Iam vna pars contradictionis tibi attributæ apparuit in epitome, altera pars, quòd enixè neges ipſum facere & creare eſſe idem, vbi apparet in libro defenſionis?

Matth. Erat officium Liceti, ſicut in epitome citauit diſtinctionem & paginam: ſic in Defenſione citare: ſed quia non ſolet probare, hanc ſecundam partem dixit, & non probauit. Si verò probare voluiſſet more ſolito in citando aliquid addidiſſet, vel detraxiſſet, vel inuertiſſet.

In libro primo defenſionis num. 9. & lib. 2. num. 103. Sanctum Auguſtinum protuli ex lib. 1. contra aduerſarium legis & prophetarum cap. 23. qui docuit duo ſignificata vocum *facere* & *creare*. primum, vt promiſcuè accipiantur, idemque ſignificent, & duabus authoritatibus Auguſtini, altera in libro de fide, & ſymbolo cap. 4. altera de Geneſi ad litteram imperfecto cap. 1. communiui.

Secundum ſignificatum eſt, quò propria ſignificatio ipſius *facere* diſcernitur ab ipſo *creare*. Facere eſt quod omnino non ~~erat~~, *creare* eſt conſtituere ex eo, quod iam erat: non igitur abſolutè negaui erat

in

in Defenſione, quod creare, & facere ſint idem; ſed diſtinxi in ſignificato confuſo ſunt idem: in ſignificato diſtincto, & proprio differunt. Licetus autem, vt ei ſolemne eſt, falsò citat, mutilando dicta mea; ego cunctabundè, & diſtinguendo loquutus ſum, ille mihi exixè, & abſolutè tribuit negationem.

Bald. Non ne poteſt ſuſtineri abſolutè, quòd coincidant creatum, & factum.

Matt. Non poteſt in ſcholaſtica, nō poteſt in ſcripturali acceptione iſtius vocis æquiuocæ *creatio*. Creare ſcholaſticè ex Diuo Thoma 1. p. q 45. art. 1. eſt *facere aliquid* ex *nihilo*. igitur ſe habet *creare* ſicuti ſpecies, *facere* ſicuti genus: quare nō ſunt idem, ne definiatur idem per idem: ne idem ſit genus ſui ipſius. Et idem Sanctus Thomas in libro de fallacijs docet, ſpeciem & genus eſſe partim idem, partim diuerſa. Si quis autem ex partiali identitate totalem arguat, committit fallaciam accidentis. Sic Licetus ex eo, quod Athanaſius factum, & creatum vniuit in vno verſu, negando, & genus & ſpeciem ab Ario propoſitam de Filio, arguit ex partiali identitate quòd ſimpliciter coincidant apud me, & Athanaſium. ergo Licetus incurrit in fallaciam accidentis.

In ſcripturali ſignificatione iam relata eſt definitio concilij Romani ſub Sancto Dionyſio, quòd creauit non eſt fecit, quòd facere, & creare differunt. ergo aberrat à fide Catholica, qui putat in ſcriptura, quòd omne facere ſit creare, aut omne creare ſit facere.

Obſeruatio Sexageſimaquarta.

Bald. IN pag. 17. lin. 23. Aliam rationem tuam, & reſponſionem affert ſic. „Qui & infra proponit aliam rationem diſſoluendam inquiens: nullum creatum eſt de ſubſtantia Patris, Filius autem eſt creatus; quia Filius eſt ſapientia Dei, quæ in Eccl. 24. ait, ab initio & ante ſæcula creata ſum. Citat 1. ſen. diſt. 5. pag. 30.

Cui rationi ſic inferius occurrit. "Ad tertium, Patres in concilio Niceno cuidam Philoſopho pro Ario diſputanti dixerunt, illam authoritatem non eſſe intelligendam de ſapientia increata, ſed de ſapientia humana creata; quæ pro veritatibus reuelatis à principio Mundi creata eſt, & congruo tempore Iſraeli reuelata: vnde & ipſa ſapientia loquens aut per proſopopeiam, aut conformationem dicit. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi in Iacob inhabita & in Iſrael hereditare.* „

Matth. Gratulandum eſt ſuperis, quòd Licetus ſemel verè citauit. Sed quid prætendit per hoc Licetus?

Bald. Ex iſto loco citato, primò oſtendit te dixiſſe, Filium eſſe ſapientiam increatam. Secundo locum Eccleſiaſt. 24. cum patribus Nicenis de

ſapientia creata, non de increata eſſe accipiendum.

Matth. Ita eſt. Sed oportet etiam addere me in ſcholaſtica Theologia accepiſſe vocem *creati*, & *increati* cum Scholaſticis: creatum enim eſt, quod eſt factum ex nihilo mediatè, aut immediatè: increatum eſt, quod non eſt factum ex nihilo, nec hoc, nec illo modo; quæ ſignificatio eſt creationis ſcholaſticæ communiter acceptæ. Scis enim ex 1. Poſt. 90. geometram accipere circulum geometricè: de circulo poeticè accepto nullatenus curare. Similiter aſtrologus de cancro pro conſtellatione, medicus de cancro pro ægritudine, piſcator de cancro piſce, loquitur.

Si prætendit Licetus, me dixiſſe etiam oppoſitum, non ne oportebat proferre locum, in quo oppoſitum dixi?

Bald. Oportebat.

Matth. Cur ergo ex Epitome affert ipſiſſima verba mea; & ipſiſſima verba mea non affert ex libro Defenſionis, vel aliunde in meis ſcriptis.

Bald. Non poſſem dicere.

Matth. Ego dicam. Vult proponere, non probare. Sed Beatus Thomas 1. p. q. 41. art. 3. & 4. contra gentes cap. 8. ad locum Eccl. 24. *Ante ſecula creata ſum*, tres attulit expoſitiones. Prima eſt de ſapientia creaturis indita. Secunda de ſapientia Dei, ſed incarnata. Tertia de ſapientia Dei genita ab æterno. Neque Diuus Thomas putauit afferendo tres expoſitiones, ſe vel eſſe contrarium Fidei catholicæ, vel eſſe contrarium ſibi ipſi. Eaſdem tres expoſitiones ego dedi diuerſis locis: in Epitome primam, in Defenſione tertiam, in Confutatione ſecundam & tertiam: pro rei opportunitate. Verùm tamen eſt illam reſponſionem datam in ſcholaſtica minus eſſe probabilem; dicta enim eſt in diſputatione Nicena, ſicut apparet in meis verbis per Licetum allatis. "Patres in concilio Niceno cuidam Philoſopho pro Ario diſputanti dixerunt „Iamque dictum eſt, in diſputationibus dicta à Concilijs non eſse ſolidæ authoritatis. obſeru. 59. 62. pag. 152.

Diſplicet verò illa expoſitio, quia optimus modus exponendi ſcripturam eſt exponere iuxta traditionem Patrum: ſed Euſebius Pamphili illius expoſitionis author confitetur traditiones circa expoſitionem loci Prouerb. 8. *Dominus creauit me*: & tamen ait ſe velle dare nouam expoſitionem extra traditiones.

Tertio diſplicet, quia non conſonat textui ſacro in antecedentibus, & conſequentibus.

Quarto diſplicet, quoniam ad fulciendam expoſitionem nouellam Scripturas, neſcio quas apocriphas citat, vt Analypſim Moyſis, &c.

Non eſse autem abſurdum, ſi ad eamdem ſcripturam variæ, & multæ dentur expoſitiones: cognoſcet, qui legerit Athanaſium in ſermone

ne 3.contra Arianos & Epiphanium hæreſi 69.exponẽtes Prouerb.8. *Dominus creauit me*. Sed & Sanctus Auguſtinus in 12.Conf.cap.20. multis modis exponit primum verſiculum Geneſis. Non eſt igitur abſurdum, ſi Beatus Thomas,& ego cum ipſo,eamdem ſcripturam diuerſis modis expoſuerimus.

Bald. Non potes negare te eſſe inſtabilem,qui mutauiſti opinionem.

Matth. Non me puderet,cum & Auguſtinus,& Thomas viri ſanctitate,ac doctrina præcellentes aliquando opinionem mutauerint. Homines ſumus,non Dij. Verùm Sanctus Thomas 1.p.q.68. art.1. ex Diuo Auguſtino notat in huiuſmodi quæſtionibus duo eſſe obſeruanda. primò quidem,vt veritas Scripturæ inconcuſsè teneatur. Secundò cum Scriptura diuina multipliciter exponi poſſit, quòd nulli expoſitioni aliquis ità præcisè inhæreat, vt ſi certa ratione conſtiterit expoſitionem eſſe falſam, præſumat aſserere illam falſam expoſitionem eſse ſenſum ſcripturæ. Habes quomodo in rebus ſacris & firmiter credere,& probabiliter opinari oporteat, firmiter credere debemus veritatem Scripturæ, quæ per traditionem Apoſtolicam, & per Eccleſiæ definitionem innotuerit; probabiliter opinari cętera debemus vſque ad Eccleſiæ definitiones.

Bald. Quid igitur de creatione tribuenda Filio Dei credis, vel opinaris.

Matth. Reſpondeo verbum *creare* eſt æquiuocum. Si creare ſit *facere* ſiue ex aliquo, ſiue ex nihilo: determinatum eſt à Sancto Dionyſio Papa cum concilio Romano,quod Pater non fecit, Filius non eſt factus, quare neque creatus in hoc ſignificato; ſic loquutus ſum in ſcholaſtica Epitoma. Si creare ſit præficere, ſic S.Dionyſius idem determinauit, quòd Dominus *creauit*, ideſt *præfecit Filium operibus per Filium conficiendis*. Sanctus Euariſtus, ſi creauit ſit *genuit* pro communi ſenſu Eccleſiæ dixit, Filium eſse creatum. Quia verò genuit in ſua quidditate includit ipſum produxit, adde non ex nihilo quidem, ſed ex aliquo; ſic concilium Orientale, & Sanctus Hilarius libro de Synodis docebunt, quòd perſona Patris *ex ſe ipſa creauit Filium*. In quo ſenſu Sanctus Cyrillus Alexandrinus in 4.Dialogo de Trinitate aſseruit, quòd creatio Filij eſt productio exiſtentis, &c. ſed non de nihilo. Bellarm. lib.1. de Chriſto cap.18.

Denique ſi attendas ad vocem in Scriptura ſacra,leges de ſapientia genita, quod ipſa ſit *creata*: negatiuam non leges. Leges in Conſtitutionibus Apoſtolicis perſonam Chriſti, & ſapientiam genitam eſse creatas, quod ab Apoſtolorum diſcipulis leges eſse dictum affirmatiuè: negationem non leges. Quantum potui ego repetire, Sabelliani primi negauerunt, Filium eſse creatum, ne concederent in Deo ad intra diſtingui Patrem qui *creauit*, à Filio, *qui creatus eſt*. De qua re Sãctus Dionyſius Papa. Succeſſit Arius,qui vocem *creauit* cum Sabellio alligauerat ad illud ſignificatum,vt *creare ſit facere ex*

nihilo. Quo circa Patres Catholici ardenter negauerunt, Filium eſse creatum, nempe in ſenſu Arij: non negantes aliam ſignificationem traditam à Sancto Dionyſio, & ab Athanaſio commemoratam, atque à ſequacibus Athanaſij.

Qua de re plura in epiſtola reſponſiua ad te, ò Balde, ſcripſi.

Obſeruatio Sexageſimaquinta.

Bald. Termaximus in pag. 18. lin. 2. ad lin. 29. ex 3. ſent. à te conſcripto in Epitome profert verba tua, quibus negauiſti dicēdum eſſe, quòd Chriſtus ſit creatura, vel creatus.

Matth. Quanquam differentia ſit inter Filium Dei in ſe, & Filium incarnatum, qui eſt Chriſtus: quanquam etiam limitationes à me ſint poſitæ de iſtis propoſitionibus, vel *vigente hæreſi*, vel *extincta hæreſi*. Tamen concedo (etiam ſi Licetus non benè probet) quòd Filius Dei non eſt creatus, neque creatura: quodque Chriſtus non eſt dicendus creatus, aut creatura abſolutè, ſed cum determinatione. ita ſcribunt Sanctus Thomas 3. p. q. 16. art. 8. & Sanctus Bonauentura in 3. d. 11. q. 4. totius diſtinct.

Bald. Si iſta concedis, qua conſcientia auſus es dicere, quòd Filius *Dei ſit creatus*, & quòd *ſit creatura*.

Matth. Ne quæſo cum mendacio, vel calumnia iſta de me dicas.

Bald. Non eſt mendacium, non eſt calumnia; Lego Termaximum pag. 18. lin. 29. "Talia quum rectè ſenſiſſet iſte cl. Theologus, planè conſentiens cum orthodoxis Patribus in concilio Niceno catholicam Eccleſiam conſtituentibus, eodem fermè tempore contrariā prorſus opinionem induit animo de creatione Filij Dei ad intra, communicans omnino verbis cum Ario, ſtatuens verbum ad intra creatum,,

Matth. Niſi atrociſſimus titulus hæreſis Arianæ me commoueret; planè ſtupidus, & inſenſatus eſſem. Sed Licetus dum ſimulat ſe impugnatorem Arianiſmi, ſeminat zizania Iudaiſmi: & calumniam, ſed hæreticalem calumniam, contra me componit: ac doctrinam catholicam tanquam Arianam traducit.

At ſtatim patet fraus. Tranſcripſit verba mea, quibus dixi Filium, & Chriſtum non eſſe creaturam in Epitome. Si volebat oſtendere, me eſſe in contraria opinione, oportebat tranſcribere etiam verba mea, quæ contraria ſint. Sed auſus eſt calumniari, non eſt auſus proponere verba mea ipſiſſima, ſuper quibus fundet calumniam hæreticalē.

Ergo vt in hac re clarè procedam: dico in iſtis verbis Liceti quinque falſas propoſitiones contineri.

Prima eſt, quando dixi, Filium non eſſe creatum, neque creaturam, fui conſentiens cum Patribus Nicenis. Diſtinguo, ſi loquatur Licetus

de

de vocabulis *creatura*, & *creatum*, quòd ego cum concilio Niceno conſentiam, eſt ſimpliciter falſum, à ſciente, & volente dictum ſuperius. Etenim oſtenſum eſt in determinatione de fide à Patribus Nicenis non eſſe voces *creatum*, aut *creaturam* ſcriptas. in obſeruat.

Si autem loquatur quantum ad ſenſum, quòd Filius Dei non *ſit factus*, vt in ſymbolo Niceno: quod *non ſit factus ex non ſubſtantibus* ſiue *ex nihilo*, vt in anathematiſmo: planè conſenſi cum concilio Niceno tàm in epitome, quàm in defenſione: atque in omnibus dictis, vel ſcriptis, in quibus de Filij productione tractatio ſeſe obtulit.

Secunda: eodem fermè tempore contrariam prorſus opinionem induit animo, de creatione Filij Dei.

Tertia, *ad intra* ideſt, quòd ego poſuerim creationem Filij Dei eſſe ad intra.

Quarta, quòd ego communicauerim omnino verbis cum Ario ſtatuens talem creationem.

Quinta, Arius ſtatuit verbum ad intra creatum eſſe. Singulas haſce propoſitiones examinemus.

Obſeruatio Sexageſimaſexta.

Matt. Circa primam tractandam, duæ ſunt regulæ præponendæ, vt veritas à Liceto occultata, pateſcat.

1 Regula. Non eſt eadem enuntiatio, quæ proponitur abſolutè, & quæ proponitur cum determinatione. Regula eſt Sanctorum Thomæ & Bonauenturæ locis paulò ante citatis; vt iſta propoſitio, Chriſtus eſt creatura, non eſt abſolutè dicenda: iſta verò Chriſtus eſt creatura, ſecundum quod homo, eſt reſolutè concedenda. Illa enim enuntiatio, quæ conceditur, & illa, quæ negatur ab his doctoribus, non ſunt vna enuntiatio, ſed duæ. Obſeru. 65. Tho. 3. q. 16. art. 8. Bon. 3. d. 11. q. 4.

2 Regula eſt ex Ariſtotele in 2. top. loco 3. Si incidat aliquod vocabulum obſcurum, ipſum eſt definiendum, neque ceſſandum eſt, donec ad nota ſit ventum. Atqui vocabulum æquiuocum eſt obſcurum per 6. top. loco 6. ergò omne æquiuocum eſt prius definiendum, data diſtinctione. *Creare*, & *creatio* eſt vox æquiuoca, prout Sanctus Dionyſius Papa docuit: cuius vocis duas diſtinctiones dedi in libro defenſionis, vnam cum Diuo Auguſtino, quod creare aliquādo confunditur cum ipſo facere, aliquando diſcernitur ex vſu ſcripturarum.

Secundam ex D. Thoma 1. p. q. 45. art. 1. quòd creāre cū Diuo Auguſtino ex ſcriptura eſt *conſtituere aliquid ex eo quod erat*, & hoc eſt primum ſignificatum, ſecundum quod *creare eſt facere aliquid ex nihilo*, cum gloſa quadam ignota, non Strabi, vt opinabar.

Sed ad breuiter, & clarè loquendum, primum ſignificatum ex Auguſtino ſit *producere ex aliquo*, ſecundum ex Gloſa *eſt facere ex nihilo*. Nunc oſtendam id, quod à me dictum eſt in Epitome, ſcilicet Filium Dei non eſse factum ex nihilo, dictum etiam eſse in Defenſione: idque conſentaneum eſse ad concilium Nicenum. Lege in meo libro Defenſionis pag.249. hoc eſt libro ſecundo num.97.

Bald. Legam. Sic enim habet.

"Ieſus Filius Sirac in libro Eccleſiaſtici frequenter arceſſit verbum *creare*.

Applicat hoc verbum *creare* ſecundæ perſonæ diuiniſſimæ Trinitatis, ideſt ſapientiæ dicenti de ſe, Eccl.24. *Ego ex ore Altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* nam hæc eadem ipſa ſapientia de ſe dicit. *Ab initio & ante ſæcula creata ſum; &, qui creauit me requieuit in tabernaculo meo.*"

Interrogabo te, quare dixeris de Eccl. applicat hoc Verbum *creare* ſecundæ perſonæ, & non *creari* paſſiuè.

Matth. *Creare* accipitur materialiter, vt legenti patet. Sed tamen & pueris notum eſt actum attribui & caſui agenti, & caſui patienti: vt ſi dicas, homo legit librum: actus legendi tribuitur homini vt agenti, & libro vt patienti. Sic ſapientia dicit, *qui creauit me*.

Bald. Pergam. "Ita Salmon. in Prouerbijs cap.8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio.* Vbi legunt ſeptuaginta, *Dominus creauit me initium viarum ſuarum.* Quibus locis certum eſt Verbum Dei *eſſe genitum* de ſubſtantia Patris, tanquam de principio præſuppoſito, ſed interno ipſi Filio producto; non autem eſse genitum ex nihilo. Quare in iſtis locis creari non ſignificat produci ex nihilo."

Memini in tua epiſtola reſponſiua dictum, quòd vocabulum *creandi* cum Sancto Euariſto commutaueris in vocabulum *generandi*: ſicuti nunc facis, dicens; Verbum Dei in iſtis Scripturæ locis eſse *genitum de ſubſtantia Patris, non ex nihilo*. Sed quid nunc vis colligere?

Matth. Quoniam Arius errabat in genere, & in differentia ſuæ creationis dicens, Verbum eſse *factum*, & *eſſe ex nihilo*: hinc accipio quòd *Verbum non eſt genitum ex nihilo*; vt vides à me dici *non eſſe genitum ex nihilo*; ergo falsò mihi attribuunt, ſententiam Arij. Arius ait Filium eſse ex *nihilo*. Ego verò nego eſse genitum ex nihilo. Mea loquutio eſt contraria loquutioni Arianæ: & tamen audent dicere, eam eſse Arianam.

Arius, & Sabellius ex vocabulo *creauit* concludebant *Filium eſſe factum*: ego concludo eſse *genitum*, eſse *productum* totum oppoſitum dico hæreticis: & accuſor, quaſi dicerem id, quod dicunt hæretici.

Bald. Quare non probauiſti in tua Defenſione hos textus Eccl. & prouerbiorum intelligi de ſapientia genita, quæ eſt Filius.

Matth. Nemo eſt, vel mediocriter verſatus in rebus Theologicis, qui neſciat

ſciat iſtos textus communiter à Theologis applicari Filio Dei. Defenſionem inſtitueram aduerſus duos Theologos, quos non putabam aut ignorare, aut ignorare velle tritiſſimam applicationem horum textuum ad Filium Dei. Applicat Sanctus Thomas 1.p.q.41. art.3. & 4. contra gent. cap.8. Sed Sanctus Thomas omnium ſcholaſticorum Theologorum eſt familiariſſimus. Applicat Liranus in 1.cap. Eccl. in 24. in Prouerb.8. Sed Liranus eſt omnium Scriptorum in ſacram Scripturam familiariſſimus. At vbi mala voluntas regnat, intellectum obſcurat, vt quod ſcit neſciat. At verò id amplè probaui, incipiens ab Apoſtolis traditionem, à Pontificibus, Patribus, Concilijs, Doctoribus vſque ad tempora noſtra connectens, in reſponſiua ad te ſcripta.

Bald. Mentionem de Filio Dei facis, ſed non concludis de Filio, concludis de ipſo *creare*.

Matth. Acutè mones. nam *Filius Dei* eſt medius terminus ad concludendum, quòd creare in iſtis ſcripturis non ſignificat *fieri*, non ſignificat eſſe *ex nihilo*. Infrà dicemus de ipſo *fieri*, nunc dictum eſt de particula *ex nihilo*. Semel tamen formo ſyllogiſmum expoſitorium talem.

Verbum non poteſt eſſe factum, nec poteſt eſſe ex nihilo.

Verbum in iſtis Scripturis dicitur creatum.

Ergo creatum eſſe, in iſtis ſcripturis, non eſt eſſe factum, nec eſt eſſe ex nihilo: nec poteſt eſſe factum, avt ex nihilo.

Maior eſt definita de fide in ſecunda parte Niceni anathematiſmi. Minor eſt definita in concilio Romano ſub S.Dionyſio, & in concilio Orientali apud Hilarium de Synodis.

Legam ego ſequentia in libro ſecundo Defenſionis num.97. pag.149. lin.22. "Ea propter in ſymbolo Niceno primo ex primo tom. conciliorum car.532. Dicitur Filius Dei *Natus, non factus, homouſios Patri, hoc eſt, eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ, per quem omnia facta ſunt.* „

Bald. Aduerto iam ſemel abs te negari, *Filium eſſe factum*: & cum ſumma authoritate ſymboli Niceni.

Matth. "Cautè Sanctiſſimi PP. dixerunt *Natum*, ſed negauerunt *factum*: non affirmauerunt, neque negauerunt *creatum*.

Bald. Ecce nunc bis negaſti Filium Dei eſſe factum.

Matth. Negauerunt Verbum Dei eſſe *factum* probantes ex Euangelio Ioannis, quoniam per ipſum facta ſunt omnia: Ergo verbum non eſt factum. „

Bald. Gratulor. nam ſolidiſſima cum demoſtratione *probas* nunc tertiò, Filium Dei non eſſe factum.

Matth. Non dixerunt eſſe *creatum*, ne loquerentur cum Ario, qui dicebat, Filium Dei eſſe *creatum*: intelligens, quòd creare, ſit ſpecies

quædam ipſius facere; volebat enim Arius, quòd creare ſit *facere ex nihilo*. Noluerunt negare eſſe *creatum* quia ſacra Scriptura attribuit vocem *creari* ſapientiæ genitæ. „

Bald. Hic multa me ſuſpendunt. propterea quòd Arius, & ex voce *genitus*, & ex voce *creatus* argumentabatur, Filium eſſe factum: quo non obſtante, Patres dixerunt, *Filium* eſſe *genitum, ſed non factum*. Si ergo noluiſſent communicare in voce cum Ario, ſicut non dixerunt per te *creatum*: ſic non debuerunt communicare, in voce *genitum*. Sed quia in Scriptura aderat vox *genitum*, & vox *creatum* de Filio, vel ambas tacere oportuit, vel ambas dicere.

Matth. Hæc tua ratio eſt valde probabilis; plus enim amo veritatem, quàm mea dicta.

Bald. Accedit ex doctrina S.Hyppoliti, & Sancti Auguſtini non oportere Scripturas ſacras deſerere propter abuſum hæreticorum: alioqui vel totam, vel maximam Scripturæ partem perderemus; cum ferè nulla ſit ſcripturæ pars, quam non perturbarit aliquis hæreticus.

Matth. Fateor cum S.Hilario libro ſecundo de Trinitate, non eſſe crimen in ſacris verbis, ſed in ſenſu & intelligentia praua hæreticorum. Itaque verba ſcripturæ, & eorum intelligentia catholica eſt aſſerenda: praua intelligentia hæreticalis eſt reijcienda.

Bald. Igitur hæc tua ratio non eſt efficax pro tacenda voce *creatum*. Aliud quoque eſt, quia dicis definitionem creationis ab Ario datam eſſe, quod *creare eſt facere ex nihilo*: Sed & ſcholaſtici eandem dant definitionem; ergo ſcholaſticos accuſas, quaſi communicent cum Ario, & Sabellio in definitione creationis.

Matth. Illam definitionem eſſe Arij non ambiget, qui leget Arij verba apud Sanctum Athanaſium in oratione ſecunda contra Arianos.

Nec ille quoque negabit, qui reſoluat in formam argumentum Arij à creatione deductum; ipſum eſt, huiuſmodi. omne creatum eſt factum ex nihilo: ſed Filius Dei eſt creatus Prouerb.8. Ergo Filius Dei eſt factus ex nihilo. Hæc concluſio Arij eſt expreſsè damnata in concilij Niceni anathematiſmo, particula ſecũda. Quando autem concluſio eſt falſa, neceſſe eſt, vel ambas, vel alteram præmiſſam eſſe falſam. Minor ante aliquot annos fuerat contra Sabellium definita de fide in concilio Romano ſub Sancto Dionyſio, & ab Apoſtolis in conſtitutionibus Apoſtolicis lib.5.cap.19. & lib.7.cap.37. aſſerta, nec non ab Apoſtolorum diſcipulis Ignatio, Clemente, Iuſtino, Cypriano: ergo maior eſt neganda: propter hoc Sanctus Athanaſius in ſermone 3. contra Arianos dixit, eam non eſſe *vbique* veram in Scripturis. Sanctus Cyrillus Alex. in lib.5.theſauri cap.4. aſſeruit non *ſemper* eſſe veram: At ſi vera non eſt ſemper, & vbique; nec definitio eſt.

Bald.

Bald. Vtilius eſt igitur cum Diuo Thoma ponere æquiuocationem in voce creationis, vt creare apud ſcholaſticos ſit facere ex nihilo: apud ſcripturales ſit conſtituere, ſeu producere ex aliquo.

Matth. Sic ſoluitur argumentum Arij cum Sanctis Thoma, & Bonauentura, recipientibus duas ſignificationes vocabuli *Creatio*. Nam maior Arij accipit creationem, vt eſt *factio*: minor creationem vt eſt *productio*; quare propter æquiuocationem nihil concludit.

Sic Patres conciliantur: Etenim Patres, qui cum ſcriptura dicunt, quòd Pater creauit Filium, & ante & poſt concilium Nicenum plurimi, intelligunt creationem, quæ eſt productio, productio inquam ſiue in eſſe naturali, ſiue in eſſe morali, ſiue in eſſe artificiali. Alij verò, qui negant Filium creari à Patre, intelligunt de creatione, quæ eſt *factio*. Iuxta concilium Romanum, Deus *creauit* Filium, non *fecit* ſed *præfecit*.

Bald. Reſponſio hæc probabilis eſt, ſicut & conciliatio. Interea dum cum concilio Niceno abijcis Arium, & eius vocabulum, agnoſco te quartò negare Filium eſſe *factum* ex nihilo.

Matth. Tametſi non probes rationem à me allatam, propter quàm concilium Nicenum tacuerit vocem *creatum*: intentionem tamen meam non potes non probare. Laudo.n.cautelam Niceni concilij, quod noluit dicere vocem *creatum* de Filio, quia creare eſt facere ex nihilo, ſicut volebat Arius. Ergo laudo negantes iſtam definitionem creationis de Filio. Laudo negantes definitum, hoc eſt creationem in illa ſignificatione iuxta maximam; de quocunque negatur definitio, de eodem negatur definitum. Sed in iſto loco defenſionis negaui à Filio Dei definitionem creationis Arianæ. ergo & negaui definitum, hoc eſt creationem in tali ſignificato Arij.

Bald. Vellem ſemel oſtendi Arium in hoc ſenſu accepiſse creationem.

Matth. Diuus Athanaſius oratione ſecunda contra Arianos refert Arij verba ex Arij libro inſcripto Thaleia. Verba Arij ſunt iſta. "Ipſum verbum ex nihilo factum eſt. cum enim omnia ex non entibus extiterunt, & in vniuerſum nihil ſint, niſi creatura, & opera: reſtat igitur ipſum quoque Dei Verbum *ex non entibus factum eſſe*: & fuit quando non erat: neque erat antequam fieret, ſed exordium vt crearetur ipſum etiam habuit. Deinde cum vellet Deus nos condere, tunc vnum aliquem fecit, quem Verbum, Filium, & Sapientiam nominauit: vt per eius opera nos architectaremur.„ Audiuiſti ſceleſtiſſima Arij dicta; in quibus manifeſtè apparet illius iniqua propoſitio, iſta Verbum Dei factum eſt ex nihilo; eo quod, omnia ex non entibus extiterunt, nec ſunt aliud niſi creatura, & opera. Creatura igitur eſt res facta ex nihilo; & per regulas coniugatorum creatio eſt factio ex nihilo; creare eſt facere ex nihilo, & creatum eſse eſt eſse factum ex nihilo. Arij verbi.

Tu verò, Balde, iam numeraſti quatuor vicibus à me negatum fuiſse,

quòd Verbum ſit factum; bis negatum fuiſſe, Filium Dei eſſe ex nihilo: bis eſſe dictum, quòd verbum eſt genitum de ſubſtantia Patris: at ſubſtantia Patris non eſt nihil, igitur quater negaui Arij hæreſim, quam mendaciter Licetus mihi affingit.

Bald. Perge legendo in tuo libro.

Matth. Proſequor lectionem mei libri ad initium pag. 250. emendato errore Codicis vno.

"Ex qua animaduerſione duo mihi videntur colligi; Primum eſt, quòd creare abſtrahit ab ipſo facere, & includit ipſum producere. Secundum, quòd creare abſtrahit ab *ex nihilo*, & includit *ex aliquo*. Sic enim *creare* ſignificat producere ex principio præſuppoſito ordine naturæ, & interno ipſi producto.

In quo ſenſu Salomon, & Eccleſiaſticus dixerunt diuinam ſapientiam eſſe creatam.

In quo etiam ſenſu omnia compoſita facta ex aliquo præſuppoſito ſed interno ipſi rei productæ, dicuntur eſſe creata. Vnde creare in ſuo formali ſignificato non includit ipſum facere.,,

Bald. Perſpicio, quid à Verbo neges, quid de Verbo affirmes. Negas Verbum eſſe factum ex nihilo: affirmas eſſe productum ex aliquo & hoc pacto exponis dicta de ſapientia in Prouerbijs, & Eccli.

Matth. Vtique. aliud enim Spiritus veritatis intellexit in vocabulis *creauit* & *creata ſum* de ſapientia; aliud ſpiritus erroris & hæreſis. Veritas catholica eſt iſta propoſitio, *Filius Dei eſt productus ex ſubſtantia Patris*. Iſtam veritatem intellexit Spiritus ſanctus, prout ego expoſui, & alij multi expoſuerant antè me: quos citaui in epiſtola ad Baldum pag. 47. Spiritus erroris hæreticalis intellexit, ſapientiam eſſe factam ex nihilo: quem ſenſum damnauerat Sanctus Dionyſius Papa docens, quod *creauit* in Prouerbijs 8. non eſt *fecit*.

Bald. Ne ægrè feras, ſi tuam lectionem interrumpo. Sanctus Dionyſius docuit, quòd *creauit* non eſt *fecit*, & ex eadem doctrina per locum à coniugatis logicè & per locum à deriuatiuis grammaticè docuit, quòd creare non eſt facere, creatum eſſe non eſt eſſe factum, quòd creatura non eſt factura, & ſic de alijs; cur non appoſuit particulam, *ex nihilo?*

Matth. Spiritus ſanctus aſſiſtit ſummo Pontifici, & Concilio, conuocato, directo, confirmato à Pontifice. Poteſt igitur triplex error contingere in ſecta Arij. Primus affirmando *factum* de Verbo. Secundus affirmando *ex nihilo*. Tertius affirmando *factum ex nihilo*.

Si ad mentem Arij, & Sabellij excludendam à prouerbijs Salomonis, neges differentiam *ex nihilo*, non ſatis excludis hæreſim; quia poſſet oriri hæreſis dicens, Filium eſſe factum ex aliquo, vt Salomon eſt factus ex Dauide, & filij Iſrael ex Iacob. Si neges *factum ex ni-*

nihilo, excludis vnam ſpeciem hæreſis, non excludis genus, neque aliam ſpeciem. Si autem neges genus Sabellianæ & Arianæ definitionis, nempè *factum*; ex natura rei ſequitur talis regula. Negato, genere, negantur omnes differentiæ, omnes ſpecies, omnia indiuidua contenta ſub genere; negantur omnes per ſe proprietates, & generis negati, & ſpecierum. Qua propter dum Sanctus Dionyſius decreuerat. quòd *creauit* non eſt *fecit*, & quòd creatum eſſe non eſt factum eſſe: negato genere negauit ambas differentias facti, ſcilicet *ex aliquo* & *ex nihilo*, negauit omnes ſpecies factionis, & pleniſſimè abſtulit intelligentiam hæreticalem omnem, quæ poſſet oriri ex genere, quòd eſt factio.

Bald. Prudentiſſima, & ſanctiſſima declaratio, digna tanto Pontifice & concilio; qua vno verbo & natæ, & naſcituræ hæreſes deſtruuntur. perge legendo.

Matth. Sic (nota particulam) ſic, ad Coloſſ.1. *Filius dicitur primogenitus omnis creaturæ*, vt & ipſe intelligatur eſſe creatura, ſed non factura.„

Bald. *Sic*, videlicet ſicut expoſuiſti textum Salomonis Prouerb.8. & Eccl.24. ſic exponis textum Pauli ad Coloſsenſ. vt vocabulum creandi ſignificet productionem, non factionem: & Filius intelligatur eſſe productus, non eſſe factus.

Matth. Ita intellexi: neque contentus præpoſuiſſe particulam ſimilitudinis, quæ ſcripturam tertiam exponeret cum duabus de productione: volui ad vocabulum *creaturæ* adiungere particulam diſtrahentem cum Sancto Dionyſio, Intelligatur *eſſe creatura*, ſed *non factura*.„

Bald. Nec immeritò id facis. Quoniam aliud eſt enuntiatio abſolutè, aliud enuntiatio cum determinatione; hæc propoſitio *Filius eſt creatura*, dici non debet abſolutè vt in epiſtola reſponſiua ſcripſiſti ad me pag.78.79. Sed cum determinatione diſtrahente totaliter ab erroribus Arij, & Sabellij, tolerari poteſt. Illud ſcire velim, quid per vocabulum *creaturæ* dicatur amplius, quàm per vocabulum *creatus*, vel *creare*. Vaſquez in 3.p.q.16.art.8. abſolutè cōcedit.

Matth. Idem eſt ſignificatū primitiui, & deriuatiuorum, *a* niſi quis æquiuocationem inſidiosè inferat. Quare idem ſignificant formaliter verbum, participium, nomen verbale; differunt modis grammaticalibus. Sed Beatus Thomas ſuper caput primum ad Romanos exponens illud *Inuiſibilia Dei à creatura, Mundi* docet, quod creatura eſt *res creata*, vel *creatio ipſa*, ſcilicet paſſiua. *β* Quare in ſignificato ſcripturali, creatura præcisè *eſt res producta*, vel *eius productio paſſiua*. At Filius Dei eſt res producta, & propter ſummam ſimplicitatem eſt ſua productio paſſiua. igitur in hac ſignificatione poſſet dici creatura, ſicuti in 1.p.ſummæ q.41.art.3. in argumento & reſponſione, filium dici creaturam conceſſit Porrecta: Sed conceſſit cum decla-

a Ita S.Ciril.Alex. in 1. de Trinit.

β ~~Laud.~~ Rom.1. verſ.20.

declaratione, vt ſit creatura ſecundum quid, quia non ex nihilo. Ego verò conceſſi eſſe creaturam, cum declaratione, *non factura*: & profectò multò magis per negationem generis me ſeparaui ab Ario & Sabellio, quàm Porrecta ſe ſeparauerit per negationem differentiæ; nam negato genere, etiam negantur differentiæ. Illud verò magnopere eſt attendendum, quòd determinatio meæ propoſitionis eſt recepta à Pontifice capite Eccleſiæ, à Concilio Romano, & conſequenter à Romana Eccleſia. *Creauit*, inquit Papa, non eſt *fecit*, loquendo per verbum: Ego dixi *creatura*, *ſed non factura*, loquendo per nomen verbale. Quare eadem in ſenſu eſt vox Eccleſiæ, & mea, qui à baptiſmate fui filius Eccleſiæ, & ero, quoad anima mea erit.

Bald. Benedicamus Dominum in omni tempore, ſed perge, ſi vis.

Matt. Legam in mea pag. 251. lin. 15. „Ergo ſi loquamur de rebus factis, primum factorum eſt materia prima, quæ de nihilo facta eſt, cætera facta ſunt de materia (cum Auguſt. de fide & ſymbolo cap. 2. & 1. de Geneſi contra Manicheos cap. 5.) ſi loquamur de rebus creatis prima rerum creatarum eſt ſapientia Dei primogenita, non tamen prima *factarum*, quia non *eſt facta*. „

Bald. Si numerando non errau i, ſeptem vicibus negauiſti ſapientiam Dei genitam, eſſe factam & conſequenter negauiſti eſſe factam ex nihilo.

Matth. Iam duo concludes, primum me conſtanter & in Epitome negauiſſe, Filium Dei eſſe factum ex nihilo: & in Defenſione veſtigationum multò magis, & ſæpius ſtudioſè negauiſſe. Secundum falsò dici à *Liceto*, quod ego contrariam prorſus opinionem induerim. Falſum prorſus ipſe dicit. & quòd dicit, non probat. Volens oſtendere me inconſtantem, debuerat prius oſtendere mea dicta pro vna parte contradictionis, poſterius mea dicta pro altera parte, ſed Licetus pro vna parte contradictionis, ſcilicet quòd Filius Dei non ſit factus ex nihilo, atque ideò non ſit creatus in tali ſignificato, probat ex meis dictis collectis ab Epitome, quibus impleuit duas paginas 17. 18. Volens probare me eſſe in ſententia contraria prorſus, ſcilicet quòd Filius Dei *ſit factus ex nihilo*, non potuit, nec poterit citare mea dicta, quoniam in nullo libro meo ſcriptum eſt, Filium Dei eſſe factum ex nihilo, aut eſſe creatum in tali ſignificato. Cum ergo non poſſet hanc partem contrariam veritati ex meis dictis probare, ipſe Licetus ex proprijs dictis ipſam propoſuit, & non probauit; ſed per calumniam hæreticalem de me dixit, quod eſt prorſus contrarium veritati.

Bald. In Epitome dixiſti, Filium non eſſe creatum; in defenſione filium eſſe creatum, ergo contrarium dictis in defenſione.

Matth. Creatum & creatio eſt vox æquiuoca. Si igitur iuxta regulam Ariſtotelis. 2. Top. loco 3. ponatur definitio loco vocabuli obſcuri: omnis fraus calumniatoris euaneſcit: in Epitome dixi

dixi, filium *Dei non eſſe factum ex nihilo*. At idem dixi in defenſione veſtigationis. Sed Licetus callidè diſſimulat ſcripta in paginis 249. 250. in quibus ſcripſi cum concilio Niceno, Filium Dei non eſse factum ex nihilo, neque creatum in hoc ſignificato Arij.

Rurſus in Epitome 1.d.5.oſtendi, Filium Dei eſse productum de ſubſtantia Patris; idipſum in defenſione dixi pag.34. & iſtam productionem de ſubſtantia Patris, vt ex aliquo præſuppoſito vocaui creationem.

Bald. Ridiculus eſt, ait Ariſtoteles 1. Top. qui poſt diſtinctionem vocabuli æquiuoci, arguit ad nomen, non ad rem.

Matth. Loquendo de creatione productione, *ex aliquo* cum ſcriptura, dixi, Filium Dei eſse productum à Patre de Patris ſubſtantia in Defenſione pag.34.& pag.250. Si arguere Licetus vult ad rem, arguat, & ſoluam.

Loquendo de creatione factione, dixi Filium Dei non eſse factum, quia neque ex aliquo, neque ex nihilo factus eſt. Si Licetus vult arguere ad rem, arguat, & ſoluam. Si arguit ad nomen, videndus eſt in rebus humanis, ſed in materia fidei, & hæreſis eſt deflendus, qui tanta cum falſitate, & fallacia infamat proximum, & lectori illudit.

Bald. At ſaltem ex vocabulo videtur contrarietas idem enim vocabulum eſt affirmatum, & negatum.

Matth. In æquiuocis non eſt contradictio, non eſt ſyllogiſmus, vt oſtendit Scotus 1.d.3.q.2.B. profectò ad contradictionem requiritur, vt idem prædicatum de eodem ſubiecto affirmetur & negetur. Si autem Aſtrologus dicat, Canis non habet pedes, Phyſicus dicat, canis habet pedes: non contradicunt, quia non de eodem ſubiecto loquuntur; Aſtrologus de conſtellatione loquitur, & de cane cæleſti, Phyſicus de cane terreſtri. Simili modo in re noſtra dicendum. Filius non eſt creatus ſcolaſticè, Filius eſt creatus ſcripturaliter, quod eſt ſimpliciter theologicè: non contradicunt quia nō eſt idem prædicatum in vtraque propoſitione. Scholaſticè creatū eſt factum ex nihilo, ſcripturaliter creatum eſt productum ex aliquo, quæ duo prædicata magnopere differunt. Vides, quantum fallat Licetus, & in citando concilio Niceno & in referendo me pro ſententia concilio Niceno contraria, cum nec fingendo quidem potuerit aliquod meum dictum afferre, in quo ſcriptum ſit, Filium Dei eſse factum.

Bald. Piget hæc audire. Negare enim non poſsum falsò citari concilium Nicenum, quaſi decreuerit aliquid de creatione Filij, cum in decreto Niceno nec vocabulum quidem creationis adſit.

Secundò timeo vehementer, ne Termaximus dolo malo tacuerit tua dicta in Defenſione pag.249.250. quibus dictis te coniungis cum concilio Niceno prorſus, & prorſus ſeparas ab Ario.

Certè ego meliori fide in mea epiſtola protuli tua dicta ex libro 1. de-

Defenſionis num. 27. 28. 29. ex quo locò tribuit tibi Terma ximus creationem filij ad intra: ſed tu de productione loquetis, qu a filius eſt productus de ſubſtantia Patris; Licetus tibi adſcribit, ſed falsò quaſi dixeris, filium eſse factum ex nihilo, ſicut Arius dicebat.

Matth. Vin relegamus etiam illa?

Bald. Maximè.

Obſeruatio Sexageſimaſeptima.

Bald. IN tua pag. 34. ita ſcribis. „ Nunc diſtinguo, quòd creatio vel theologicè accipitur, vel ſcholaſticè. Scholaſtici enim Theologi & philoſophi, non acceperunt ſignificatum creationis ex diuina ſcriptura, hoc eſt ex Sacra Theologia, pro ut adnotaui ſuperius num. 9. cum Vico mercato & Pererio.

Matth. Vides, quid dicam theologicè; illud theologicè dixi eſse acceptum, quod ex diuina ſcriptura eſt acceptum. Quare vſus vocabuli *creatio* ſcripturalis eſt ſimpliciter theologicus, vſus ſcholaſticus eſt communis philoſophis ſcholaſticis, & theologis ſcholaſticis; ſcholaſtici dicuntur, qui veritates propoſitas tractant, diſputando pro vtraque parte contradictionis, & reſoluēdo veritatem, probāt, atque defendunt. hoc philoſophi multi præſtant, Vnde ſunt tot quæſtionarij logici, phyſici, metaphyſici, morales, Theologi quoque plurimi ſunt tales, & præclariſſimi, qui theologiam quæſtionariam ſumma cum vtilitate exercuerunt. Scholaſtici igitur, & ſcholaſtici Theologi ſe habent ſicut ſuperius & inferius, ſicut genus & ſpecies.

Apparet ex iſto diſcurſu, definitionem creationis ſcholaſticam non eſſe propriam, theologiæ ſacræ. Quod enim eſt commune generi non eſt proprium ſpeciei. Sed ſcholaſtica eſt communis Theologis, & philoſophis ſcholaſticis, ſeu ſcholaſticæ tùm philoſophiæ, tùm Theologiæ. Ergo illa definitio creationis ſcholaſticæ non eſt propria theologiæ ſcholaſticæ. Sicut neque principia communia ſunt propria. Illa verò definitio creationis, quæ in ſcriptura eſt expreſſa, eſt propria theologiæ ſacræ, Quandoquidem de veritatibus reuelatis in ſcriptura ſupernaturaliter, nulla ſcientia naturaliter inuenta agere poteſt. Sed quare creationem vſitatam in ſcripturis theologicam, & vſitatam in ſcholaſticis, ſcholaſticam dixerim, in reſponſiua epiſtola à pag, 23. vſque ad 35. expoſui. Retenta igitur denominatione creationis ſcripturalis, & ſcholaſticæ. Lege ſequentia.

Bald. Creatio Theologicè eſt productio entis ex aliquo principio præſuppoſito & interno ipſi producto.

2 Extenditurque creatio & ad intra in Deo, & ad extra in creaturis.

3 Ad intra. Sapiēntia primogenita ante omnem creaturam Eccl. 24. de ſe loquitur: *Abinitio & ante ſæcula creata ſum*, & cùm 70. Interpre-

pretibus Prouerb.8. *Dominus creauit me principium viarum ſuarum,* vt eſt apud Cyrillum 5.Theſauri cap.1.& 4.

4 Quoniam Filius Dei non ex nihilo,ſed ex ſubſtantia Patris præſuppoſita, & inexiſtente ipſi Filio productus eſt:idcirco & dicitur creatus.

5 Ad extra,Sap.11. *Non enim erat impoſſibilis omnipotens manus tua,quæ creauit orbem terrarum de materia informi.*

Geneſ.5. *Maſculum,& fæminam creauit eos:* de luto nimirum & coſta. Heb.9.*Tabernaculum non manufactum,ideſt non huius creationis;*quæ creata dicuntur, quia producta ſunt de principio præexiſtente, & inexiſtente.„

Matth. In illis quinque particulis conſidera, vtrum loquar de creatione ſcripturali præciſè,quæ eſt creatio productio: an loquar de creatione ſcholaſtica, quę eſt creatio factio.

Bald. De Creatione ſcripturali præciſè loqueris, quam in 1.§.definiuiſti,in 2.§. Diuiſiſti per creationem ad intra,& ad extra: in tertio §. probauiſti dari creationem ad intra ſcripturalem,& probauiſti per duas ſcripturas Eccli.24.& Prouerb.8. In 5.§. probauiſti dari creationem ſcripturalem ad extra per tres ſcripturas ſapientiæ 11.Gen. 5.Hebr.9. In 4.§. quaſi ordinem interturbans inter creationem ad intra probatam,& creationem ad extra probandam,ſcribis: Filium Dei dici creatum, & hæc eſt tua concluſio.

Matth. Dic obſecro. cum dico Filium eſſe creatum, intelligis ne me dicere creatum à creatione ſcripturali, quam deſcribo: an creatum denominatiuè ab aliqua alia creatione aliter accepta.

Bald. Iam hoc eſſet ineptum,cum de creatione ſcripturali dumtaxat ſis loquutus ante,& poſt loquaris: intelligere creatum denominatiuè à creatione aliquo alio modo accepta.

Matth. Ita quidem eſt. Sed quidam voluntate potius, quàm intellectu ducti,mutilant antecedentia,& conſequentia, quæ ſunt de creatione ſcripturali:& contra fas,atque ius applicant creationem ſcholaſticam, de qua nihil adhuc loquutus ſum. Nunc iterum in mea concluſione cogita, *ſubiectum*,ideſt *Filium Dei*: cogita *prædicatum*, creatum denominatiuè à creatione ſcripturali, quæ eſt productio ex aliquo; & ſcrutare vtrum, ego addiderim ad prædicatum concluſionis, *ad intra, vel ad extra.*

Bald. Non vtique in prædicato concluſionis dixiſti, *ad intra,* vel *ad extra.*

Matth. Cur ergo Licetus,& ſui conſortes mihi attribuunt, quòd non dixi? Differunt genus,& ſpecies: creatio productio eſt genus vel quaſi genus: *ad intra & ad extra,* ſunt duæ ſpecies, vel quaſi ſpecies. Ego in mea concluſione applico genus ad Filium Dei, & pro medio termino accipio definitionē generis,ſcilicet creationis ſcripturalis:

per quam definitionem rectè concluditur creatio ſcripturalis in genere de Filio. Sed neque per ipſum genus, neque per definitionem generis poteſt concludi determinata differentia, vel determinata ſpecies. Si quis autem per genus, vel per definitionem generis velit concludere de ſubiecto aliquo ſpeciem, peccat ſecundum fallaciam conſequentis. Exemplum accipiamus ex Ariſtotele de hiſtoria animalium lib.8. cap.13. car.1026. Sit *Buccinum*, de quo quæratur, an ſit animal: diuidaturque animal per *volatile, aquatile, terreſtre*; ſi accepta definitione animalis arguam, De quo prædicatur definitio animalis, de ipſo prædicatur animal: ſed de Buccino prædicatur definitio animalis, ſcilicet eſſe *viuens ſenſitiuum*, ergo & de Buccino prædicatur animal, à definitione ad definitum rectè arguitur.

Si autem ſic argumenteris: Buccinum eſt animal, aut viuēs ſenſitiuum; ergo eſt volatile, aut auis; falſa eſt concluſio, & argumentum eſt cum fallacia conſequentis à poſitione conſequentis.

Ita in caſu noſtro ſuccedit. Ego nūc argumentor dialecticè ſic. De quocunque prædicatur definitio, de eodem prædicatur definitum; ſed de Filio Dei prædicatur in concreto definitio creationis ſcripturalis: iſta, *eſſe productum non de nihilo, ſed de aliquo*, &c. ergo de Filio Dei prædicatur in concreto eſſe *creatum creatione ſcripturali*. Concludo genus, quòd eſt *creatio ſcripturalis*. Licetus & Maſtrius mihi tribuunt particulam *ad intra*, & arguunt à genere ad ſpeciem cum fallacia conſequentis.

Bald. Omnis creatio productio eſt vel ad intra in Deo, vel ad extra: quam ex iſtis aſſeruiſti?

Matth. Neutram. Genus poteſt conſiderari, non conſideratis ſpeciebus, & affirmari non affirmatis. Genus poteſt coniungi cum vtraque differentia, & eſſe in vtraque ſpecie; nam continet illas poteſtate, non actu. Dixi Filium Dei eſſe creatum, ideſt productum ex aliquo: applicato genere ad Filium, neutram differentiam applicaui. Cur tu mihi hanc potius, quàm alteram tribuis? Quid ſi alter mihi tribuat, quaſi dixerim Filium eſſe creatum ad extra: qua ratione Licetus probabit, me loquutum eſſe de creatione ad intra? Duobus tantum locis in Defenſione egi de Filio, quo pacto dici valeat, vel non valeat creatus.

In libro ſecundo pag.249. 250. 251. Sed illic neque vocabula *ad extra* vel *ad intra* ſunt.

In libro 1. pag.34. vbi ſunt vocabula *creatio ad intra, creatio ad extra.* Sed creatio vt denominans eſt applicata Filio: neutra differentia, vel ſpecies eſt applicata.

Bald. Quantū video, tui impugnatores penè plurima falsò tibi adſcribūt.

Matth. In hac re tui Termaximi termaxima Logica ſplendet; dum quia dixi, Filium creatum cum ſcriptura, concludit me dixiſſe Filium eſſe creatum ad intra.

I Ar-

1 Arguit cum fallacia conſequentis à poſitione generis,quod eſt cõſequens,ad poſitionem ſpeciei,quæ eſt antecedens; vt ſi leoni ineſt animal, ergo ineſt homo.

2 Eſt fallacia à ſimpliciter ad ſecundum quid ſic: eſt animal,ergo eſt animal volatile; Ita nunc: Filius eſt creatus ſcripturaliter,ergo eſt creatus ad intra.

3 Eſt fallacia accidentis,quia genus,& ſpecies habent partialem idẽtitatem,arguere ad totalem. Si Filius eſt creatus,ergo eſt creatus ad intra. quanquam autem productio, & productio ad intra non ſint propriè genus,& ſpecies, ſunt proportionales generi, & ſpeciei.

4 Sub prædicato propoſitionis affirmatiuè non licet deſcendere vt Scotus in 1. prologi. Habet enim ſuppoſitionem confuſam,vel prout alijs placet, ſimplicem,in quo deſcenſu eſt fallacia figuræ dictionis mutando ſuppoſitionem ſimplicem in perſonalem, mutando quale quid in hoc aliquid. Ita Licetus.

Bald. Oportebat profectò accuratius colligere dicta tua,& non imponere tibi dicta non tua;res clara eſt.Quod eſt indeterminatum ad aliqua duo indeterminatione paſſiua,ad neutrum illorum deducit determinatè. Creationem in communi, ideſt productionem attribuiſti Filio Dei, productio eſt indeterminata ad productionem ad intra,& ad extra. Igitur ſi dixiſti Filium eſſe productum, ex hoc non bene deducitur Filium eſſe productum ad intra.

Matth. Ergo Licetus finxit de me particulam *ad intra*, non ego dixi; nimis eſt procliuis ad fallendum.

Obſeruatio Sexageſimaoctaua.

Bald. ET ſi non determinaueris,an Filius dicatur creatus ad intra, vel ad extra; conducibile eſt tamen,& hoc determinare.

Matth. Determinabo,poſtquam explicauero aliquid ſpectans ad facultatem theologicam, aliquid ad logicam.

Bald. Quid ad theologicam?

Matth. Ad theologiam ſpectat regula declarandi propoſitionem ambiguam. quando enim propoſitio eſt multiplex,& poteſt habere ſenſum catholicum, & hæreticum: tunc illa propoſitio non eſt abſolutè proponenda, ſed cum determinatione,quæ excludat ſenſum hæreticum,& includat ſenſum catholicum, vt ſupra dictum fuit.

Bald. Obſeruaſti ne hanc regulam?

Matth. Et maximè,nam in pag.34.defenſionis,diſtinxi vocem *creatio* æquiuocam in duo ſignificata, theologicum, ideſt expreſſum in ſcriptura, & ſcholaſticum in ſcholaſtica expreſſum; ſtatimque cæpi declarare primam ſignificationem. Dic,quæſo,ſi dum ego declaro primum ſignificatum aliquis me velit intelligere in ſecundo ſigni-

 ficato

ficato oppoſito aut in vtroque ſimul: rectè ne is intelligeret?

Bald. Imò prauè, & ſophiſticè, ſic namque eſſet impoſſibile diſtinguere vocem æquiuocam, & accipere vnũ ſignificatum determinatè;quantumuis.n.determines, ſophiſta indeterminatè,aut cõtrariè intelliget.

Matth. Sic diſtinxi creationem, theologicè, & ſcholaſticè,& immediatè cæpi declarare primam ſignificationem,definire,diuidere,applicare, creationem,quæ eſt productio ex aliquo, vt Filius Dei dicatur eſſe creatus, ideſt productus ex aliquo,aut non ex nihilo. Aduerſarij mutilant tilè, addunt, inuertunt ſenſum meum, & me exponunt in ſecundo ſignificato de factione ex nihilo.

Bald. Malè fidei eſt aliena dicta mutilare, augere, inuertere: quod ſine iactura veritatis, & veracitaris non fit.

Matth. Cum creatio ſit vox æquiuoca, & ſignificet vel productionem ex aliquo, vel factionem ex nihilo, in textura ſermonis mei patet, me loqui duntaxat de productione ex aliquo, quando tale ſignificatum creationis applicò Filio Dei;ſed de factione ex nihilo longè poſt ſcribo,nec eam applico Filio Dei, vt legenti patet in meo libro pag.34. & 35. vel in tua epiſtola ad Licetum de ſeptimo quæſitis pag.8.& 9. Si ergo accipiatur creatio in illo ſignificato ſcripturali deſcripto,ſenſus eſt: Filius eſt creatus, ideſt Filius eſt productus ex aliquo (quod eſt ſubſtantia Patris) præexiſtente in Patre à ſe, inexiſtente in Filio, ſed à Patre; quæ propoſitio non ſolum eſt vera, ſed eſt de fide. Non poſui ego propoſitionem ambiguam ſine determinatione, ſed cum præpoſita determinatione, ac declaratione. Si declarationem obtruncant impugnatores, illorum eſt culpa, non mea.

Bald. Si ita eſt, nunquam erit finis declarandi: nam ſi iterum declares, declarationem iterum auferent, atque ita ſemper dicent te abſolutè propoſuiſſe, quod abſolutè non propoſuiſti.

Matth. Aſſentior, vix vnquam infidi fideliter citant.

Bald. An ſublata diſtinctione creationis, & definitione creationis ſimpliciter theologicè, tua propoſitio manet ambigua?

Matth. Non, ſi conſideretur integrè antecedens, & conſequens mei enthymematis. In enthymemate eſt antecedens cum duplici parte.

Prima pars excludit ſenſum hæreticum, & eſt iſta *Filius Dei non eſt productus ex nihilo*. Per hanc partem excluditur ſenſus Arij,& quoad genus Arianæ creationis, quod eſt *factum*, & quoad differentiam, quæ eſt *ex nihilo*. Quoad differentiam patet, expreſsè eam negari in mea prima propoſitione. Quo ad genus,comparentur eſſe *factum*, & eſſe *productum*; *eſſe factum* eſt minus commune, *eſſe productum* eſt magis commune: omne enim factum eſt extra Deum, & nihil intra Deum eſt factum. Sed etiam intra Deum eſt aliquid productum, vt Filius, & Spiritus ſanctus: & quæcunque ſunt extra Deum, ſunt producta à Deo. Quare negata, ratione producti ex

nihilo

nihilo, quæ eſt communior: negata eſt etiam ratio minus comunis facti ex nihilo. Hactenus excluſus eſt ſenſus hæreticus Arij.

Secunda propoſitio mea includit ſenſum catholicum, & eſt iſta. *Filius eſt productus ex ſubſtantia Patris præſuppoſita, & interna ipſi producto.* quæ propoſitio accepta eſt à concilio Niceno docente in ſymbolo, Filium eſſe genitum de ſubſtantia Patris; & rurſum, Filium eſſe conſubſtantialem Patri, quia nimirum eadem numero ſubſtantia eſt in Filio & in Patre, vt filius ſit Deus de Deo, Deus verus de Deo vero. Igitur antecedens mei enthymematis excludit ſenſum hæreticum, & includit ſenſum catholicum de Filio.

Sequitur conſequens ex virtute iſtius antecedentis: *idcirco & dicitur creatus*; nota particulam *idcirco*, ideſt, propter iſtam cauſam excluſiuam creationis Arianæ, & incluſiuam creationis, quæ eſt productio, Filius dicitur creatus.

Bald. Conſpicuè id patebit magis, ſi iuxta regulam Logicæ reſoluatur enthymema in formam ſyllogiſticam.

Matth. Ad Logicam venio. & quamuis in reſponſiua epiſtola primam partem enthymematis reſoluerim in forma, ſicut à viris doctis fuerat reſolutum & Venetijs & Patauij; non credentibus de me Liceto, referenti ineptiſſimam formationem. Nunc quia ſunt duo medij termini, magis communis, *eſſe ex aliquo*, minus communis, *eſſe ex ſubſtantia Patris*, ideò reſolutio in duos ſyllogiſmos iuxta regulas reſolutorias eſt facienda.

1 Syllogiſmus. Omne productum ex aliquo eſt creatum *ſcripturaliter*; Filius Dei eſt productus ex aliquo.

Ergo Filius Dei eſt creatus *ſcripturaliter*.

Maior patet per definitionem datam de creatione, quòd creatio vſitata in ſcripturis eſt productio entis ex aliquo principio præſuppoſito, & interno in re producta.

Minor probatur.

2 Syllogiſmus. Quod eſt productum de ſubſtantia Dei Patris, eſt productum de aliquo: ſubſtantia enim Dei Patris eſt aliquid.

Filius eſt huiuſmodi ex concilio Niceno.

Ergo Filius eſt productus ex aliquo.

Cum igitur ſit de fide, quòd Filius Dei eſt productus de ſubſtantia Patris; & iam à pluribus Theologis trium ſacrarum linguarum peritis obſeruatum ſit, quòd creatio in ſcriptura ſignificat *productionem*: atque ab Auguſtino & Thoma, quòd ſignificet productionem *ex eo, quod eſt; quod eſt*, eſt aliquid: meritò multi Theologi concedunt creationem Filio Dei adſcriptam eſſe productionem, vel emanationem, vt in mea epiſtola pag. 47. legiſti. Martinē. gl. mag. to. 1. pag. 115.

Bald. Si hoc pacto reſoluatur tuum enthymema in ſyllogiſmum, non eſt poſſibile, vt intelligaris de factione ex nihilo: ſed neceſſariò intelligēdus es de productione ex aliquo; nam in prima maiori coniuncto

medio

medio termino cum prædicato concluſionis apparet, quod eſt productum ex aliquo, eſſe creatum: vbi nec ſi fingere velis, potes intelligere, factum ex nihilo.

Matth. Duo ſuperſunt ex falſis à Liceto mihi attributis, quartum de voce, quintum de productione ad intra, quam Licetus Ario adſcribit; hoc vltimum, & quia ſpectat ad rem, prius tractandum eſt, & quia nexum habet cum præcedentibus.

Obſeruatio Sexageſimanona.

Matth. Licetus in pag. 19. lin. 1. affirmat, me omnino verbis communicare cum Ario, dum ſtatuo. Verbum ad intra creatum eſſe. Intelligit verò per *creatum eſſe*, idem quod productum eſſe. Sic enim mihi contradicit: in alio ſignificato non contradiceret. Et in pagina 66. lin. 1. ſcribit de loco Eccl. 24. "*Quæ non animaduertiſſe videtur Arius, neque noua opinio; ponens hoc oraculum haberi de Verbo ad intra producto.*"

Et in pag. 198. lin. 25. de Prouerb. 8. ſcribit. "*Verum enim vero, ſi dare voluerimus Ario ſimul, & opinioni nouæ Salomonem in eo loco prouerbiorum agere de ſola productione ad intra.*" Denique vbicunque me coniungit cum Ario, quod frequentiſſimè facit, coniungit propter iſtam cauſam, quòd dixerim, Filium eſſe creatum ad intra: ſemperque intelligit, quòd Arius aſſeruerit, Filium eſſe productum ad intra.

Bald. Non dubito de mente Termaximi: accuſat enim productionem Filij ad intra, tanquam Arij dogma, & creationem Filij ad intra, intelligit productionem Filij ad intra.

Matth. In hac parte maximè apparet Iudaiſmus nouellus, qui negat in diuinis ad intra aliquam perſonam eſſe productam. Communis error eſt Arij, & Sabellij famulantium Iudaiſmo, quòd nihil productum paſſiuè eſt in Deo ad intra; quare nec Filius, nec Spiritus ſanctus ſunt, vel Deus, vel intra Deum; ſed ſi quid ſunt, extra Deum ſunt. Doleo verò vehementer multos nimis credulos, ex authoritate Liceti credere, quòd in diuinis Filius non eſt productus ad intra. Velat hanc impietatem Licetus ſub odio Arij; taliſque eſt ratio Licetica, quæ concutit animos fidelium. Nullus Chriſtianus debet concedere propoſitiones Arij, ſed eas ſimpliciter negare.

Sed hæc propoſitio, *Filius Dei eſt productus ad intra*, vel creatus ad intra, eſt propoſitio Arij.

Igitur nullus fidelis debet concedere, quòd Filius Dei ſit productus ad intra in Deo, ſiuè quòd ſit creatus ad intra.

Ad refellendam tantam falſitatem, duo præſtare conſtitui. Primum oſtendere, quòd Arius poſuit Filium eſſe creatum ad extra: ſecundum, quòd catholici ponunt Filium eſſe productum ad intra.

Primum

Primum aſſertum. Filius eſt productus ad extra ſecundum Arium. Sit mihi dux D. Thomas 1. p. q. 27. art. 1. docens, quòd Arius, & Sabellius poſuere, omnem proceſſionem, ſiue productionem paſſiuam eſſe ad extra, & nullam in Deo. Catholici verò ponunt in Deo proceſſionem ad intra per actus immanentes intellectus, & voluntatis. Verba S. Thomæ ſunt, &c. *Si quis autem diligenter conſideret, vterque eorum,* (Sabellius, & Arius) *accepit proceſſionem, ſecundum quod eſt ad aliquid extra. Vnde neuter poſuit proceſſionem in ipſo Deo. Sed cum omnis proceſſio ſit ſecundum aliquam actionem: ſicut ſecundum actionem, quæ tendit in exteriorem materiam, eſt aliqua proceſſio ad extra; ita ſecundum actionem, quæ manet in ipſo agente, attenditur proceſſio quædam ad intra; & hoc maximè patet in intellectu, cuius actio, ſcilicet intelligere, manet in intelligente. quicunque autem intelligit, ex hoc ipſo quod intelligit, producit aliquid intra ipſum, &c.* Sic art. 1. Verbum, & art. 3. Amorem produci ad intra ſtatuit in Deo. Legatur ibi Caetan.

Secundus S. Cyrillus, lib. 1. Theſauri cap. 7. affert argumentum Eunomij, præcipui inter Arianos, ſic. „Sed quomodo, inquit Eunomius, non erit neceſſe fateri diminutã eſſe ſubſtantiam Patris, ſi Filius ex ipſa prodit, quaſi pars inde deciſa? Incommutabilitas ergo Patris ſeruabitur, ſi Filius non erit quaſi paternæ ſubſtantiæ pars, neque, ex ipſo Patre, *ſed extra productus*, & coæternus ei ſolummodo ſecundum poteſtatem, quæ in voluntate Patris ſemper erat„ Ita Eunomius. Idem Cyrillus in 3. Theſauri cap. 3. talem præfigit titulũ, Quòd *ex ſubſtantia Patris filius eſt, nec extra productus, vt hæretici aiunt: & quoniam non extra productus, ideò ſimilis Patri eſt.* De hinc initio capituli argumentum Arianorum ſcribit„ Non eſſet, inquiũt, Deus excellẽtior homine, ſi ſicut homo ex ſe ipſo pariat hominem, ſic Deus ex ſe ipſo Pariat Filium. Verùm quoniam ſuper omnem creaturam eſt, non pariet ex ſubſtantia ſua, vt homo Filium, *Sed extra ipſum producet:* non erit ergo &c. Reſpondet fuſius, ſed concludens ait Cyrillus, &c. *Oportet certè intelligere, atque credere, quoniam ad imaginem diuinæ naturæ facti ſumus; id quoque cum multis alijs habere, vt ex nobis poſſimus generare: quoniam & creator Deus ex ſe ipſo generat Filium, nec extra ſe ipſum producit, & ideò etiam ſimilis illi natura in omnibus eſt.* „ Eunomij Cauillus.

Secundò, aliud argumentum Arianorum affert. „ Sed nos, inquiunt, corporei alimenti abundantia, quaſi materia vſi, filios inde generamus: Sicut quando etiam extra nos, quicquam facimus, materia nobis opus eſt. Deus verò, vt cuncta ex nihilo creat, nulla materia indigens, ita nulla in ſe ipſo multiplicatur materia, vt ex ea poſſit Filium parere. Sicut ergo non ex præſubiecta materia creat, ſed extra ex nihilo cuncta producit. Sic ex ſe ipſo generare Filium non poteſt. Non erit ergo Filius naturaliter Patri ſimilis, quoniam ne- Argumẽtũ Arianorum.

que

que ex ſe ipſo, ſed extra ipſum, ab ipſo productus.„ Videat Licetus anteceſſores ſuos Arianos aſſerere Filium eſſe productum ad extra, eoſdemque ponere creationem ex nihilo. Ad hoc argumentum Cyrillus diffuſè reſpondet. Colligam duo dicta, vt Licetus videat, anteceſſores meos negauiſſe Filium eſſe productum ad extra, *Quomodo*, inquit Cyrillus, *igitur ò ingenioſiſſimi vos, vnigenitus eſſe Filius ſcribitur, ſi etiam ipſe veluti creatura creatus ad extra eſt? aut quomodo verè Filius, qui ex ſubſtantia genitoris non effulſit? Nam ſi poſſibile eſſet, quæ ex nihilo, ideſt ad extra producta ſunt, Filios naturaliter appellari, non eſſet Vnigenitus Filius Verbum Dei, cum in hoc cum omnibus creaturis conueniat: ſin autem poſſibile non eſt, ſed ſolus Vnigenitus eſt, Filius Dei: non vt creatura, à non eſſe ad eſſe vocatus eſt, ſed ſicuti verè filius ex Patre prodijt.„* Et ibi plura, concludit enim in ſingulis argumentis, Filium non eſſe productum ad extra.

Secundum dictum Cyrilli„ *Quod igitur propriè generat ex ſe ipſo Deus eſt: cætera ad imitationem illius id faciunt. Quomodo igitur non abſurdum eſt dicere, creaturas, quæ Deum in hoc imitantur, filios ex ſe ipſis parere: & exemplar illud, ad quod creatæ ſunt, non generare ex ſe ipſo, ſed ad extra Filium ſuum produxiſſe?* „Idem Cyrillus in 12. Theſauri cap. 15. car. 63. A.„ *Quare cum Pater iubeat, vt non aliter colamus Filium ſuum, quam ſe ipſum: non erit filius creatura, nec ad extra ex nihilo productus, ſed ex ipſo Patre natus.„*

Et in eodem cap. ad finem.“ *Non conſiderant profectò hæretici, quæ differentia ſit inter creaturam, & Filium; Creatura enim non eſt ex ipſa. Creatoris ſubſtantia, ſed ad extra producta. Quod verò ex aliquo naſcitur, & ex ipſa natura eius, hoc ipſum à ſimilitudine creaturarũ ad Deum commodè reducere debemus: & ſic à noſtris diuina rectè intelligemus*„ Creatorem, & creaturam accipit Cyrillus eſſentialiter contra Arianos, qui ponebant diſtinctionem eſſentialem inter Patrem, & Filiũ, & Spiritum ſanctum. S. Athanaſius de decretis Nicenis car. 254. refert Arij dictum„ *Creatura ſiquidem & factura eſt Verbum externum, diſſimile Patri, quantum ad ipſius ſubſtantiam pertinet.*„

Ruffinus lib. 1. hiſtor. cap. 5. de Concilij Niceni actis„ *Verùm poſt diutinum, multumque tractatum, placet omnibus, ac velut vno cunctorum ore, & corde decernitur* ὁμοούσιον *ſcribi debere; ideſt eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ, Filium confiteri; idque firmiſſima omnium ſententia pronuntiatur. Decem, & ſeptem ſoli tunc fuiſſe dicuntur, quibus Arij fides magis placeret, extrinſecus creatum Dei Filium ex nullus ſubſtantibus, & non ex ipſa Patris Deitate progenitum confirmantes.„* ὁμοούσιον

Creatum ad extra, ſiuè extrinſecus eſſe Filium Dei Arius aſſerebat. Patet igitur quantum aberrant à veritate, qui dicunt ſecundũ Arium Filium eſſe productum, vel creatum *ad intra*. Qui dicunt eſſe manifeſtum Arianiſmi periculum dicere, Filium eſſe creatum *ad intra*. *Ad intra* eſt nota, & ſignum catholicorum, ſicut & homouſion; Ad

extra

extra Arianorum, ſicut & homæuſion. Duoſque errores grauiſſimos aſſerunt. Vnum,quia non determinant æquiuocationem vocis *creatum*. Secundum,quia tribuunt Ario,creatum, vel productum ad intra,cum Arius dicat creatum, & genitum ad extra.

Bald. *Creatum ad extra. Productum ad extra*,eſt communis teſſera Iudæorum, Sabellianorum, Arianorum, qui nullum productum ad intra in Deo:omne productum ad extra ponunt in creaturis, accepto nomine creatoris, & creaturæ eſſentialiter, vt eſt reſpectus eſſentiæ ad eſſentiam.

Matth. Ita S.Cyrillus 9. Theſau.cap.1." *Nam filij vocabulum genitum,natumque ex Patre ſignificat: creatura verò ad extra productum.*" & 6. Theſau.cap.vltimo." *Creator enim ad extra producit, genitor verò ex ſe ipſo generat.*" Sic neceſſarium erat accipere terminos contra Arianos dicentes, aliam eſſe eſſentiam Patris, aliam Filij, teſte S. Auguſtino de hæreſibus, hæreſ.49. & Ruffino in 1.hiſtor. cap.1.

Bald. Si Arianorum, & Iudæorum eſt dicere *Filium eſſe* creatum *ad extra*: ergo catholicorum eſt, Filium affirmare eſſe productum ad intra, creatum ad intra.

Matth. Ita eſt. Sed vocabulum *creatus*. propter æquiuocationem eſt diſtinguendum,vt ſæpè diximus. Quod ſi etiam abſolutè *creatum ad intra* dixeris, vox *creatum* diſtrahitur per repugnantiam *in adiecto*: ſicuti quando dicitur *homo mortuus*, additum *mortuus* diſtrahit, ſeu deſtruit rationem hominis: neque genus, quod eſt *animal*, neque differentiam, quæ eſt rationale,relinquens in homine. Ita,quoniam nil, quod eſt ad intra in Deo, poteſt *eſſe factum*, poteſt eſſe *nihil*: ideò dicendo *creatum ad intra* per hoc additum, deſtruitur genus creationis Arianæ, quod eſt eſse *factum*, deſtruitur differentia, quæ eſt *ex nihilo*. Sicut ergo concedimus de Socrate, quòd eſt homo mortuus: ſic de filio poſſumus concedere, quòd eſt creatus ad intra. Tutiſſimum tamen eſt præmiſſa diſtinctione vocabuli dicere *Si creauit eſt produxit ex aliquo*,Filius eſt creatus ad intra,quia productus ex ſubſtantia Patris, quæ eſt aliquid. *Si creauit eſt fecit ex nihilo*, iam diu definitum eſt à S.Dionyſio Rom. quod *creauit* applicatum à ſcriptura Filio,non eſt *fecit*. Qui autem non vult ſcire publicum Eccleſiæ decretum in hac re (vti Licetus, non vult ſcire, decretum S.Dionyſij *Papæ* in concilio Romano, Liceto etiam ſcripto datum à me ante quatuor annos) ſibi imputet ignorantiam affectatam.

Bald. Nonne ad intra, & ad extra ſignificant, identitatem, vel diſtinctionem eſſentialem?

Matth. Etiam. Accipe S.Epiphanij dictum ex Ancorato impreſſionis Pariſienſ.1612. ad col.932." *Filius coeſſentialis Patri, non ſynuſios, hoc eſt ſimul eſſentiam habens, ſed homouſios, ideſt coeſſentialis, hoc*

eſt non extra Patrem genitus, velut quidam per cauillum dicunt, adoptione volentes eſſe Filium, non veritate. Vide etiam Epiphan. hæreſ.69. colum.619.D.& colum.634.E.

Bald. Audio: *coeſſentialis,* hoc eſt, *non extra genitus.*

Matth. S.Athanaſius de decretis Nicænis cap.259. ait de Deo. „*Et in omnibus eſt ſecundum ſuam bonitatem & poteſtatem: idemque extra omnia eſt ſecundum ſuam propriam naturam.* „Si ad identitatem naturæ aſpicias, Deus eſt extra omnia, & omnia extra Deum. quoniam eſſentia Dei diuerſa eſt ab eſſentia omnium cauſatorum, & è contra. Si ad immenſitatem naturæ diuinæ, Deus eſt intra omnia, & extra omnia: intra non incluſus, extra non excluſus: totus intra, totus extra propter ſimplicitatem: non totaliter intra, non totaliter extra propter immenſitatem. Res autem cauſatæ omnes ſunt intra immenſitatem Dei, nulla eſt extra. Sed reuertamur ad Epiphanium & Athanaſium, qui docent intra, & extra ſignificare identitatem, vel diuerſitatem naturæ.

Diſtinctio hæc, qua conſideratur Deus ad intra, & ad extra, ortum habet à diuina Scriptura 1.Reg.2. "*Non eſt Sanctus vt eſt Dominus, neque enim eſt alius extra te.* Intra Deum vnum in eſſentia, alius eſt Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus: ſed extra Deum non eſt alius Deus.

Iſaia 45. *Ego Deus & non eſt amplius: extra me non eſt Deus.* Quod eſt intra Deum, eſt Deus; quod eſt extra Deum, non eſt Deus. Ita quoque S.Auguſt. lib.3. contra Maximinum cap.23. adhibet vocem *præter* ad hunc ſenſum. *Videte, quod ego ſum ſolus, & non eſt alius præter me.* Filius enim, & Spiritus Sanctus non ſunt alius præter Deum. Quia igitur Filius eſt verus Deus 1.Ioan.5. Spiritus ſanctus eſt verus Deus Act.5. ideo in vno ſolo vero Deo ad intra ſunt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Itaque, quæ ſunt idem eſſentialiter cum Deo, dicuntur eſſe ad intra; quæ diuerſa eſſentialiter, dicuntur ad extra. Explicando verò ad propoſitum, Arius poſuit diuerſam eſſe eſſentiam Filij ab eſſentia Patris. Teſtis eſt Auguſtinus de hæreſibus hæreſi 49. "*Ariani, inquit, ab Ario, in eo ſunt notiſsimi errore, quo Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum nolunt eſſe vnius, eiuſdemque naturæ, atque ſubſtantiæ, aut vt preſsius dicatur, eſſentiæ, quæ vσια græcè appellatur? Sed eſſe Filium creaturam, Spiritum verò ſanctum creaturam creaturæ, hoc eſt ab ipſo filio creatum volunt,*„Creaturam accipiunt Ariani pro re producta ad extra.

Bald. Patuit hactenus Arianos poſuiſſe Filium eſſe productum ad extra, factum ad extra, & creatum ad extra, ſicut & Iudæi dicunt. Nunc ſupereſt oſtendere negatiuam, ideſt filium non eſſe productum ad extra, atque adeò ad intra; quanquam & hoc in parte ſit præſtitum.

Aſſertum Secundum.

Matth. **S**It ſecundum aſſertum pro catholicis. Filius Dei non eſt productus ad extra, ſed ad intra.

Bald. Vnde incipies probationem.

Matth. A Diuo Thoma in 1.p.q.28. art.4. „ *Vnde relinquitur, quòd relationes reales, in Deo non poſſunt accipi, niſi ſecundum actiones, ſecundum quas eſt proceſſio in Deo intra, ſed non extra; huiuſmodi autem proceſſionem ſunt duæ tantum: quarum vna accipitur ſecundum actionem intellectus, quæ eſt proceſſio Verbi, alia ſecundum actionem voluntatis quæ eſt proceſſio Amoris* „.

S. Bonauentura in 1.d.19.q.2. num.19.& 20. „ *Vnde notandum, quòd duplex eſt diffuſio, ſcilicet intra, vel extra; diffuſio intra eſt, quando perſona procedit à perſona in vnitate naturæ, & hæc non eſt propriè diffuſio: & hæc non conſequitur bonum, quia bonum, ſed bonum in hypoſtaſi, quæ aliam producere nata eſt, & ideò ſecundum hanc diffuſionem non dicitur vna perſona melior altera. Eſt alia diffuſio extra, quæ attenditur in productione effectus; & ſecundum hanc rationem attenditur diffuſio propriè, & ratio boni. Et quia in hac vna perſona alteram non excedit, quia indiuiſa ſunt opera Trinitatis, ideò hæc non eſt vna melior.* „ Similia S. Bonauentura in 1.d.10. q.1. tradit docens, Filium, & Spiritum ſanctum, non eſſe productum extrinſecus, ſed ad intra.

Scotus in 1.d.2. q.7.H. „ *Non eſt producens perfectum in ratione producentis, niſi ſit neceſſariò producens, producens autem primum non poteſt eſſe neceſſariò producens aliud à ſe, & ad extra, ſicut dicetur diſt. 8. q. vlt. ergo ad intra. Similiter arguitur de productione naturali, quia productio naturalis eſt prima productio; ergo competit primo producenti. Non autem competit primò producenti ad extra, vt patebit aliàs, ergo ad intra.* „

In eadem diſput. ad M. „ *Igitur ſunt tantum duo principia productiua alterius rationis in primo productiuo. hæc autem ſunt productiua ad intra probatio. Memoria perfecta eſt productiua ad intra per modum naturæ, &c.* ita ponit duo principia productiua ad intra, duas productiones ad intra, duo producta ad intra Filium, & Spiritum ſanctum in illa q.7.

Idem Scotus in 1.d.28.q.2. §.de 2. art. Arguit contra fontalem plenitudinem ſic. „ *Iſta fontalis plenitudo non intelligitur ad extra, quia talis fœcunditas eſt communis tribus; ſed intra non eſt in Patre, niſi duplex fœcunditas, ſcilicet ad generandum & ſpirandum.* „ Et omnino multis locis Scotus productionem perſonarum ad intra memorat vt quolib. 1. quolib. 7. quolib. 8. & 14.

Dionyſius Carthuſianus in 1.q.8. q.5. car.193. col.1. cum S. Bonauen-

tura ſtatuit in Deo emanationem ad intra. Baccon. 1.d.7. q.1. car. 147. col.1. & 2. in §.3. Biel in 3.d.9. q.2. dub.4. Molina 1.p.q.27. diſp.1. Auerſa eadem quæſt. ſect.3. & alij ſcholaſtici paſſim. Tolet. in Ioan.1. col.7. & 8.

Bald. Probè à ſcholaſticis probaſti, nonne, & à Patribus poſitiuis idem comprobabis?

Matth. Duos ex Patribus, qui ſpecialiter aduerſus Arianos diſputarunt, aſſumam S.Hilarium, & S.Cyrillum.

Bald. Quid ex Hilario?

Matth. S.Hilarius duodecim libros de Trinit. contra Arianos exarauit. In ſeptimo libro, agens de vnitate Deitatis in Patre, & in Filio docet naturam Filij non eſſe extraneam à natura Patris. "*Habet igitur hoc ſacramenti ſola natiuitas, vt complectatur in ſe, & nomen & naturam, & poteſtatem, & profeſſionem, quia vniuerſa natiuitas non poteſt non in ea eſſe natura, vnde naſcitur. non affert externi generis ſubſtantiam, qua ex vno non ſubſiſtit alterum.*" Igitur Filius non habet naturam externi generis à natura, & ſubſtantia Patris.

Inſuper exponit illud Ioannis 10. *Ego, & Pater vnum ſumus,* de vnitate naturæ diuinæ in Patre & Filio. Hinc inſurgit contra Iudæos, & hæreticos, qui aſſerunt Filium Dei non eſſe Deum. " *Ille* (Iudæus) *dicit Cum ſis homo:* tu (hæretice) *dicis. Cum ſis creatura:* vterque autem dicitis, *facis te Deum. hoc commune in eum impij veſtri oris, opprobium eſt; negas enim Deum ex generatione Dei, negas Filium ex natiuitatis veritate: negas hoc quod, Ego & Pater vnum ſumus, confeſſionem in vtroque vnius atque conſimilis eſſe naturæ. Subijcis ſubſtantiæ Nouæ, & Externæ, & Alienæ Deum, vt aut alterius generis Deus ſit, aut omnino nec Deus ſit.*"

Bald. Iudæo & Ariano tria obicit, quòd Filio tribuant naturam, nouam, externam, alienam; quo tendunt iſta?

Matth. Dei ſubſtantia eſt æterna; qui negat à Filio Dei ſubſtantiam Dei, negat ſubſtantiam æternam, tribuit nouam. Quia nihil extra Deum fuit ab æterno, ſed de nouo cœpit in ſæculis vel temporibus; quidquid Licetus dicat, aſserens Virginem Matrem ab æterno fuiſſe creatam, & poſſeſſam.

Dei ſubſtantia eſt interna Patri Deo: omnis alia ſubſtantia externa eſt. Qui negant Filium eſse ad intra productum; Filio externam eſſentiam tribuunt. Sic Iudæi, ſic Ariani. Ita Licetus, qui negat Filium eſse productum ad intra, negat in Filio ſubſtantiam Patris eſſe internam, atque dat Filio ſubſtantiam externam.

Dei ſubſtantia eſt Deo propria, omnis alia ſubſtantia eſt à Deo aliena. Qui negant propriam eſsentiam Patris Dei, eſse propriam Filio Deo, hi alienam à Deo ſubſtantiam Filio adſcribunt; Ita Licetus, qui negat intra eamdem eſsentiam eſse Filium cum Patre, ponit alia iam eſsentiam in Patre, aliam in Filio. In hoc fortaſse differt à Iudæis

dæis & Arianis antiquioribus, quòd Licetus ponit eſsentiam Filij æternam, illi nouam; nam poſteriores Ariani, vt *Maximinus*, poſuere Filium coæternum Patri, ſed tamen habere eſsentiam extraneam, & alienam à Patris ſubſtantia.

Bald. Vis amplius de Hilario dicere?

Matth. *Maximè.* In eodem lib.7. de Trinit. car.36. E. ſcribit de Filio. "*Si non opera Patris facit, non credendum eſt ei, profitenti, Dei eſſe ſe Filium. non habet ergo natiuitas Nouam, Externumque naturam. Quia per id Filius eſſe credendus eſt, quod opera Patris efficiat. Quid hic adoptio, quid indulgentia nominis loci inueniat, ne ex natura Filius Dei ſit, cum Dei Filius ex naturæ paternæ operibus credendus ſit? Non exæquatur, aut ſimilis eſt Deo creatura, neque ei natura poteſtas comparatur. Sola ei natiuitas Filij non impropriè per ſimilitudinem creditur æqualis, Nam quicquid extra eum eſt, cum contumelia ei honoratæ virtutis æquabitur.*" Sed Filius eſt æqualis Patri: ergo non eſt extra Patrem, non habet nouã, & externã naturã à natura Patris. Et eadem pag.36.H. *Omne enim in ſe Filius habet naſcendo, quod Dei eſt; & idcirco opus Filij, opus Patris eſt. quia natiuitas, nec extra naturam eam eſt, ex qua manat, & naturam eam in ſe habet, vnde ſubſiſtit.*

Bald. S.Hilarius cum cæteris conſentit Filium Dei non eſſe natum ad extra. ad intra igitur.

Matth. Profectò omnis productio, vel eſt in Deo ad intra, vel ad extra; tunc productio eſt ad intra, cum producẽs & productum ſunt vnius & eiuſdem numero eſſentiæ diuinæ. Talis eſt productio Filij, talis Spiritus ſancti: quia Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt intra vnam & eamdem numero Deitatem, indiſtinguibilem, impartibilem, immultiplicabilem; Productio ad extra eſt, quando producens eſt vnius eſsentiæ, productum alienæ eſſentiæ. Vt Geneſ.2. *Produxit Deus de humo omne lignum, pulchrum viſu*; ſed alia eſt eſſentia Dei producentis, alia ligni producti. Hoc pacto quæcunque ſunt eſsentialiter diſtincta à Deo, à Deo producta ſunt ad extra.

Bald. Profer, vt pollicitus es Cyrillum.

Matth. S. Cyrillus Alexand lib.9. in Ioan. cap.38. car.268. D. ſcribit. "*Nam cum vna in Patre, & Filio, & Spiritu Deitas ſit, omnis ſermo Patris, & omnia opera Patris, per Filium in Spiritu ſunt: aguntur tamen quaſi à Patre, non enim eſt extra genitoris ſubſtantiam Filius, ſed neque Spiritus ſanctus.*"

Et lib.1. in Ioan. cap.22. car.116.B. "*Quum enim vnum ſit ſecundum naturam Deus, vt Pater, non erit extra naturam Dei Verbum, quod ex eo & in eo*, &c.

Porrò Cyrillus multis Theſauri libros compoſuit aduerſus hæreticos: ſed qui extant quatuordecim, omnes ſunt contra Arianos, & ſæpe quidẽ fortiſſimus ille catholicæ Fidei defenſor in eis libris negat

Filium

Filium eſſe ad extra productum, ad extra creatum, ſed in decimotertio libro frequenter, & Filium, & Spiritum ſanctum negat eſſe productos ad extra, contradicens Arianis aſſerentibus, eſſe productos ad extra.

B.Hieron. in caput 26. Iſaiæ tom.4. lib.8. car.122. G. declarans verba LXXII. Domine extra te, aliũ neſcimus, ait. "Quodque ſequitur: Domine abſque te alium non nouimus, non excludit Filium, ſed iungit Patri: neque enim dixit alium non nouimus, ſed extra te, alium non nouimus. Cum autem dicat Filius: Ego in Patre, & Pater in me, Extra Patrem non nouimus Filium, quia in Patre cognoſcimus eum.„

Poſtremò S.Ambroſius tom.4. ex impreſſione Rom. cart.71. cap.11. ſuper ſymbolum Apoſtolorum ait, "Quia æternus Pater, Filium genuit coæternum, nec *extrinſecus natum*, aut *factum*, vt hæretici mentiuntur, ſed ex propria ſubſtantia Patris generatum vera fides habet. „& ibi plura.

Bald. Satis eſſe videtur ex Patribus, & ſcholaſticis citatis.

Matth. Satis citaui. Nunc excito Chriſti fideles ad conſiderandum infidam fidem Liceti, & quorumdam conſortium eius, qui per totam hanc Vrbem Patauinam, & voce & ſcripto integrum triennium proclamarunt, quòd hæc propoſitio: *Verbum eſt productum ad intra*, ſit hæretica, & Ariana. Nunc libros editos ſuos volitare faciunt per Germaniam, Galliam, per totam Italiam, quibus libris hæretica prauitas proſeminatur, quòd Filius Dei eſt productus ad extra, non ad intra; quòd dicere Filium eſſe productum ad intra ſit Arij hæreſes, quod aſſerere Filium eſſe creatum ad intra (loquendo de productione ex ſubſtantia Patris) ſit manifeſtiſſimũ Arianiſmi periculum; quòd Filius eſt creatus creatione eſſentialiter diſtincta à Deo, & alia multa fidei catholicæ repugnantia, vt quòd Filius non ſit ex eſſentia Dei interna ſibi, non habeat à Patre eſſe ſimpliciter, non ſit Deus, ſed extra Deum: quare nec Trinitas perſonarum remaneat chriſtianis credenda.

Bald. Planè perniciosũm eſt dogma, negare Filium Dei eſſe productum ad intra, aut affirmare eſſe productum ad extra.

Matth. Si cogitarent eſſe decretum à S.Dionyſio in concilio Romano, quòd Deus creauit Filium, ſed non fecit. In concilio Orientali apud S.Hilarium, quòd de Filio intelligatur, Dominus *genuit* me, Dominus *creauit me*: ſi cogitarent ſenſum antiquorum Patrum, & recentiorum Theologorum, ſtatim commoueretur animus ad quærendum: ſi Filius Dei eſt productus, (quia eſt genitus, ſed non factus) aut eſt productus ad intra in Deo, aut ad extra; aut ex nihilo, aut ex aliquo. Si dicerent, illa concilia, & Patres decreuiſſe, quod Filius ſit productus ex nihilo, aut ad extra: ſtatim deteſtabilem hæreſim impudenter concilij, & Patribus imponerent, quo pudore coacti fortaſsè ad veritatem redirent, atque cum iſtis Patribus & tene-

rent,

rent, & dicerent, Filium eſse productum ad intra, creatum, & genitum ad intra, loquendo de illa creatione, quam Spiritus ſanctus apcanit Filio in ſcripturis: atque in Patribus, & concilijs explicauit. Arius vna ſcintilla fuit, ſed quia non ſtatim extincta eſt, per totum orbem flamma eius populata eſt.

Bald. Hoc ſuperiorum ex authoritate, doctorum ex ſcientia facere intereſt, ſcilicet extinguere flammam increſcentem.

Matth. Piè, & prudenter mones; propterea nunc paucis aſſertis breuiter obſiſtam: & fontes ad extinguendam hæreſim, quæ aſſerit Filium non eſſe Deum, nec productum ex ſubſtantia Patris intra Deum, indicabo.

PRIMVM ASSERTVM.

Filius Dei eſt Deus.

Filium Dei eſſe Deum, probare incipio paucis. Quæ ſi ſufficere cognoſcam adhoc, vt Licetus ad veritatem Chriſtianæ fidei redeat, & ad fidei confeſſionem: lætabor cum angelis ſuper peccatore pænitentiam agente. Si autem pergat aſſerere, quod Verbum non ſit productum ad intra, ſed ad extra, & conſequẽter quòd Verbum non ſit Deus, & verus Deus, ſed factura Dei, & mera creatura: tunc non deero, & veritatem Deitatis in Verbo oſtendere, & falſitatem Iudaicam pro viribus à Domino donatis confutare.

Sit igitur primum argumentum ex nouo Teſtamento. Ioan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* In hac tertia clauſula, Verbum aſſeritur eſſe Deus abſolutè, & ſimpliciter. Poteſt autem legi vel directè per prædicationem formalem ſic; *Verbum erat Deus*, vel conuerſim, *Deus erat Verbum*, per prædicationem identicam; atque vtroque modo legendo ſeruatur vera Deitas in Verbo, & vera Deitas in Deo, apud quem eſt Verbum. Idem eſt Deus, vnus eſt Deus impartibilis, & in Verbo, & in perſona, apud quam eſt Verbum; vnde conſtet, vnitas Deitatis exiſtens in Verbo & exiſtens in Patre, apud quem eſt Verbum. Conſtet item dualitas perſonarum, Verbi ſcilicet, ac perſonæ Patris mentaliter producentis Verbum.

Bald. Eſt ne idem Filius, & Verbum?

Matth. Arius prius, & Eunomius poſterius diſtinxerunt, Filium Dei à Verbo intimo, & à ſapientia Dei, prout S. Cyrillus lib. 1. in Ioann. cap. 4. & Athanaſius de decretis Nicenis, & alibi reprobant. Sed nunc non eſt difficultas cum Liceto, quantum capio, Verbum enim Dei, & Filius Dei idem ſunt; & patet conferendo Trinitatem poſitam *Matt. 28. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, atque in 1. Ioa. 5.

Tres

Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus; & hi tres vnum ſunt. Eadem ergo perſona eſt Filius & Verbum, ſed connotat nomine Verbi expreſſionem à dicente per intellectum fœcundum; nomine Filij, generationem à viuente intellectuali.

Bald. Cur Euangeliſta poſuit conuerſam *Deus erat Verbum*, non directam *Verbum erat Deus*?

Matth. Propoſitio particularis, & ſingularis conuertitur conuerſione ſimplici. Siuè ergo dicas, Deus erat Verbum, infertur, Verbũ erat Deus: ſiue dicas, Verbum erat Deus, infertur, Deus erat Verbum, ſicuti docent ſummuliſtæ, & probatur ab Ariſtotele in 1. Priorum cap. 2. Euangeliſta verò propoſitiones ſuas voluit connectere, vt finis præcedentis eſſet principium ſequentis propoſitionis, ſic. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; Vt ſimul & ſacratiſſima arcana, & elegantiſſima oratione ſcriberet. Maneat ergo nobis, quod Verbum eſt Deus, ſed Filius eſt Verbum ex probatis: ergo Filius eſt Deus; non igitur eſt extra Deum, ſed intra: non productus extra Deum, ſed productus eſt ad intra, & genitus ad intra, & creatus ad intra, accepta creatione in catholico ſenſu ſcripturæ, & Patrum; productum ad extra Filium, & creatum ad extra Iudæi, & Ariani ſentiant; catholici aſſerant productum ad intra in Deo.

Secundum argumentum. in 1. Ioan. 5. 20. "*Scimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio eius. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.*" Apertiſſima ſcriptura eſt, verus Filius Dei, eſt Deus, & Deus verus: & audebit aliquis nomine Chriſtiano palliatus negare Filium Dei eſſe Deum? & ponere Deum extra Deum eſſe productum? Vnus eſt verus Deus immultiplicabilis ſecundum eſſentiam, ſed multiplicabilis ſecundum perſonas; perſona Patris eſt verus Deus, perſona Filij eſt verus Deus, nec ſunt alius, & alius Deus, licet alia ſit perſona Patris, alia filij intra vnum Deum, extra quem non eſt Deus.

Tertium argumentum S. Paulus ad Rom. 9. & 5. *Quorum* (Iudæorum) *Patres, ex quibus eſt Chriſtus, ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus.*" Ergo Chriſtus ſecundum carnem, conſideratus, eſt ex hominibus homo: ſed ſecundum Deitatem eſt ex Deo benedicto Deus benedictus ſuper omnia, cum quibus & Spiritus ſanctus, hoc eſt tres perſonæ, ſunt vnus, & idem Deus benedictus.

Quartum argumentum. Ad Tit. 2. 12. "*Sobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.*" Fideles poſt aduentum Spiritus ſancti, iam diu tranſactum, non expectant, niſi aduentum Filij Dei; de quo in ſymbolo, Inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos; idem eſt ſaluator, & iudex. Venit enim ad ſaluandum in pri-

mo aduentu, veniet ad iudicandum in ſecundo aduentu. At quis eſt iſte, cuius aduentus expectatur? Eſt Deus, & magnus Deus, vt in Pſal.134. *Quoniam ego cognoui, quòd magnus eſt* Dominus, *& Deus noſter, præ omnibus dijs*. Ergo Filius Dei, qui Saluator & Iudex, eſt Deus, & verus Deus.

Repetam demonſtrationem Deitatis in Chriſto, quam Chriſtus ipſe fecit Ioan.10.24. " *Circumdederunt eum Iudæi, & dicebant ei. Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. Reſpondit eis Ieſus. Loquor vobis*, & non creditis. *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me*. Et infra. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; ſi autem facio, & ſi mihi non vultis* credere, *operibus credite: vt cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre*. Quaſi diceret; facilè poteſt aliquis homo dicere, Ego ſum Filius Dei, ego ſum Deus. Sed nemo poteſt opera Dei facere, niſi Deus: nemo facere opera Dei Patris, niſi Deus Filius. Ex effectu per ſe cognoſcitur cauſa: opera & effectus, quos ego facio, ſunt opera & effectus Dei veri ſolius: ergo ex operibus credite me eſse verum Deum, verum Dei Filium, atque me veraciter dixiſse Ioan.5. *Quæcumque ille* (ſcilicet Pater) *fecerit, hæc & Filius, ſimiliter facit*. Facit Pater, facit Filius; non aliqua Pater, aliqua Filius, (ſed) *hæc* eadem: non multa Pater, non pauca Filius, ſed quæcumque Pater facit, hæc filius facit: & quęcumque filius facit, hæc Pater facit: non aliter Pater, aliter filius, ſed *ſimiliter* propter vnitatem eiuſdem effectionis. Ita credimus nos Chriſtiani, dicentes, Credo in Deum Patrem Omnipotentem, factorem cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium; & in vnum Dominum, &c. & in Spiritum ſanctum Dominum; non tres Dominos, ſed vnum Dominum, non tres Deos, ſed vnum Deum, non tres omnipotentes, ſed vnum omnipotentem. Ita vt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſub vna ratione eſsendi ſimpliciter; ſub vna potentia operatiua ſimpliciter ſub vna [illegible]ratione operandi ſimpliciter eliciant ſimiliter, & indiuiſè omnia opera ad extra; ſed nulla iſtarum perſonarum ſit extra Deum, omnia verò opera Trinitatis ſint extra Deum, quia non ſunt Deus.

Si verò Aduerſarius aliquis, Iudæorum fautor non acquieuerit his authoritatibus noui teſtamenti. Totidem addam ex veteri teſtamento, quibus manifeſtem Meſſiam, nempè Chriſtum, & Saluatorem, eſse verum Deum.

1 Argumentum. Iſaia 35. *Deus ipſe veniet & ſaluabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum & aures ſurdorum patebunt, tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum*. Promittit Iſaias Saluatorem venturum, qui non erit pura creatura, ſed Deus ipſe. Simulque prædicit ſigna diuini aduentus. Vt & Deum Salua-

Aa torem,

torem, & ſigna Dei Saluatoris conferendo: poſſent homines illum Saluatorem, qui Deus eſt, cognoſcere. Signa ſunt, cæci illuminati, ſurdi audientes, muti loquentes, claudi ſalientes. Atque Deus ipſe Saluator ad oſtendendum ſe veniſſe, hæc ſigna fecit, & ea repetens ait, Matth.11. *Renuntiate Ioanni, quę audiſtis, & vidiſtis; Cæci vident, claudi ambulant, leproſi, mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgũt,* Hæc opera, ſunt opera ſolius Dei, & veri Dei; ſed Chriſtus Dominus hæc opera publicè, & ſæpè operatus eſt: ergo Chriſtus eſt Deus, & verus Deus; atque Meſſias venturus, vt Saluator, eſt Deus ipſe.

2 Argumentum. Baruc 3. tractat de doctrina ſupernaturaliter reuelata, atque docet, eam à ſolo Deo hominibus inſpirari potuiſſe. Aitque « *Hic eſt Deus noſter, & non extimabitur alius ad eum. Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit eam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in teſtis viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Duos ſtatus conſidera, alterum, quo Deus per inuiſibilem reuelationem doctrinam ſalutarem reuelauit hebræis; alterum, quo per viſibilem reuelationem ipſe, qui non videbatur, viſus eſt, & homo inter homines conuerſatus eſt; idem eſt Deus noſter, qui omnem ſcientiam inuenit: qui reuelauit non viſus in veteri teſtamento, reuelauit viſus in nouo teſtamẽto. Igitur Meſſias debuit eſſe homo, & Deus, Idem Deus Iſrael Deus verus. Conferatur hic textus Baruchi cum textu Iſaiæ 45. « *Accedite ad me, & audite hoc; ex tempore antequam fieret, ibi eram; & nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritus eius. Hæc dicit Dominus Redemptor tuus Sanctus Iſrael docens te vtilia, gubernans te in via, qua ambulas.* »

A terris

Bald. Hic oportet tres perſonas intelligere, prima eſt *Deus mittens*, ſecunda eſt *Spiritus Dei* mittens. Tertia perſona eſt miſſa. Verùm opus eſt exponere conditiones perſonæ miſſæ.

Matth. Perſona miſſa dicit ſe eſſe *Dominum, ſe Redemptorem, ſe Sanctum Iſraelis, ſe doctorem vtilium, ſe gubernatorem* viatorum. Se antequam fieret tempus, *fuiſſe* ibi, videlicet vbi, & Deus mittens, & Spiritus mittens erant, Meſſias eſt ille, & mittendus & miſſus, ipſe eſt Redemptor, ipſe Doctor ſalutis, ipſe gubernator; Doctor inquam, qui prius inuiſibiliter docuit, poſtea miſſus docet viſibiliter; Et ipſe eſt Dominus, ipſe eſt Sanctus Iſrael, ſcilicet Deus. Ergo Meſſias debuit eſſe Deus.

Tertium Argumentum. In pſal.44. legimus. *Sedes tua, Deus, in ſæculum ſæculi: Virga directionis, virga regni tui.*

Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lętitię, prę conſortibus tuis. Propheta Deum alloquitur, vt in primo verſ. *Deus* eſt vocatiui caſus; Deoque huic tribuit vates tùm regiam ſedem, tùm regiam virgam, ſed rectam, ac directiuam. In 2. verſ. bis eſt vox *Deus*; prima vice in caſu vocatiuo, prout aduertunt

uertunt S.Hieronymus,& Auguſtinus,& cum eis Bellarminus ſuper illo Pſal. Secunda vice vox Deus, eſt nominatiui caſus, ac diuerſæ perſonæ, & eſt ſenſus; *ô Deus Rex,* quia tu dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea Deus tuus vnxit te oleo letitiæ. Cernitur Deus vnctus, & Deus vngens: ſunt quidem alius vngens, alius vnctus, at non ſunt alius, & alius Deus. Vnus etenim eſt Deus. Qui autem vnctus eſt, Meſſias eſt. Idem quippe ſignificant hebraicè *Meſſiah.* Græcè *Chriſtos,* latinè *Vnctus.* Ergo ipſe, qui vnctus eſt, Deus eſt, & ſedem regni æternam habet.

Quartum argumentum Zachar.2. Hæc dicit Dominus exercituum &c. *Lauda, & lætare filia Sion; quia Ego ecce venio, & habitabo in medio tui, dicit Dominus; & applicabuntur gentes multæ ad dominum in illa die; & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & ſcies quia Dominus exercituum miſit me ad te.*,, In hac authoritate Dominus exercituum eſt miſſus. Dominus exercituum eſt mittens. Miſſus venit, vt habitet in Ieruſalem; cumque Dominus miſſus venerit, tunc multæ gentes applicabuntur ad Dominum, & erunt populus Dei. Planè Chriſtus eſt Deus exercituum, qui miſſus eſt, qui venit in Sion, qui venit, vt habitaret in Iudæis.

Sed à Iudæis negantibus ſe eum, vt Regem velle habere; ablatum eſt regnum Dei, & datum eſt gentibus facientibus fructum eius. Itaque & Deus mittens eſt Dominus exercituum, & Deus miſſus eſt Dominus exercituum; ſed tantum vnus eſſentialiter eſt Dominus exercituum: ergo & mittens, & miſſus ſunt vnus Deus, vnus Dominus, qui cum Spiritu ſancto conſtituunt Trinitatem in vnitate Deitatis: Trinitatem perſonarum diſtinctam, in vna Deitate indiſtincta, & indiſtinguibili, immultiplicata, & multiplicabili.

Bald. Hæc mea fides eſt; Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum eſſe vnum Deum, & extra ipſum vnum Deum, non eſſe Deum.

Matth. Produxi quatuor ex nouo, quatuor ex veteri inſtrumento authoritates, quibus probaui Filium, ſeu Verbum eſſe Deum, & verum Deum. Nunc reſcribam nonum argumentum ex Gregorio de Valentia tom.1. ſuæ Theolog. col.535: quod argumentum ſimul ex veteri, & noua ſcriptura colligatum eſt: " Quintum teſtimonium Pſal.67. Vbi Deo Iſrael, inter cætera dicit Pſalmiſta " *Deus cum egredereris in conſpectu populi tui, cum pertranſires in deſerto, &c.* illud etiam dicit; *Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus*,, Apoſtolus autem hunc Deum Iſrael, qui aſcendit in altum, Chriſtum eſſe declarat ad Epheſ.4. *Vnicuique,* inquit, *noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti; propter quod dicit. Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ?*

Reſpondit ad hoc Georgius Blandrata in act.5. Albana. Ego quidem,

inquit, non ſum Theologus, neque concionator (erat enim medicus, qui ſine Theologiæ profeſſione, theologiæ cognitionem ſuperbiſſimè ſibi arrogabat) & tamen ſcio, quòd pſalmiſta ibi loquatur de futuro Chriſto, non de Deo Iſraelis, qui iam tunc eſset, alioqui, inquit, Deus ſeu Verbum æternum accepiſset, vt dicit Pſalmus, à Deo dona, quod nullus vnquam dixit. Idem reſpondit in eadem diſputatione Franciſcus Dauid. Hic, inquit, "deſcribitur ille homo Chriſtus, qui accepit ea dona à Patre; quia autem Iehoua, non accepit, non de illo, ſed de Chriſto loquitur.

Hoc verò cum iſti reſpondent, non eleuant pondus huius teſtimonij, ſed magis etiam illud ſtabiliunt. Veriſſimum enim eſt Pſalmiſtam de Chriſto iſta loqui: hoc enim nos quoque ad probandum ſumimus, & hoc aſseuerat D. Paulus. Sed quia loquens hæc Pſalmiſta de Chriſto, de ipſo Deo Iſrael apertè ſignificat ſe loqui; certiſſimè inde concludimus, Chriſtum eſse Deum illum Iſrael, ac proinde illum etiam ſecundum naturam diuinam extitiſse, antequam ſúmeret humanam carnem. Eundem enim, quem dicit in altum aſcendiſse, & accepiſse dona in hominibus, ait quoque eduxiſse populum ſuum ex Ægypto, & deſcendiſse cum eo in montem Syna, & poſtmodum in aſsumpta carne aſcendiſse in cælum. Sicut Hieronymus etiam, & Theodoretus in commentario eius pſal. interpretantur. Hic etiam Iehoua quamuis ſecundum naturam diuinam nihil acceperit, tamen hoc ipſo, quod carnem humanam accepit, dona accepit ex hominibus, hoc eſt communem naturam, ex illorum genere naturalibus ſuis perfectionibus prædítam. Hoc enim ſignificat, quod Pſalmiſta ait. Accepiſti dona in hominibus. Quanquam Apoſtolus non, *accepit*, ſed *dedit*, legit: nimirum cum alios dedit Eccleſiæ ſuæ Apoſtolos, alios Euangeliſtas &c. Hactenus Gregorius de Valentia; quibus addere poſſum Verbum ſeu Filium habere omnia, quæ habet Pater Ioan. 17. Omnia mea tua ſunt; & tua mea ſunt. Igitur omnia bona Patris, ſiue ſint ad intra, vt ſapientia, charitas, omnipotentia: ſiuè ſint ad extra vt cælum, terra, & omnia, quæ in eis sũt, habet Pater, habet & filius, ſeruato ordine originis, ſeu authoritatis in eſſendo, & habendo; nam Pater eſt à ſe, Filius à Patre: Pater habet à ſe, filius habet à Patre, atque ideo, quæcumque filius accepit, accepit à Patre; quæcumque dedit, dedit à Patre, etiam dona in hominibus, vel ex hominibus. Vnde & Iehoua, ſiuè Deus, qui eſt ab alio, accepit ab alio: ita tamen vt idem Iehoua idem Deus ſit in Patre à ſe, in Filio à Patre, in ſpiritu à Patre, & Filio. Sunt namque tres perſonæ conſubſtantiales, & coæquales, & conſimiles, & coomnipotentes ratione vnius Deitatis, intra quam ſunt, & intra quam relationibus originis perſonaliter diſtinguuntur.

Bald. Gregorius de Valentia ſeuerè medicum Blandratam reprehendit, qui

qui cum non eſſet profeſſione theologus, theologica tractare voluerit; atque dixerit, Filium non eſſe Deum. Ne tamen hæc reprehenſio in meum Termaximum extendatur, aduerto pro defenſione ab ipſo Termaximo, pluribus locis dictum eſſe quod Filius, & Spiritus ſanctus, ſunt producti ad intra.

Matth. Gregorius de Valentia probauerat, quod Luther, & Melanchton negauiſſent Chriſti diuinitatem; Et cum oſtenderentur loca Lutheri, & Melanchtonis, in quibus Chriſti diuinitatem confiterentur: replicat contra idem Valentia in col. 517. "Nec moror, quod Lutherus & Melanchton aliàs ſæpè Chriſti diuinitatem confeſſi ſunt. Ego enim non côtendo illos Chriſti diuinitatem verbis nō fuiſſe aliquando confeſſos: ſed illam aliquando etiam negauiſse. Quid enim ipſe Seruetus? Nonne etiam verbis diuinitatem Chriſti hominis, ſe cum primis defendere profitetur? & tamen illam negat. omnibus penè hæreticis commune eſt, vt pugnantia dicant. Quo ipſo non hæreſis notam effugiunt, ſed ſimul etiam in contradictionis, atque repugnantiæ notam incurrunt. „ Hucuſque Valentia. Idem Ego dicam de Liceto, nō contendo, quòd aliquando confeſſus non ſit Filium, & Spiritum ſanctū eſſe productos ad intra. Sed oſtēdo, quòd aliquādo hoc negauerit, tamquam Arij dogma. Quod autem eſt productum, & non ad intra, non eſt Deus, ſed pura creatura: non eſt productum ſolum, ſed etiam eſt factum; et ex nihilo factum. Quare iuxta Licetū, Filius Dei non eſt Deus, quam negationem, & Ariani, & Iudæi aſſerunt, aſſerentes ſimul, quod ſi Filius Dei ſit, ſit factus ex nihilo, ſit de nouo, non ab æterno, ſit ex aliena ſubſtantia, non ex ſubſtantia Dei.

Quamquam alia reſponſio mihi occurrat. Licetus pro magiſtro haber Ariſtotelem, etiam in rebus ſacris. Sed Ariſtoteles quædam ſcripſit populariter, vel ad iram populi deuitandam, vel ad auram populi captandam: quædam ſcripſit philoſophicè, & ex mente propria: Quæ diſtinctio familiaris eſt in Peripato. Quæ populariter ſcribit Ariſtoteles, ſcribit clarè, frequenter, amplificat, magnificat: quæ philoſophicè, ſcribit occultè, ſtrictim, rarò, indirectè, ne deprehendatur ab exteris, à diſcipulis vero, ſed laborioſè intelligatur. Qualis magiſter, talis diſcipulus; quando Licetus proponit proprium dogma proponit, obliquè, velatum, parcè; popularia verò apertè perſonat. Negat ex proprio capite productionem Filij ad intra, ſed eam velat ſub nomine Ariano, ſub titulo nouitatis, ſub accuſatione ſcripturarū falsò explicatarum eamdem propriam ſententiam tegit. Ponendo placita chriſtiana, ideſt popularia, etiam ſi contradictoria ſint, dummodo lateat, ſatis habet. Si autem doctrina Liceti recipiatur; facilè fuerit è latebris erumpere, & declarare, quæ ſint placita propria. & retinenda, ſcilicet principia Iudaiſmi, & Ariſtotelis; & quæ ſint placita aliena, Chriſtianis popularibus relinquenda.

An illudit nobis Licetus, ſi quandò dicit Filium produci ad intra?

ait

ait enim cap. 130. lib. 17. " Caueat noui dogmatis author ſimiliter diſtinguens Factorem, à Creatore Deo; Dum ponit factorem ex nihilo, proindeque forinſecus; nam *nihil eſt extra Deum, in quo ſunt omnia*, quique in omnibus ineſt intimus; Et infra. " Caueat, inquam ne talia dicens coincidat cum radice dogmatis hæretici à Diuo Auguſtino damnati. „ Si ergo id, quod eſt extra Deum, eſt nihil; & quod eſt aliquid, eſt intra Deum; quando Licetus dicit, quòd Deus producit aliquid ad extra, vult dicere quod nihil producit. Quando dicit, Filium produci ad intra, non plus dat Filio, quàm lapidi, plantæ, bruto, quæ omnia ſunt intra Deum, & Deus in omnibus. Sic producta ad intra diſtinguuntur eſſentialiter à producente, & ſeruatur ſenſus Liceti, quòd Filius non eſt Deus, ſed res eſſentialiter diſtincta à Deo, ſicut Iudaiſmo placet.

ASSERTVM SECVNDVM.

Filius Dei non eſt factus.

1 Probatur, nam S. Sother Papa in epiſtola ex 1. tom. Concil. car. 333. & S. Dionyſius in concilio Romano apud Athanaſ. de decretis Nicen. aſſerunt Filium eſſe genitum, non factum; quod idem definitum eſt in concilio Niceno contra Arium, qui omne genitum aſſerebat eſſe factum, & ex conſequenti Filium Dei eſſe genitum, & factum.

2 Id, per quod omnia facta ſunt, non eſt inter facta, neque factum, ſed Filius Dei, ſeu Verbum Ioan. 1. eſt, *per quod facta ſunt omnia*: Ergo Filius Dei non eſt factus.

3 Quod eſt eſſentialiter Deus, eſt ineffectum, & ineffectibile, atque adeò factor omnium factibilium. Filius Dei eſt eſſentialiter Deus & verus Deus ex primo aſſerto. Ergo Filius Dei non eſt factus.

4 Ex prouerb. 8. Secundum lectionem vulgatam, ſapientia Dei, quæ eſt Filius, ait " *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret*; & arguo. Quod actu exiſtit, antequam Deus quicquam faceret, non eſt factum. Filius autem actu exiſtit, vt res poſſeſſa, antequam Deus quicquam faceret, Ergo non eſt factus. Secundum ſeptuaginta duos. *Dominus creauit me principium viarum ſuarum in opera ſua, &c.* arguo. Quod eſt principium operum Dei omnium de poſſibili, & de facto eſt principium componens, ſeu efficiens omnia cum Deo, cælum, terram, aquam, æthera; non eſt factum, neque factibile. Filius Dei eſt huiuſmodi, ex prouerb. 8. ergo eſt non eſt factus.

5 Eccl. 24. Sapientia primogenita ante omnem creaturam de ſe dicit. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum.* Omnia ſæcula, & omnes

res factæ in ſæculis, ſunt factæ per Filium: Hebr.1. per quem fecit & ſæcula; & arguo. Quod eſt ante ſæcula, & res factas in ſæculis, non eſt factum; Filius ait ſe creatum ante ſæcula, quare & ante res in ſæculis factas. Ergo Filius non eſt factus.

Bald. Licetus ad hoc reſpondebit, iſtam authoritatem intelligendam de Filio ſecundum humanitatem, nec poſſe intelligi ſecundum diuinitatem.

Matth. Sed Sanctus Euariſtus vocem, *qui creauit me*, expoſuit per genuit ſecundum diuinitatem, & S.Thomas locis citatis in 3. reſponſione, ſed probata, expoſuit de diuinitate; & Liranus cum multis confortibus ad literam de Filio in diuinitate exponit. Sic enim Filius Dei eſt ante ſęcula, ſecundũ humanitatem qui factus eſt caro in ſęculis.

ASSERTVM TERTIVM.

Filius Dei eſt productus.

1 PRobatur. Omne genitum eſt productum. Filius Dei eſt genitus, vt patet vel ex nomine Filij. Sed in Ioan.cap.1. *Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit nobis*, & Ioan.3. *Sic Deus dilexit Mundum, vt Filium ſuum Vnigenitum daret*, & Eccl.24. Sapientia, inquit, *Ego ex ore Altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*; ſcilicet ante omnem creaturam factitiam & in ſæculis productam; ergo Filius eſt productus. Dicitur autem Filius & Vnigenitus, & primogenitus. Primogenitus, quia nullum genitum eſt prius eo. Vnigenitus, quia nullus alius in diuinitate eſt genitus.

2 Omne creatum eſt productum: Filius Dei eſt creatus. Ergo Filius Dei eſt productus. Maior patet ex ſcripturalibus linguarum peritis, docentibus, quòd creare eſt producere, indeterminatè ad ex aliquo, & ex nihilo. Sed & S.Thomas, & Scotus, & S.Cyrillus ipſam creationem deſcribentes, poſuerunt productionem pro genere. Probatur minor, quia S.Dionyſius in Concilio Romano declarauit, illud *Dominus creauit me* in initio viarum, &c. eſſe propheticè dictum de Filio; ſed creauit in illa ſcriptura non ſignificat *fecit*, nam *facere*, & creare differunt; ſicut in Deuteronomio 32. *Creauit te*, non eſt fecit te. Sed & S.Athanaſius in ſermone 3. contra Arianos affirmat, de omni creatura factitia dici, & condi, & creari; ſed non omne, quod dicitur condi, & creari, eſſe creaturam factitiam, quia Filius dicitur creari, vel condi, qui non eſt factus, neque creatura talis. Si ergo ipſi creare aſſignamus pro genere, vel facere, vel producere; & creare in ſcripturis iſtis non eſt facere, reſtat vt ſit producere, vel in eſſe abſolute, vel in eſſe cum addito, vel in eſſe ſubſtantiali, vel in eſſe accidentali: ſed in Filio Dei nullum poteſt reperiri eſſe accidentale,

Hom.1. contra gent. c. 16. d.1. q 5. Cyril. 4. de Trinit.

tale, formaliter; & eſſentialiter: ergo ſi creatur in eſſe abſolutè producitur in eſſe ſubſtantiæ. Si creatur in eſſe omnipotentis producitur in eſſe ſubſtantiæ, nam ipſa omnipotentia eſt ſubſtantia Dei.

Corolarium. Eiſdem medijs catholicus vtitur benè intelligendo, hæreticus abutitur prauè intelligendo. Hæretici Sabellius, & Arius per vocem creauit intellexere *fecit*, & damnati ſunt, à S. Dionyſio Papa. Arius quoque per genuit, intelligebat *fecit*; & damnatus eſt, antecedenter à Concilio Romano, ſed præſenter à Concilio Niceno. Catholicus autem, & per *genuit*, & per *creauit* intelligit *produxit* vel *præfecit*, vt ſæpè dictum eſt.

ASSERTVM QVARTVM.

Filius Dei non eſt productus ex nihilo.

1 PRobatur. Quod ex nihilo tranſit in aliquid, eſt factum ab aliquo efficiente actu exiſtente, & actu transferente, ex potentia ad actum, & ex non eſſe totali, ad eſſe totale; Filius Dei non poteſt eſſe factus ab aliquo efficiente, per aſſertum ſecundum, quia Filius eſt primum efficiens vt Deus, ergo filius non eſt productus ex nihilo.

2 Omne quod eſt ex nihilo, eſt factum, 2. Macab. 7. *Aſpicias ad Cœlum, & terram, & ad omnia, quæ in eis ſunt, & ſcias quia ex nihilo fecit illa Deus*, At filius factus eſſe non poteſt; ergo non poteſt eſſe ex nihilo.

3 Omne quod poteſt eſſe ex nihilo, poteſt eſſe prius nihil, quàm aliquid. Filius verò Dei, non poteſt prius eſſe nihil, quàm aliquid. Ergo nec poteſt eſſe ex nihilo. Probatur minor. Quod eſt neceſſe eſſe ſimpliciter, non poteſt aliquando non eſſe, ſiuè prius, ſiuè poſterius. Deus autem eſt ſimpliciter neceſſe eſſe, & Filius eſt Deus. igitur Filius non poteſt aliquando non eſſe aut eſſe nihil prius, aut poſterius.

4 Quod eſt ex nihilo, non eſt æternum; Filius Dei eſt æternus à parte ante, & poſt, dicens vt ſapientia genita, Eccl. 24. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum, hæc eſt* eternitas à parte ante: *Et vſque ad futurum ſæculum non deſinam*, hæc eſt æternitas à parte poſt. ergo &c.

ASSERTVM QVINTVM.

Filius Dei non eſt aliquid extra, ſed intra Deum.

1 PRobatur. Quod eſt eſſentialiter Deus, non poteſt eſſe eſſentialiter diuerſum à Deo. Sed quod eſt extra Deum, eſt eſſentiali-

ter

ter diuerſum à Deo. Ergo quod eſt extra Deum, non eſt eſſentialiter Deus, ſed Filius Dei eſt eſſentialiter Deus, & verus Deus. ergo Filius Dei non eſt res extra Deum, ſed intra.

Cui per productionem communicatur Dei eſſentia, vel Dei omnipotentia: ipſum eſt intra, non extra Deum; ſed Filio Dei communicatur eſsentia, vel omnipotentia: ergo Filius Dei eſt intra, non extra Deum. Pater maior, quia eſsentia Dei, & omnipotentia ſunt idem eſsentialiter, & realiter, ne diſputatio inſtituatur de diſtinctione formali. Probatur minor, quia generatio eſt productio viuentis à viuente ſimilis in natura, & per modum naturæ. Sed Filius Dei genitus eſt à Patre Deo, qui eſt viuens, & genuit Filium viuentem, quare & ſimilem, imò eundem numero in naturam diuinam, & per modum naturæ. Cui autem communicatur natura diuina, communicantur omnes diuinę proprietates, ea productione, qua communicatur naturą. Sic Pater gignendo dedit, Filius naſcendo accepit omnia, quæ habet Pater, vt probatum eſt, obſer.*69*. pag.175.

3 Nihil ab æterno fuit, niſi Deus in actuali exiſtentia; nam quæcumque extra Deum ſunt, in determinatis ſæculis, vel æui, vel temporis eſse cæperũt; ſed Filius Dei eſt æternus, ſemper enim fuit Pater, ſemper Filius genitus ante omnia ſæcula, iuxta ſymbolum Nicenum: ergò Filius non eſt extra Deum.

4 Nulla res extra Deum eſt formaliter ſapientia primogenita ante omnem creaturam. Filius eſt ſapientia talis: ergo non eſt res extra Deum. Argumentum eſt ex Eccl.24.

5 Ex prouerb.8. Quod eſt principium omnium operum Dei, eſt Deus operator omnium, non opus, non extra Deum. Sed Filius creatus eſt principium omnium operum Dei: creatus, inquam, ideſt præfectus Dei operibus faciendis, ergo Filius Dei non eſt opus Dei, non extra Deum, ſed intra Deum, cum Patre, & Spiritu ſancto vnus Deus in æternum adorandus, & glorificandus.

Obſeruatio Septuageſimaprima.

Matth. POſtrema erat accuſatio in pag.18. lin.vlt. quòd cõmunicauerim omnino verbis cũ Ario, ſtatuẽs Verbũ ad intra creatũ eſſe. Iã probaui, quòd Arius Filiũ eſse creatũ dicebat ad extra. a Ego verò eſse creatũ dixi, non expreſſi tamen *ad intrà*, vel *ad extra*: nunc explico, Filiũ eſse productũ *ad intra*. Falsò hoc mihi impoſuit Licetus, ſed non falſum. Illo autẽ modo, quo productio dicitur eſse creatio apud theologos trium linguarum peritos, & apud ſcholaſticos multos, dico Filium poſse dici creatum *ad intra*: non tamen dicendum eſse creatum in ſenſu Arij, quia nihil in Deo realiter exiſtens, poteſt eſse factum ex nihilo.

a Vide obſer. 69.

Sed ſecundum Arium, quod eſt creatum, eſt factum ex nihilo; ergo nihil creatum ſic poteſt eſse in Deo realiter. Intelligo per identitatem eſse non poſse: nam per aſsumptionem, vel communicationem idiomatum poteſt ſubſiſtere corpus humanum in ſapientia condita, quæ eſt Deus, quemadmodum legimus lib.7. Conſtit.Apoſtol.cap.37.

Bald. Communicas omnino verbis cum Ario, dum creandi verbum adhibes, ſicut Arius adhibebat ad Filium Dei.

Matth. Minimè. S.Cyrillus in epiſtola ad Eulogium, quæ eſt in 1. tom. Conciliorum car.1136. aduertit, quando hæretici dicunt id, quod nos dicimus, eos non eſse repellendos. Et lepidè Caetanus in 3.p.q. 16. art.8. dicit, Nos in tali caſu non communicamus cum hæreticis, ſed hæretici nobiſcum. Nunc autem S.Petrus cum coapoſtolis applicauerunt ad perſonam Chriſti dictum Prouerb.8.*Dominus creauit me*. Sic Apoſtolorum diſcipuli Ignatius, Iuſtinus, Clemens, Ciprianus. Item Concil. Romanum ſub S.Dionyſio Papa, & concil. Orientale apud S.Hilarium. Et S.Cyrillus 4. de Trinit. car.111. ait de Filio intelligi *Dominus creauit me* ſcilicet produxit non ex nihilo. Non ergo communicaui ego in verbis cum Ario, ſed cum ſacra Scriptura, & Patribus, Pontificibus, Concilijs citatis. Malè fecit Licetus, qui non vult ſubeſſe verbis Dei per ſcriptores canonicos reuelatis, per traditionem Apoſtolicam, *& per Eccleſiam declaratis*.

Secundò, aliud eſt verbum vocale, aliud vox; vox eſt materia, ſignificatio eſt forma vocabulorum & verborum. Nomen enim, & Verbum eſt vox ſignificatiua. Sicut autem vna exiſtente materia, & formis multis, multa reſultant compoſita; vt ignis, & aqua differunt ſpecie propter formam, non propter materiam. Ita eadem vox, ſi recipiat diuerſas ſignificationes, conſtituet verba diuerſa, & erit vocabulum multiplex, vnum materialiter, multa formaliter; quare ſi vocabulum eſt plures ſignificatione, conſtituet propoſitionem plures ſignificatione per 1. periherm. cap.4. vt hæc propoſitio *Canis currit* eſt propoſitio tres, quia vox canis eſt vna materialiter, tres formaliter, pro cane cæleſti, terreſtri, aquatili. Ad propoſitum vox *creatum* eſt vna materialiter, ſed æquiuoca eſt, & plures formaliter. Ario ſignificat *factum ex nihilo*. Mihi ſignificat *productum* ex aliquo: ergo ſicut ineptè diceret aliquis, ignem, & aquam eſſe idem, quia eorum materia eſt vna. Ita ineptè dicetur *Creatum* in ſenſu Arij: & creatum in ſenſu ſcripturæ, iuxta S. Auguſtinum, Iuſtinum, Thomam, eſſe vnum vocabulum. Sed Licetus ipſe dicit, veritate conuictus, a me loqui de alio genere creationis, ac loquatur Arius. Ergo nunc dicens me communicare omnino verbis cum Ario, pag.19. lin.1. & falſum dicit, & ſibi contradicit.

a Licet. pag. 31. lin.14.

Bald. Non ſine cauſa Philoſophus in 1.top. car.13. multiplicium diſtinctionem tradit, nam vox æquiuoca non eſt vna, ſed multiplex. neque

quæ loquens in vno ſignificato eadem verba adhibet, quæ loquens in alio ſignificato.

Matth. Quid ſi oſtendam Licetum communicare cum Ario in vocabulo creationis, vt accuſatio in me intorta ſit contra ipſum retorta.

Bald. Quomodo id conficies?

Matth. Licetus in cap. 15. ſuæ epiſtolæ car. 156. & ſeq. ponit cum Ario, quòd *creatio eſt factio ex nihilo,* quodque productio eſt genus remotum, factio eſt genus proximum: ſed ipſe Licetus ex iſta doctrina, conuenit cum Ario in genere, & differentia creationis, in tota definitione, & definito: cōuenit materialiter, & formaliter. Inſuper in cap. 9. & frequentiſſimè dicit creationem in hoc ſignificato accipi & proprijſſimè, & vniuocè, & celeberrimè. "*Apud omnes Patres orthodoxos in concilijs Eccleſiam conſtituentes, & eorum ſingulos,* (ò laudem egregiam; Licetus omnes Patres orthodoxos in concilijs conſtituentes Eccleſiam, & ſingulos eorum legit.) quando autem in cap. 5. proponit creationem in ſignificato vſurpato à Deo in Scriptura, à SS. Auguſtino, & Cyrillo: illum modum dicit cunctorum improprijſſimum, prorſus æquiuocum, vel alieniſſimum. Tantopere laudare loquutionem hæretici, tantopere vituperare loquutionem hominum Dei, & Dei: nonne reuincit, Licetum eſſe fautorem Arij, & communicare omninò cum verbis de creatione?

Bald. Omnino Termaximus tenet Arium accepiſſe proprijſſimè vocabulum creationis. Sic & Termaximus ipſe idem ſignificatum, dilaudat, & recipit, ſed cum pondere authoritatis Conciliorum & Patrum omnium.

Matth. Citationes hæ vniuerſales ſunt ad oſtentationem proponentis, non ad oſtenſionem propoſiti: nihil enim probant. Interim Licetus, communicat cum Ario in creationis vocabulo totaliter, in genere, in differentia, definitione, definito. Ego verò in declaranda ſcriptura, vſum illius Ariani vocabuli à ſcriptura valde reijcio. Cum enim aliquid in diuina ſcriptura ſit expreſsè, hoc eſt explicitè, & formaliter: aliquid implicitè, & virtualiter. Quod eſt in ſcriptura explicitè, & formaliter, eſt primò de fide; quod implicitè, & virtualiter deducitur ex ſcriptura, non eſt de fide, niſi acceſſerit determinatio Eccleſiæ iuxta Alphonſum de Caſtro lib. 1. aduerſus hæreſes cap. 7. Ego quidem affirmaui in libro defenſionis, nunquam, nuſquam in Scriptura verbum *creandi* eſſe conſtructum expreſsè cum particula *ex nihilo.* An autem implicitè, & virtualiter reperiatur, id eſt, an per euidentem, & neceſſariam conſequentiam poſſit deduci vſus creationis ex *nihilo,* neſcio, nec explorare placet. Cum itaque creationem in ſignificato Arij remoueam ab expreſſa ſcriptura. *Mea* verò diſquiſitio fuerit de creatione ex vſu Scripturæ: liquido conſtat, me nullatenus communicare cum Ario in vſu, vel definitæ creationis, vel definitionis eius.

Bald. Vidi te in epiſtola reſponſiua triginta nouem ſupra centum locos conſuluiſſe diuinarum ſcripturarum, nec inueniſſe vocem creationis conſtructam cum ex *nihilo*, aut voce æquiualenti. Nunc autem negotium tibi eſt cum Termaximo ſcripturalium: qui cap.9. decem, & octo rationes contra te ponit, quarum octo repetit cap. 13. quibus probat expreſsè in ſcripturis reperiri creationem ex nihilo.

Matth. Nihil ad punctum difficultatis profert Licetus. Ego protuli *creationem ex aliquo* expreſſam, ita vt non poſuerim ablatiuum ſignificantem aliquid de meo. Exemplum. Eccl.33. *Et omnes homines de ſolo, & ex terra, vnde creatus eſt Adam.* Omnes homines creati ſunt de terra, Adam creatus eſt *ex terra*. Terra non eſt nihil, ſed aliquid. Ablatiuum *ex terra* legimus omnes, ſed Deus dictauit, non homo. Ita Eccl.17. *Deus creauit hominem de terra.* Sapientiæ 11. *Omnipotens manus tua creauit orbem terrarum ex materia inuiſa:* materia non eſt nihil, ſed aliquid. Oſtendat mihi aliquis in ſcriptura vocem *creandi*, aut aliquod eius deriuatum conſtrui cum particula *ex nihilo*, vel *nulla re*, vel *nullo ente*; ſed ea lege, vt ablatiuum *ex nihilo* Deus dictauerit, non homo intruſerit in ſcripturam. Hoc eſt punctum difficultatis, ſicut conſtruitur creatio cum ablatiuo ex *terra*, ex *materia*, ex *aqua*, ex *homine*, ex *coſta*: ſic reperiatur vox creandi cum ablatiuo *ex nihilo*.

Placuit Deo, vt S.Auguſtinus obſeruauit, & S.Thomas recognouit, exprimere ablatiuum ex *aliquo ente*: non placuit exprimere ablatiuum *ex nihilo*.

Licetus quidem affert multas ſcripturæ authoritates, ſed nihil ad propoſitum punctum. Nam in quibuſdam ex authoritatibus, non adeſt *vox creandi*, in quibuſdam non adeſt particula ex *nihilo*, in quibuſdam neutra ex his conditionibus eſt. Quapropter in illis referendis, tempus non teram.]

Bald. Sed Termaximus affert rationes cum iſtis authoritatibus, vt concludat propoſitum, ſcilicet expreſſam creationem ex nihilo.

Matth. Verba Liceti non ſunt verba Dei; & quod per rationem concluditur, ſpectat ad ſcholaſticam, cuius eſt ex propoſitionibus reuelatis deducere concluſiones: ſed Scriptura eſt principium ſcholaſticæ. Ideò dato, & non conceſſo, quòd illæ rationes Liceti benè concluderent; nihilominus, non ſunt ſcriptura expreſsa, nec ad propoſitum.

Tho.1.p. q.1. ar.8. Bon.q.2. prol. ho. 3.d.24.q. 1.

Bald. Sanè magnum examen eſt neceſsarium tàm ratione formæ, quàm ratione materiæ additæ ad veritates reuelatas. Si enim vel forma fallax, vel materia ſit falſa in ſyllogiſmo; potius falſum, quàm verum concluditur. Concluditur verò falſum non ratione Scripturæ, quæ nec falſa eſse poteſt, nec principium inferens falſum: ſed ratione formæ, aut materiæ additæ ad ſcripturam inter arguendum.

Matth.

Matth. Hoc examen omittamus. atque cum Diuis Thoma,& Bonauentura diſcernamus propoſitionem abſolutè ſumptam & propoſitionem acceptam cum determinatione.

Bald. Diſcernamus.

Matth. Dicere *Filium Dei eſſe creatum* eſt propoſitio abſolutè ſumpta,& ambigua, ſeu multiplex propter vocem ambiguam *Creatus*. Sed dicere creationem eſſe duplicis ſignificationis, quarum vna eſt productio ex aliquo, altera factio ex nihilo: Filium autem dici creatum, non quia ſit ex nihilo productus ſeu factus, ſed quia productus eſt ex ſubſtantia Patris, eſt propoſitio valdè determinata. Arius verò dicebat Filium eſſe factum ex nihilo, ſicuti ſunt cæteræ creaturæ, igitur *creare* aſſumptũ ab Ario, atque attributum Filio Dei eſt *creare ex nihilo*: qualem creationem concilium orientale impiam vocat. Ego verò per creare intelligo producere ex eo, quod iam eſt ſiue ex aliquo: & hoc *creare* cum tali determinatione eſt oppoſitum ipſi *creare* Ariano. Et iſtud creari adſcripſi Filio Dei. Adſcripſit verò antè me concilium orientale, & Sanctus Hilarius dicens de perſona Patris *Creauit ex ſe ipſa, quod genuit*. Vbi vides principium *à quo*, & eſt Perſona Patris: atque principium *de quo*, ſeu *ex quo*, & eſt *Ex ſe ipſa*, ſcilicet ex propria ſubſtantia. His expeditis manifeſtatæ ſunt falſitates à Liceto mihi impoſitæ.

Obſeruatio Septuageſima.

Bald. CAeperat meus Termaximus oſtendere tuam inconſtantiam in tribus,ad quæ breuiter velim reſponderi,epilogi gratia.

Matth. Dic primam contradictionem.

Bald. In Epitome dixiſti creatum, & factum coincidere: in Defenſione hoc enixè negaſti.

Matth. Creare, & facere nec ſecundum ſcholaſticam, nec ſecundum Scripturam ſunt ſemper idem. Sed tamen demus aliquid aduerſario. Creare eſt facere ſecundum ſcholaſticum vſum. Creare non eſt facere ſecundum ſcripturalem vſum; igitur creare eſt facere, & non facere. Non ne hoc vult Licetus dicere? in pag. 17. lin.22.

Bald. Maximè.

Matth. Hoc argumentum peccat ſecundum fallaciam, quæ vocatur ignorantia Elenchi; In contradictione etenim debet attendi vt ſit *ad idem, ſecundum idem, ſimiliter*, & *in eodem tempore*, ſed iſtud argumentum contradictionem inferens ex meis dictis peccat contra ſecundam conditionem,quia non ſecundum idem. Affirmatur *facere*, ſed ſecundum ſcholaſticos,at ſecundum ſcripturales negatur.Exemplum

plum Ariſtotelis eſt. Hoc eſt duplum ſecundum longitudinem, non eſt duplum ſecundum latitudinem: ergo eſt duplum, & non duplum. Sic arguere eſt ignorantia elenchi.

Bald. Secundo obijcit. quoniam in Epitome locum Eccl.24. *Ante ſæcula creata ſum*; negas exponendum de ſapientia increata; in defenſione exponis de increata: ergo idem affirmas, & negas.

Matth. Qui negat eandem ſcripturam exponi poſſe diuerſis modis, legat S.Athanaſium ſermone 3. contra Arianos, & ſanctum Epiphanium hæreſi 69. exponentes illud Prouerb.8. *Dominus creauit me*: & inueniet eoſdem Patres propoſitum eis textum expoſuiſſe, primò negando, *eſſe intelligendum* de ſapientia increata: poſterius affirmando. Idem præſtitit S.Cyrillus imitator Athanaſij in lib.5. theſauri, & Sanctus Thomas (vt hæres doctrinæ Patrum) eaſdem expoſitiones applicauit ad textum Eccleſiaſtici, vt ſuperius eſt dictum: Non ergo ſimili modo exponendo affirmatur, & negatur, ſed diſſimili: atque iterum incurrit ignorantia Elenchi, quia non ſimiliter accipitur affirmatio, & negatio. Exemplum huius fallaciæ habes à Diuo Thoma in libro de fallacijs cap.24. cælum mouetur circulariter, cęlum non mouerur ſurſum, & deorſum: ergo cælum mouetur, & non mouetur.

Bald. Diuinam ſcripturam varijs exponi modis cum diuerſitate expoſitionum, & cum oppoſitione ſecundum aliquam partem earum, non eſt obſcurum.

Matth. Licetus non eſt flexibilis ad veritatem, ſed inflexibilis in proprio placito. In Epitome 1.d.5. dixi in concilio Niceno fuiſſe explicatum locum Eccl.24. *ante ſæcula creata ſum*; ſed re melius conſiderata, deprehendi inter catholicos, & Arianos tam in concilio Niceno quam poſt, fuiſſe exagitatum locum prouerb.8. Dominus creauit me. At Eccl.24. neque ab Arianis fuiſſe propoſitum in concilio, nec extra, cognoui.

Debuit me proficiente in hac re, mecum proficere Licetus: nam in confutatione à me ſcripta, & Liceto ante quatuor annos data, hoc eſt annotatum. Sed iſte ad accuſandum eſt paratus, non ad proficiendum. Cum ergo hunc locum ego ipſe emendauerim, debebat dicere à me eſſe emendatum, ſed noluit veritatem confiteri.

Bald. Tertiò obijcit, quòd in Epitome dixeris, Filium, & Chriſtum non eſſe creatum, & creaturam, in Defenſione affirmaueris eſſe creatum.

In Epitome dixeris non eſſe communicandum voce, aut ſenſu cum Ario; in defenſione & voce, & ſenſu communicaueris.

Matth. Licetus defecit in probanda ſecunda parte; nec enim ex meis dictis quicquam attulit, aut afferre potuit, vbi dixerim, Filium eſſe factum ex nihilo. Ego verò attuli loca ex lib. defenſ. pag.249.250. 521. in quibus negaui, Filium eſſe factum ex nihilo; quæ loca Licetus noluit afferre. Igitur neque in verbis, neque in ſenſu communi-

caui

caui cum Ario, dicente, Filium eſſe factum ex nihilo; & quòd creare eſt facere ex nihilo.

Nititur Licetus æquiuoca voce creationis, quam noluit diſtinguere per ſe ipſum in hac diſputatione; noluit diſtinctionem à me datam afferre, vt creatum eſſe, apud me ſit eſſe productum ex aliquo; in quo ſenſu filius poteſt dici creatus. Apud Arium, & ſcholaſticos, creatum eſſe eſt eſſe factum ex nihilo; in quo ſenſu filius non poteſt dici creatus.

Ariſtoteles verò in 2. Elenchorum cap. 2. aduertit, quando fit redargutio per æquiuocationem, talem redargutionem non eſſe veram redargutionem; atque adeò non eſſe veraciter ſoluendum tale argumentum. Sed quia opponens ad gloriam inanem captandam, vult videri redarguere, per apparentem ſcilicet ſapientiam, & non exiſtentem; ideò iubet dari ſolutionem apparentem, ne vel per apparentiam opponens videatur eſſe redarguens, & reſpondens redargutus.

Ad hoc iubet in 2. Elenchorum cap. 2. ſi multiplex proponatur, non eſſe cunctandum diuidere. Rationem reddit, quia ad plures interrogationes non eſt danda vna reſponſio, etiam ſi in omnibus verum eſſet dicere ſic, vel non, quando autem vox æquiuoca eſt, tunc ſunt plures interrogationes. Si enim quæras, an Callias, & Temiſtocles ſint muſici, manifeſtum eſt, quòd duæ ſunt interrogationes, & duæ dandæ ſunt reſponſiones; ſi autem vnum nomen imponatur vtrique, & Calliæ, & Temiſtocli, puta *Cæſar*, & quæratur, an Cæſar ſit muſicus, adhuc propoſitio eſt plures ſignificatione, & diſtinguendum eſt æquiuocum à ſincerè interrogante.

Si verò interrogans contentioſè interroget, tunc reſpondens debet diſtinguere, & diſtinctè reſpondere contra contentioſè arguentem.

Igitur quia Licetus arguit cum voce æquiuoca, non diſtinguens eam; non fungitur offitio ſincerè arguentis; propter hoc non veraciter, ſed apparenter arguit: oportet ergo veraciter, & apparenter diſtinguere. Cum ergo ait, Filius dicitur *creatus* & non *creatus*: eſt ignorantia elenchi: quia in Epitome, cum dicitur *Filius non eſt creatus*, creatus accipitur ſecundum vſum ſcholaſticum & ſignificat factum ex nihilo. Cum in defenſione filius *affirmatur creatus* pag. 34. & pag. 250. creatus accipitur ſecundum ſcripturales, præſertim ſecundum D. Auguſtinum, & creatum eſſe, eſt eſſe *productum ex eo, quod eſt* quare non ſecundum idem dicitur creatus, vel increatus, neque ſimiliter. Sed ſemel dicitur non creatus, ideſt non factus ex nihilo; ſemel dicitur creatus, ideſt productus ex aliquo ente: quæ duo non ſunt contradictoria, ſed ſtant ſimul in Filio Dei, & in Spiritu ſancto, imò & in multis rebus ad extra, vt corpus Chriſti non de nihilo factũ eſt, ſed immediatè genitum, & productum de ſanguinibus puriſſimis B. V. vti Beatus Beda dixit lib. 4. in Lucam cap. 49. & Damaſcenus

maſcenus lib.3. Fidei cap.2. Ergo Corpus Chriſti poteſt dici creatum, ideò productum ex aliquo; poteſt dici non creatum, quia non factum ex nihilo: limita, non eſt factum ex nihilo ratione ſui, & primò; ſed ratione materiæ poteſt dici ex nihilo factum iuxta B. Auguſtinum de fide, & ſymbolo cap.2.

Ex dictis manifeſtum eſt non eſſe inconſtantiam in meis dictis. Sed in dictis Liceti contra me, & eſſe falſitatem, dum mihi falſa imponit, & eſſe defectum probationis, dum impoſita non probat, & eſse defectum in illatione per ignorantiam Elenchi. Ego quidem, non ſum valdè peritus logicæ, ſed Licetus videtur multò minus in logica verſatus.

Obſeruatio Septuageſimaprima.

Matth. QVæ, ſequuntur in pag.19. lin.2. Spectant ad contumelias, ſed non probatas, ſpectant ad cantilenas, ſed non probantes.

Bald. Adde in pag.19. lin.29. reſponſionem, quam pro te dat Termaximus. Liceti dictum " Aſſeret forſan opinionis nouæ ſator, ſe loquutum in Epitome theologica, publiciſque lectionibus ad mentem Scoti, cuius dogmata profiteri tenebatur ex officio, ſed in Defenſione ſe ſcripſiſse ad normam veritatis. ,,

Matth. Non rectè reſpondet, nam vtrobique loquutus ſum ad normam veritatis. Neque mihi cum Scoto diſſidium eſt, qui in 1.d.5. docuit, Filium non eſse factum de nihilo, ſed eſse productum de ſubſtantia Patris: quæ duo, dicta ſunt à me in libro Defenſionis, primum ad pag.249. ſecundum ad pag.250. Et vtrumque ad pag.34. Defenſionis.

Bald. Sed Scotus creationis vocabulum adhibuit ad factionem ex nihilo, tu ad productionem ex aliquo etiam; primum quidem ſcholaſticè, ſecundum theologicè.

Matth. Et Iterum diſputat contra nomen, neque diſtinguit ſignificata; Vbi eſt æquiuocatio, non eſt contradictio. Vt iſte duæ, Canis habet pedes, Canis non habet pedes, ambæ ſunt veræ, affirmatiua de cane terreſtri, negatiua de cæleſti. Scotus quidem in libris ſententiarum, quolibetis, & cæteris ſcholaſticis, ſcholaſtica creatione vtitur. Sed tamen ſcripſit ſuper diuinas literas, quamuis eiuſmodi libros temporum iniuria, vel deſtruxerit, vel obſtruxerit. Poſsemus ex eis diſcernere mentem Scoti, ſi extarent. Verum in 1 d.5.q.1. & 4.d.11.q.3.c.5. ſummam Scoti reuerentiam erga Pontificum, & conciliorum decreta cernimus. Si ergo decretum Sancti Dionyſij Papæ, & concilij Rom. Scoto eſset oblatum, quòd creauit non eſt fecit, in ſcripturis Prouerb.8. & Deuteron.32. Quòd Deus creauit,

ideſt præfecit Filium operibus per Filium conficiendis; tunc ſine dubio dediſſet Scotus aliud ſignificatum vocabuli *creatio*, vt in ſignificato ſcholaſtico creare includat facere ex nihilo: in ſcripturis citatis non includat facere ex nihilo, ſed præficere, & non ex nihilo. Si Scoto occurriſſet decretum Sancti Euariſti Papæ explicans, qui *creauit me, per genuit me*; protinus dediſſet aliud ſignificatum, quo creare includit producere, & ex aliquo: ſub quo etiam ſignificato contineretur ſignificatum Dionyſij Papæ. Itaque ſi ad verba Scoti attendas, non poſuit illud ſignificatum. Si ad obedientiam, & reuerentiam erga ſanctam ſedem Apoſtolicam, quod poſuit ſummus Pontifex, poſuit & Scotus; neque in hac parte vlla eſt inter Scotum, & me controuerſia.

Bald. Argumentatur Termaximus contra ſuam reſponſionem. "In primis non ex ipſo Scoto tantùm, ſed ex Patribus, ex concilio Niceno, totaque proinde catholica Eccleſia in eo congregata rectè conſtituit author Epitome theologicæ, Chriſtum Dominum quoad diuinitatem non eſſe creatum.

Cum Ario non eſſe communicandum in ſermone de creatione Filij Dei, ne dum in ſenſu."

Matth. Benè dixiſti, *ſuam* impugnat reſponſionem, non meam; præſupponit enim, ſed falsò, contra Scotum eſſe, ſi dicatur Filius Dei eſſe productus de ſubſtantia Patris & in hoc ſenſu eſſe creatus. Secundo pertinax eſt in fallaciſſima citatione concilij Niceni, in cuius decreto nomen creationis non habetur.

Tertiò ſub eadem obſcuritate æquiuocationis de nomine *creatum* arguit; cum hic modus arguendi, Ariſtotele authore, ſit alieniſſimus à dialectica, & per conſequens planè, & plenè ſophiſticus & in materia fidei catholicæ ſophiſticus, hæreticalis.

Quartò. citat Patres in generali, nullum in ſpeciali contra me, omnes orthodoxos Patres citat pag.19.lin.3. pag.17. lin.2.3. pag.20. lin. 22. Conſuetudo hæc citandi in communi, & non ſignatè nomina, & locos Patrum, cuius fuerit Sanctus Baſilius lib.3. in Eunomium docebit. "Reprobans (Eunomius) multorum opinionem, qua glorificant Spiritum ſanctum, ſimulat ſe conſeruare doctrinam ſanctorum: & eos, qui hanc ipſi tradiderunt, tacet. etiam nunc ea faciens, quæ in oratione de Vnigenito, facere eum demonſtratum eſt. Deinde dicit à Sanctis quidem ſe didiciſſe, tertium eſſe Spiritum & ordine, & dignitate: à ſe ipſo verò credere etiam tertium natura eſſe. qui verò ſunt ſancti illi, & in quibus ſcriptis doctrinam fecerunt? Fuit ne vnquam adeò temerarius homo, qui diuinorum dogmatum innouationes induceret? "Tales habet anteceſſores Licetus. Similiter antiquiſſimam doctrinam de creatione ſapientiæ genitæ traditam à Salomone, & ab Eccleſiaſtico, traducit, vt nouam.

Citaui Ego pto iſta propoſitione, Filius eſt creatus, à Deo, vel Deus creauit Filium.

Concil. Apoſtol. S. Petrum in concilio Apoſtolorum coacto ad ſanciendas conſtitutiones Apoſtolicas, lib.5. cap.vlt.

car. 384. 1. S. Clementem illarum conſtitutionum ſcriptorem, in lib.7. cap.37.
2. S. Euariſtum epiſt.1. in 1. tom. conciliorum car.312.
3. S. Ignatium epiſt.3. ad Tharſenſes.
4. S. Iuſtinum de veritate chriſtianæ religionis tom.2. car.110. & 258.
5. S. Cyprianum lib.2. contra Iudæos cap.1.
6. Athenagoram orat: pro chriſtianis in primo tom. Iuſtini car. 229.
7. Tertullianum contra Praxeam à cap.7. ad 11.
8. Clementem Alexand. in adhortatoria ad gentes pag.78.
9. Origenem lib.2. de principijs cap.2.
10. S. Dionyſium Alexandrinum contra Sabellium.

Concil. Rom. 11. S. Dionyſium Romanum Pontificem in concilio Romano. De duobus Dionyſijs lege Athanaſium de Decretis Nicenis car.276.
12. Lactantium lib.4. de vera ſapientia cap.6. & cap.8.

Cōcil. Oriētale 13. S. Hilarium de ſynodis canone 5. & Concilium Orientale ibidem.
14. S. Athanaſium ſerm.3. contra Arianos pag.415.
15. S. Epiphanium hereſ.69. colum.625. & hereſ.73. colum.729.
16. S. Ambroſ. de fide contra Arianos cap.2.
17. S. Cyrillum Alex. lib.4. dialog. de Trinitate car.111.
18. Gregor. Iliberitanum tom.4. Bibliothec. Pariſijs excuſſæ ann.1648.
19. Victorinum tom.4. Biblioth. hymno 3.
20. Phæbadium contra Arianos tom.4. Bibliothecæ veterum.
21. Olympiodorum, &
22. Dydimum: hos duos vidi apud Lapidium in cap.8. Prouerbiorum car.179. col.2.
23. Conflictum Arnobij & Serapionis poſt Irenæum pag.531.
24. Fauſtum Epiſcopum apud Salazar in cap.8. Prouerbiorum num.241.

In epiſt. ad Ba'dū car.9. 25. S. Thomam 1.p.q.41. art.3. & 4. contra gentes cap.8.

Citaui præterea vigintiquinque doctores theologos poſt Beati Thomæ tempora docentes, Filium Dei eſſe creatum in ſenſu catholico, non eſſe creatum in ſenſu Arij. Quibus addo Baradium in Euangelica hiſtoria tom 1. car.250. Venetijs impreſſa 1613. & Albertinū de agnoſcendis aſſertionibus q.22. num.49. qui aſſeueranter putat eſſe temerarium, & blaſphemum negare dictum Eccl.24. Ante ſæcula creata ſum, intelligi de Filio Dei.

1.p. q.27 car.930

Quot autem Patres extiterint in concilio Romano, quot in Orientali; quot Theologi in Schola D.Thomæ, quis numeret? Sic citantur doctores in particulari ad veritatem. Non in vniuerſali ad oſtentationem, vel deceptionem. Non eſt impugnanda vox *creatum* de Filio: ſed ſignificatum prauum Arij, atque Sabellij. Retinenda eſt vox *creatum*

tum, quia eſt vox diuinæ Scripturæ, cuius explicatio data eſt per *genuit*, vel *præfecit*, vel *produxit*: ſicut accepimus ab Eccleſia & propoſitionem ſcripturæ, & ſcripturæ intelligentiam.

Bald. Non poſſum negare authoritates citatas, ſed tamen adhuc eſt ſcrupulus, quia cum Ario non eſt communicandum in ſermone, aut in ſenſu.

Matth. Hoc iam ſuperius dictum eſt,& fruſtra repetitur. Lege obſeruationem. 67. 72. pag. 194

Interea pro more, falsò citat Licetus. Ego poſui non eſſe communicandum, ſed limitatè, pro tempore, quo hæreſis viget. Nam hæreſi extincta,verba,ſi ſunt in ſe vera,& catholica,dici poſsunt. Probaui authoritate Damaſceni, qui nolebat dici,Matrem Chriſti, tempore Neſtorianæ hæreſis. Nunc autem cantamus publicè, *Mater Chriſti*, ora pro nobis. Renata eſt hæreſis dicentium, Mariam non eſse matrem Dei: ſed Eccleſia, quæ ſemel de hæreſi triumphum egit, propter hæreſim amplius non dimittit dicere, Mater Chriſti. Hanc limitationem debuit applicare Licetus ad rem, vel eam referre fideliter: At ei placet citare infida fide.

Aliam nunc addo limitationem. Scriptura ſacra, etiam ſi ab hæretico violetur, non eſt propter hæreſim repudianda iuxta documentum S. Hyppoliti: imò maximè eſt meditanda die, ac nocte, vt falſa intelligentia refellatur, & vera intelligentia Eccleſiæ, ac Patrum proponatur, probetur, defendatur. Neque tempore Arianorum Eccleſia prohibuit lectionem prouerbiorum Salomonis, nec Eccleſiaſtici: imo tunc propugnatores fidei catholicæ indefeſsè ſcripturam ex prouerbijs 8. defendebant, & declarabant.

Bald. Secundò arguit contra te lin.20.pag.6. Si propriam opinionem nouam iudicat eſse veram, communem verò Patrum eſse falſam, ſicut & Scoticam: cur falſam doctrinam publicè docuit, in ſubſellio pariter, & in Epitome theologica?

Matth. Opinio affirmans *Filium eſſe creatum*, ideſt, præfectum, vel genitum, vel productum, non eſt propria, ſed communis ex diuina Scriptura, & Patribus, atque Concilijs citatis. Non eſt noua, ſed antiquiſſima, atque à me recepta, & tradita, tanquam vera: ſed Licetus Sacram Scripturam, & communiſſimam Eccleſiæ, ac Patrum intelligentiam damnat vt nouam, vt falſam, vt Arianam. Cum potius deberet diſtinguendo vocabulum *creare*, verum ſenſum recipere, falſum reijcere. Sed de nouitate, vel antiquitate iſtius propoſitionis ſatis in epiſtola reſponſiua ad Baldum.

Bald. Satis quoad nouitatem, & antiquitatem; ſatis quoad verita-

tem, vel falſitatem propoſitionum; Filius eſt creatus id-eſt productus ex ſubſtantia Patris. Filius non eſt creatus ideſt non eſt factus de nihilo. Sed attende ad nouam oppoſitionem Termaximi pag. 20. lin. 9. " Cur argumenta non diſſoluit eam falſitatem communientia? nonne ſcit interpretes 8. phyſic. opinantes Ariſtotelem poſuiſse mundi totius æternitatem, poſt eius philoſophi, rationes explicatas, teneri ſolutionem illis adhibere, falſumque dogma confutare?

Matth. Quoniam ambæ propoſitiones ſunt veræ, vt patet per ſolam diſtinctionem vocis æquiuocæ, *creare*: non ſunt ſoſtenendæ rationes, ſiue, quæ probant, Filium non eſse factum ex nihilo: ſiue quæ probant, Filium eſse productum ex aliquo.

Bald. Eadem diſtinctione omnia confutantur argumenta Termaximo, quæ diſtinctio, ſi à principio propoſita fuiſſet, nullam argumentis Liceti apparentiam reliquiſſet.

Matth. Veriſſimè dicis. Cæterùm ſub obſcuritate æquiuocæ vocis adeſt realis controuerſia cum Liceto. Vult ille, & ſæpe aſſerit iſtam propoſitionem, *Filius eſt productus ad intra* eſſe hæreticam, & Arianam; & meam propoſitionem, qua dixi, Filium eſſe productum de ſubſtantia Patris, non de nihilo, atque in hoc ſenſu Filium dici creatum, aſſerit eſſe contrariam Niceno Concilio, & eſſe hæreticam Arianam. Erigat ergo Licetus argumenta pro ſua propoſitione & probet, quòd Filius Dei non ſit productus ad intra; ſtatimque cognoſcet, quo animi ardore illius argumenta diſſoluere, & confutare ſub Dei auxilio properabo.

Sic enim probans ſuam propoſitionem deteget ſe Sabellianiſmi, vel potius Iudaiſmi propagatorem. Diſtinctio diuinarum perſonarum in eadem eſſentia eſt per relationes originis, ſiue per relationem producentis, & producti. Negat Licetus in diuinis eſſe productionem ad intra: igitur, & conſequenter negat in diuinis eſſe relationes productionis, & producti ad intra, negat Patri productionem actiuam filij, negat à Filio productionem paſſiuam ex Patre. Negando autem principium conſtitutiuum, & diſtinctiuum, diuinarum perſonarum ad intra; quale principium eſt productio. negat quoque in diuinis eſſe Trinitatem perſonarum diſtinctarum. Sane Apoſtoli in lib. 5. Conſtitut. Apoſtol. cap. vlt. probant in diuinis eſſe duas perſonas diſtinctas Patrem Deum, & Filium Deum, quia perſona Chriſti in Prouerb. cap. 8. ait. "Do-

"Dominus creauit me principium, &c. atque Dominus genuit me; vt per productionem, quæ eſt generatio & eſt quodammodo creatio (iuxta declarationem Sanctorum, Pontificum Dionyſij, & Euariſti,) agnoſceremus in Deo eſſe aliam perſonam, quæ producit, aliam quæ producitur in eadem natura Dei. Dari verò creationem eſſentialem, & notionalem dixi in Epiſtola ad Baldum pag. 119. Creatio eſſentialis eſt ad extra, atque eſt eſſentiæ ad eſſentiam. Creatio notionalis eſt ad intra, nimirum perſonæ ad perſonam in eadem eſſentia. Hæretici dicunt Filium eſſe productum in alia eſſentia, ſicut aliæ res in infinitum Deo inferiores; At Filius eſt productus ante omnem creaturam, eſt ante ſęcula creata ſapientia, eſt productus, antequam Deus quicquam faceret. Dicat Theophilatus in cap. primum ad Coloſſenſes ſupernam iſtam creationem conuenire Filio, non autem infimam ſic, inquit. "Etiam & ex Patre primogenitus non aliorum reſpectu, quæ condita ſunt vt Hæretici ſentiunt: ſed abſolutè ſecundum ſupernam illam creationem Patris eſt primogenitus."

Sed & Apoſtolorum diſcipuli contra Iudæos atque Sabellianos ex eodem textu Prouerb. 8. concluſere in Deo diſtinctionem perſonarum, vt colloquemur obſeruat. 105.

Bald. Neſcio, an Termaximus argumenta vlla ſcripſerit ad probandum, non dari productionem Filij ad intra, vel ad probandum, productionem Filij ad intra eſſe hæreſim Arij.

Matth. Si nulla fecit argumenta, nulla poſſum ſoluere. Dum me interrogat, quare argumenta, non ſoluerim? Interrogabo ipſum ego. Quare cum publicè legeret Ariſtotelem de mundi æternitate in alma hac vniuerſitate Patauina, non ſoluerit argumenta pro Ariſtotele contra fidem catholicam facta? Legebat hanc tractationem Licetus, vt auditores quidam mei ad me retulerunt. Ego confidens de pietate Liceti hortatus ſum eos ad proſequendam auditionem, ſperabam enim Licetum ſoluturum. Et ecce nuntiant Licetum argumenta pro æternitate pro viribus roboraſſe, ac tandem cum quodam riſu ſicco dixiſſe: *laſciamo queſti argomenti da ſoluere à i theologi.* Sic obtemperauit Decreto Concilij Lateranenſis ſeſſione 8. Hoc mihi obijcit Licetus de mundi æternitate, quia remordente conſcientia, in hoc peccauit.

Hinc ego animo exulceratus ab iſtis dictis Liceti; & alte-

alterius cuiuſdam ſimilibus, nolui ex principiis fidei q(uo-niam ea derident) ſed ex ratione naturali, præſertim cum Anaxagora deſtruere principia, quibus probatur, cæli, motus, temporis æternitas.

Bald. Ergo Termaximus aſciam cruribus illiſit. Sed legamus reliqua in pag. 20. " Cæterum non eſt exiſtimandum tantum theologum in publica ſchola ſimul, & in Epitomæ theologica publici iuris effecta, voluiſſe ſtudioſos auditores ſuos, totumque Mundum litterarium fallere, decipereque conſultò, doctrinam illam doctoris Subtilis, & Patrum communem ferendo, quam à veritate diſſonam omnino cenſeret.

Matth. Certè potui præ imbecillitate humana falli: nunquam tamen fallere volo, & quæ dixi in cathedra, vel in libris vera exiſtimaui. perge.

Bald. Nec tantum ſibi tribuiſſe, propriæque ſententiæ arrogaſſe, vt vnam opinionem, & authoritatem ſuam decretis omnium Patrum, Conciliorum, & Eccleſiæ totius, innumeros theologos doctrina ſimul, & ſanctitate clariſſimos à lenis à ſeculo, prorſus anteponere voluerit, dum animo pacato theologicam epitomem formaret, ac in ſchola publica theologiam edoceret.

Matth. Præſupponit Licetus meam opinionem eſſe aduerſam Patribus, Conciliis, Eccleſiæ, theologis omnibus. More ſolito generaliter proponit, ſed in particulari nihil probat. Ego probaui, & meam opinionem, & meam loquutionem eſſe Patribus, atque conciliis, nec non & doctoribus, atque adeò Eccleſiæ Sanctæ conformem. Igitur opinio Liceti, quæ mihi aduerſa eſt, eſt contraria Patribus, Conciliis, Eccleſiæ, atque theologis eccleſiaſticis. Meæ propoſitiones repetantur.

In epiſt. ad Baldum.

Prima, Filius Dei non eſt productus ex nihilo.

Secunda, Filius Dei eſt productus de ſubſtantia Patris, præexiſtente in Patre, & interna in Filio. Hæ duæ ſunt quantum ad eſſe.

Tertia, quantum ad dici. *idcirco & dicitur creatus*, denominatiuè ſcilicet à creatione, quæ eſt productio ex aliquo, & eſt in ſcripturis vſitata. Si has impugnauerit Licetus, manifeſtè deteget ſe in duabus primis, contrarium fidei catholicæ. In Tertia, loquutionem propriam oſtendet eſſe diſcordantem, à loquutione eorum, qui citati ſunt Patrum, atque Doctorum.

Quod ad me attinet. In omnibus meis ſcriptis, & dictis finem facio ſubſcribens; *ſub pedibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ*. Quæ verba præter ſpem, & intentionem meam, à correctoribus librorum prætermiſſa ſunt. Nec me laudo, quaſi legerim omnes

Patres,

Patres, omnia concilia, omnes theologos, qui fuerunt à ſæculo in Eccleſia. Licetus hanc laudem obtineat. Ego legi, quos potui.

Bald. Audi, quid de te dicat. Facilè verò fuit concitatiorę calamo ſcribentem aduerſus eos, à quibus offenſum valde ſe profitebatur, quidquid in mentem veniret pro ſuarum theſium defenſione proferre, rationibus auxiliariis quibuſcumque, ac vndecumque, vel ab Ario (licet inuerſo, mutatoque quomodocunque ſenſu priſco) petitis, ac extortis.

Matth. Vndique pungit, ſed ſcutum fidei ſagittas inimicorum extinguit. Scripſi librum Defenſionis, ex quo impugnatores mei mutilant multa, adiiciunt multa, inuertunt multa: & illa oſtendunt volentibus, & nolentibus: vt in me odium concitent. Pauciſſimi verò ſunt, qui meum librum emere velint, & examinare, an abſurda mihi verè, an falsò imponantur. Cum vix inuentus ſit aliquis, qui decretum Concilii Niceni legerę voluerit ad videndum, vtrum affirmauerit, vel negauerit vocem *creatum* de Filio. Tanta eſt facilitas mentiendi, tanta eſt difficultas examinandi mendacia.

Bald. Sed attendis ne ad parentheſim pag. 20. lin. penultim. (licet inverſo, mutatoque quomodocunque ſenſu priſco.)

Matth. Vult fortaſse dicere, quòd ego acceperim argumenta Arij, ſed eorum ſenſum mutauerim.

Bald. Iſtud ipſum.

Matth. Ad hoc duo dicam: primò qui ignorat concluſionem aliquam, nunquam poteſt reſoluere illam in ſua principia, ſecundum materiam, vel ſecundum formam. Sed Licetus non cognoſcit concluſiones Arii: atque ideò principia pro concluſionibus, concluſiones pro principiis accipit: & quod turpiſſimum eſt, ipſam ſacram ſcripturam tanquam Arij aſſertum ponit.

Secundò dico, illam parentheſim eſſe cautelam: nam cum certiſſimum ſit, me contra Arium & ſentire, & dicere in libro Defenſionis. Quęrit Licetus colorem, quo ſe tingat, & fucum faciat, vt etiam ſi ſenſus meus ſit diuerſus à ſenſu Arii, tamen res eadem credatur. Sed cautela hęc includit contradictionem; Etenim ſi ſenſus meus eſt diuerſus à ſenſu Arii, & nihilominus argumenta ſunt eadem; ſequitur, vt ſenſus meus ſit diuerſus, & non ſit diuerſus à ſenſu Arii. nam argumenta eadem eumdem ſenſum habent.

Vt abſoluam hunc librum poſtulo, an in his, quæ legimus, Licetus fecerit aliquem ſyllogiſmum in forma.

Bald.

Bald. Ego non inueni.

Matth. Poſco, an ſcripſerit, Filium Dei eſſe Deum, vel Deum verum, vel natura Deum.

Bald. Ne vtiquam, imò quia dicit Filium non eſſe productum ad intra, debet dicere Filium non eſſe Deum.

Matth. An quia Chriſtiani confitentur Filium Dei eſſe Deum verum, non Iudæi?

Sub pedibus S. R. E.

LIBER QVARTVS.

Obſeruatio ſeptuageſima.

Bald. TE Sugillat Termaximus, eo quod concitatus affectu, rationibus ab Ario petitis probare tuas theſes volueris. Pag. 20. lin. 10.

Math. Facilè eſt proponere titulos infames: ſed non facilè probare. Propterea & hoc Licetus dicit, ſed nihil probat. Veruntamen, quod ipſe nulla ratione probauit eſſe verum, ego vera ratione probabo eſſe falſum. Vt iſtud peragatur, neceſſe eſt proponere concluſiones intentas ab Ario, & rationes Arij ex vna parte. Secundò concluſiones intentas à me, & rationes meas ex alia parte. Etenim comparatis concluſionibus, & rationibus manifeſtè conuincetur calumnia.

Incipiamus à dictis Arij. Perſona diuina ſecundum veritatem conſtituitur duplici entitate, vna abſoluta, quæ eſt eſſentia Dei, altera relatiua, quæ eſt relatio originis, ſiue origo ipſa. Arius errauit in vtraque circa filium. Primò errauit ponens aliam eſſe eſſentiam Dei, aliam eſſentiam filij, aliam Spiritus ſancti, impiè diuidens eſſentiam Trinitatis. Aug hæreſ. 49. Ruffin. lib. 1. hiſtor. c. 1.

Secundò errauit in origine, affirmans, filium eſſe factum ex nihilo, ſicut ex nihilo facta ſunt, omnia, quæ ſunt diuerſa eſſentialiter à Deo. Athanaſ. orat. 2. contra Arian.

Ad hos errores principales multi ſequuntur.

Si à filio remoues eſſentiam Dei, quæ Deitas eſt, ſequitur, quòd filius Dei non ſit *Deus*, niſi forte participatione: non ſit *æternus*, ſed ſicut Arius dicebat, antequam naſceretur, non erat: non ſit *infinitus perfectione*, ſed in infinitum minor eſt Deo, non autem æqualis. Non ſit *omniſciens*, nam, vt Arius dicebat, ignorat diem Iudicij. Denique ablata eſſentia Dei à filio, auferuntur omnes proprietates eſsentiales Deitatis. Vno enim inconuenienti dato, multa ſequuntur. Conc. Nicen. in Anathemat.

Rurſus; ſi filius dicitur *factus*, vel *factus ex nihilo*: ex iſto prædicato concluduntur reliqui errores Arij, quos damnauit Nicenum concilium. Negabat æternitatem Arius, ſed probatur, quia nulla res facta, fuit ab æterno: ergo ſi filius eſt factus, non fuit ab æterno. Secundò affirmabat, filium eſſe ex nihilo, nam quæcumque facta ſunt, ex nihilo facta ſunt: ergo ſi filius eſt factus, eſt ex nihilo. Tertiò negabat, filium eſse eiuſdem ſubſtantiæ, cum Patre: probatur, nulla res facta, eſt eadem eſsentialiter, ſiue eiuſdem eſsentiæ cum primo factore Deo, ergo ſi filius eſt factus, non eſt eiuſdem eſsentiæ, cu- 2. Machab 7.

ius eſt Deus. Quartò negabat immutabilitatem, quia nulla res facta eſt immutabilis ſiue in eſse naturæ, ſiue in eſse motis; ſi eſt factura rationalis. Ergo ſi filius eſt factus, cum ſit rationalis, non erit immutabilis, ſed mutabilis ex non eſse in eſse & è contra: ex prauitate in probitatem, & è conuerſo. Hi quatuor errores ſunt in anathematiſmo Niceno damnati, maximè verò à filio negata eſt ratio *facti*; qui error Spiritu ſancto illuſtrante, præcognitus fuerat à S. Dionyſio Romano Pontifice; & à Concilio Romano dictum erat, filium eſse *genitum, non factum*: quæ Papalis loquutio à Patribus Nicenis in Symbolum poſita eſt aduerſus Arium.

Hinc apparet intentio principalis Arij; nam volebat probare concluſionem. *Filius Dei eſt factus ex nihilo*, quoniam ex iſta, cætera probabantur.

Ad probandam iſtam concluſionem arguebat Arius ex c.8. Prouerb. in quo tota Eccleſia legebat, hodieque legit Eccleſia Orientalis, de ſapientia Dei. *Dominus creauit me. Ante omnes colles genuit me.* Ex ratione ergo *creati*, & *geniti* argumenta duo formabat, ſuperius etiam tacta.

Arij argumẽta. Primum ſic. Omne creatum eſt factum ex nihilo.
Filius Dei eſt creatus Prouerb.8.
Ergo filius Dei eſt factus ex nihilo.

Quæ eſt concluſio principalis, & principaliter intenta ab Ario: minorem probabat 1. Cor.1. *Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam*, & argumentum eſt huiuſmodi.

Dei ſapientia eſt creata,
Filius eſt Dei ſapientia:
Ergo filius eſt creatus.

Secundum ſic. Omne genitum eſt factum.
Filius Dei eſt genitus Prouerb.8. Ioan.1.
Ergo filius Dei eſt factus, quare & ex nihilo:

Maiorem probabat numerando duodecim modos generationis, in quibus omnibus conſtat, quod genitum eſt, eſse factum. Hoc argumentum Arij memorat S. Bonauentura in 1. d.13. dub.8. numeratque duodecim modos generationis, quos D. Thom. 1. p. qu.43. art.2. recenſet, & ante ipſos Alenſis 1.p.q.42.membr.5. art.3. alia multa argumenta faciebat Arius. Quæ collecta ſunt apud Cyrillum, & Clarum: atque iſta ſufficiant pro intentione Arij, & rationibus eius.

Nunc meam intentionem declaro. In veſtigatione Peripatetica prima dixeram, me nolle diſputare de voce creationis propter contentiones futuras de voce, quæ æquiuoca eſt. Mei offenſores ſæpè, ac ſæpius communitatem Theologorum, & vniuerſalitatem omnium Theologorum obijciunt, dicentium creationem eſse factionem ex nihilo; & per particulam *ex nihilo* intelligi volebant nega-

negationes duas, negationem omnis partis, & negationem ſubiecti præſuppoſiti. Multi quidem Theologi, & Philoſophi tenent illam opinionem, non omnes, nam in libro 2. Defenſionis pag. 219. citaui Franciſcum de Maironis negantem rectè diffiniri creationem per ly *ex nihilo*: excepi nominales, qui tenent formas fieri ex nihilo, ſed non creari. In eadem ſententia eſt Ægidius cum ſua ſchola in 2.d.1.p.1.q.4. art.6. hi non requirunt duas negationes, ſed ſolam negationem omnis partis ad factionem ex nihilo. Excepi authores rationum ſeminalium, qui ſolam negationem partis requirunt in dicto *ex nihilo*; ſunt autem hi grauiſſimi & Theologi, & Philoſophi, Excepi denique Theologos primarios, ideſt ſcriptores Canonicos, qui in creatione ponunt affirmationem principij præſuppoſiti, vt Eccli. 38. *Altiſſimus creauit de terra medicamenta.* Sed neutram negationem ponunt.

Qua propter præter creationem ſcholaſticis vſitatam, coactus fui probare aliam ſignificationem in ſcripturis vſitatam, & expreſſam: & conſequenter in Patribus ſcripturam exponentibus repertam. Inter quæ duo ſignificata diſcrimen eſſe in genere & in differentia, quia definitio ſcholaſtica pro genere habet *factionem* pro differentia *ex nihilo*. Scripturalis creatio pro genere habet productionem, pro differentia *ex aliquo*. Principalis tamen intentio erat circa differentiam *ex nihilo*, quæ expreſſè, ſiuè explicitè, & formaliter non eſt conſtructa in ſcriptura cum creatione.

Idcirco in libro ſecundo Defenſionis num. 95. pag. 235. poſui tres concluſiones: me reperire in Sacra ſcriptura expreſſam.

1 Factionem ex nihilo.

2 Expreſſam creationem ex aliquo.

3 Non reperire expreſſam creationem ex nihilo, Ex neceſſitate iſtarum concluſionum oportuit me percurrere Sacræ Scripturæ authores, qui hebraicè, græcè, latinè ſcripſerunt. Quare & inter cæteras ſcripturas, oportuit afferre loca Eccli: & Prouerb. in quibus Dei ſapientia dicitur creata, hoc eſt, filius Dei dicitur creatus. Non igitur mea principalis intentio fuit tractare de filio Dei, ſed de ſignificatione vocabuli creatio. Neque in mea concluſione principali ponitur filius Dei, ſed in medio termino: ſic eſt meus Syllogiſmus expoſitorius, anteà dictus.

Verbum non eſt factum, neque ex nihilo, ſed ex ſubſtantia Patris eſt productum.

Verbum in iſtis ſcripturis prouerb. 8. Eccli. 24. & 1. dicitur creari, & creatum.

Ergo in iſtis ſcripturis creari non eſt fieri ex nihilo, & creatum eſſe non eſt factum eſſe. Conſequitur ex his, quod creatio in ſcripturis his non ſignificat *factionem ex nihilo*, ſed potius productionem ex aliquo principio præſuppoſito, & interno in ipſo producto. Iſta eſt

mea ratio, ſi formetur in pag. 249. mei libri. Maiorem probaui allato Concilio Niceno, in quo declaratur; filius non eſse factus, ſed eſse genitus de ſubſtantia Patris, atque adeò productus ex aliquo, non ex nihilo; & eadem ratio eſt in virtute poſita in pag. 34. quia filius non ex nihilo eſt productus, ſed ex ſubſtantia Patris, idcircò dicitur creatus, denominatiuè ſcilicet à creatione ibi deſcripta, quę eſt productio ex aliquo.

Comparemus iam principalem intentionem Arij cum intentione mea, & rationem Arij cum mea ratione.

Arius pro concluſione intenta ponit iſtam, *filius eſt factus ex nihilo.*

Ego, *creatum eſſe non eſt eſſe factum ex nihilo.* Concluſiones iſtæ differunt in qualitate. Concluſio enim Arij eſt affirmatiua, mea eſt negatiua: differunt in quantitate, Arij concluſio eſt ſingularis, mea indefinita: differunt in materia, quia ſubiectum in concluſione Arij eſt *filius* Dei, ſubiectum in mea concluſione eſt *creari*, & *creatum eſſe*: differunt in veritate, nam Arij concluſio eſt hæretica, damnata in Anathematiſmo Niceno; mea concluſio eſt vera de fide, determinata in Concilio Roman. quod in iſta ſcriptura Prouerb. 8. *Creauit* non eſt *fecit*, ergo creatum non eſt factum. Eademque ratio eſt de cæteris ſcripturis, in quibus ſapientia Dei dicatur creata. Si autem creatum non eſt factum, certè nec eſt factum ex aliquo, nec ex nihilo; quoniam ſublato genere, aufertur & differentia.

Comparentur Syllogiſmi. Syllogiſmus Arij eſt in prima figura in tertio modo, hoc eſt in Darij. Syllogiſmus meus eſt expoſitorius in tertia figura.

Comparentur propoſitiones. Maior Arij eſt definitio creationis Arianæ accepta in concreto ſic.

Omne creatum eſt factum ex nihilo.

Mea maior.

Verbum non eſt factum ex nihilo.

Quæ maior mea eſt contradictoria concluſionis Arij; ſicut & mea concluſio contradictoria eſt maioris Arij.

Deinde mea maior eſt definita de fide in Concilio Niceno. Maior Arij accepta ſic vniuerſaliter, & ſine diſtinctione eſt reprobata in Concilio Romano: nec enim omne creatum eſt factum, nec omne creauit eſt fecit. Sed & Sanctus Athanaſius in ſerm. 3. contra Arian. docuit: Quod non omne conditum ſeu creatum eſt creatura factitia, ſiquidem creatum dicitur eſſe Verbum, quod nō eſt res factitia.

Minor Arij erat.

Verbum eſt creatum ex Prouerb. 8.

Quæ minor eadem eſt, quæ & minor mea. Neceſſarium enim erat mihi, vel deficere in probando, ſi non attuliſſem ſcripturas iſtas, in quibus agitur de ſapientia: vel neceſſarium erat eas afferre tanquam Sacras Scripturas loquentes de creatione. Quemadmodum

& ſacræ

& ſacræ ſunt in ſe, & à me tamquam ſacræ ſcripturæ ſunt allatæ.

In hac minore, quæ ſacra ſcriptura eſt, Arius conuenit nobiſcum, dicit enim, quod nos dicimus: ſed falſam intelligentiam adiunxit, huic minori: intelligentiam quidem ante quadraginta circiter annos damnatam à S. Dionyſio Papa, nam *creauit* me, non eſt *fecit* me, inquit Pontifex. Neque creatio ſcripturalis eſt ſpecies factionis, ſicut Arius accipiebat *creatum* in medio termino tanquam ſpeciem facti. At mea minor ad hoc directa eſt, vt excludat intelligentiam Arij: concludo quippè, quòd creatum eſſe non eſt factum eſſe ex nihilo in illis ſcripturis. Simulque obſeruo, quòd negatâ concluſione Arij in anathematiſmo Niceno, neganda eſt aliqua propoſitio, non quidem minor, quia minor Arij, vti iacet eſt educta ex diuina ſcriptura, & determinata à ſummis Pontificibus. Euariſto & Dionyſio. Ergo maior Arij eſt neganda, ſicut eam negauere Athanaſius, & Cyrillus eſſe vniuerſalem, vt ſuperius dixi; vel diſtinguenda eſt cum Sanctis Thoma, & Bonauentura de creatione vſitata, in ſcriptura, vel in ſcholaſtica. Hinc apparet mihi cum Ario nihil eſſe commune, niſi ſacram ſcripturam: nam intelligentiam Arij reijcio, catholicam recipio, quòd Filius non ſit factus ex nihilo.

Bald. Diù tacui, nunc erumpo. Arius probauit concluſionem, Filius eſt creatus per iſtam ſcripturam: eamdem concluſionem tu, & per eamdem ſcripturam probas.

Matth. Erras. Illa, *Filius eſt creatus*, erat propoſitio Arij, non concluſio. Concluſio Arij damnata eſt in anathematiſmo Niceno, damnantur enim dicentes, *filium eſſe factum ex non ſubſtantibus* propoſitio iſta Arij non eſt damnata, de qua neque in ſymbolo, neque in anathematiſmo Niceno quicquam dicitur. Sed neque potuit Concilium Nicenum damnare illam propoſitionem, quam Summus Pontifex cum Concilio Romano approbauerat. Nam quod ſemel decretum eſt de fide, non poteſt amplius retractari; ſicuti de hoc Romano Concilio, in quo Sabellius eſt damnatus, affirmat Gelaſius Papa 24.q.1. *Maiores noſtri.*

Nec te moueat, ſi in argumento Arij vna propoſitio ſit vera & ex ſcriptura, quoniam cum D. Auguſtino hæretici omnes ſuos errores ex ſcriptura vera, ſed malè intellecta ſumunt, pro vt Scotus in 2. Prologi cum D. Aug. docet. Nec debet catholicus, non vti ſcriptura, ex eo quod hæreticus illa abutitur: nec enim propter hæreticam prauitatem debemus abijcere, vel tacere veritatem diuinitus reuelatam. Alioqui ad illam redimus abſurditatem, vt iam totam ſcripturam abijcere debeamus.

Bald. Sanctiſſima reſolutio, non debemus Dei dona reijcere propter inſidias diaboli.

Obſeruatio ſeptuageſimaprima.

Matth. Conſtat meas rationes non eſſe Arij, vt falsò dicebat Licetus, niſi velit aſſerere, quòd ſacra ſcriptura ſit ratio Arij: proſequamur lectionem, à pag. 20. lin. penult.

Bald. " Quarum ſanè quatuor illę præcipuè ſunt, vir optimè, nūc ex eius opere deductæ. Singularum age momenta iam expendamus. "

Matth. Si volebat probare me rationibus ex Ario petitis fulciri, debuerat licetus ex vna parte accipere Arij rationes, ex altera meas: & comparando eas adinuicem oſtendere eas eſſe eaſdem. Sed Licetus multa dicit, & nihil probat. Nunc etiam quatuor mihi attribuit rationes, cum non ſit niſi vna in meo libro defenſionis ad pag. 34. vbi creationem, quæ eſt productio applico ad filium Dei, vno enthymemate, quod & nunc commemorandum eſt.

" Quoniam filius Dei non ex nihilo, ſed ex ſubſtantia Patris præſuppoſita, & in exiſtente ipſi filio productus eſt.

Idcircò & dicitur creatus; ſcilicet denominatiuè à creatione ſcripturali, quæ non eſt ex nihilo, ſed productio ex aliquo. Aufer illam periodum, quæ tamquam per parentheſim interpoſita eſt, nil amplius de filio dictum reperies: imò nec nomen filij ſiue in rationibus, ſiue in concluſionibus.

Bald. Ergo hac vnica, & ſola ratione probas, filium eſſe creatum creatione ſcripturali, ac theologicè ſumpta.

Thom. 1. p. q. 4. art. 3. Matth. Vnica, quoniam non erat inſtituta diſputatio de Filij diuini productione, an dici poſſit creatio, nec ne. Sed in re communiſſima apud Theologos id poſitum eſt. Dixi rem communiſſimam, quid enim eſt apud Theologos magis euulgatum, quàm doctrina Diui Thomæ & Thomiſtarum? In qua doctrina, filius Dei dicitur *creatus, & genitus*. Cuius dicti occaſione plures è Schola Thomiſtarum, ex patribus, & concilijs multa contulerunt: quod & ego facere ſum conatus, occaſione huius diſputationis propter te, & Licetum enatæ, & vſque adeò laboraui, vt ex Patribus, & Doctoribus ſupra quinquaginta congeſſerim. Quod ſi coram ſummo Iudice catholicarum controuerſiarum, ſiue in concilio, ſiue extra concilium agatur cauſa: non dubito, quia Summus Pontifex ſit decreturus, quod decreuerunt prædeceſſores Pontifices, & Concilia.

Bald. Dic, quæſo, inueniſti ne aliquam ſcripturam, in qua filius negetur eſſe creatus?

Matth. Inueni ſcripturam, in qua dicatur creatus; in qua negetur creatus non, inueni.

Bald. Inueniſti ne aliquod concilium generale, in quo diſertis verbis damnetur hæc propoſitio, *filius eſt creatus?*

Matth. Non inueni. Solum in concilio Lateranenſi ſub Martino primo legitur in Symbolo Niceno, vbi nos recitamus genitum *non factum*

ſtum, Legitur, inquam, *genitum, non creatum*. Sed error interpretis eſt manifeſtus, nam in ſacro Miſſæ dicimus *genitum non factum* ſicut & in græco, *non factum*, dicitur.

Bald. Concilium Romanum ſub S. Dionyſio fuit nè generale, an prouinciale?

Matth. Si attendas ad poteſtatem vniuerſalem Pontificis, qui perſonaliter præſedit in concilio, vniuerſale debet dici concilium, ſi ad multitudinem Epiſcoporum, ignota eſt. Sed cum ageretur cauſa Epiſcopi Alexandrini, qui erat ſummus prælatus poſt Pontificem, rationabile eſt credere, multos ex Eccleſia Orientali, multos ex Occidentali conueniſſe. Nec pauci erant Occidentales illo tempore cum in concilio Carthaginenſi nationali ex ſola Africa tempore Beati Auguſtini affuerint Epiſcopi ducenti ſeptemdecim, pro vt Coriolanus teſtatur in libro de Concilijs generalibus pag. 7. Et pag. 34. in Concilio Romano II. 272. Epiſcopi erant.

Obſeruatio ſeptuageſimaſecunda.

Bald. AVdi Termaximum pag. 21. lin. 2. « Profectò quam opinio noua, tanquam ſuum Achillem profert, deductam è ſacra pagina nunquam non, vt ait, prædicante creationem eſſe productionem ex præſuppoſito principio permanente in re producta: non aliter efformatur, eſformari vè poteſt, ab eius authore, quam in hanc ratiocinationem.,,

Matth. Attende, Balde, Licetus vult meum enthymema formare, ſed peſſimè formare, vt accuſet, non formam à me poſitam, ſed ſuam peſſimam formationem mihi attribuat, & accuſet tanquam meam.

Bald. Quare non feciſti argumentum in forma?

Matth. Quatuor argumentorum formas Ariſtoteles tradidit, Syllogiſmum, Enthymema, Inductionem, Exemplum in 2. Priorum. Ego Enthymema feci. Igitur ſum argumentatus in forma. Ait Licetus meum argumentum aliter formari non poſſe à me. Ego verò iuxta regulas ab Ariſtotele traditas in 1. Priorum ſecto. 3. reduxi ad ſyllogiſmi formam Enthymema, vt ſupra, nec repeto. Mirandum verò eſt, ne dicam miſerandum à Liceto, qui ſupra quadraginta annos expoſuit Ariſtotelem creberrimis enthymematibus ornatum, non potuiſſe vnum enthymema reſolui in formam ſyllogiſticam. Nunquam Syllogiſmum facit in forma in tota ſua hac epiſtola, dum arguit contra me. Quare nec ſciuit meum enthymema reſoluere in Syllogiſmum, quod à viris doctis & Venetijs & Patauij facillimè reſolutum eſt. Sed lege formationem Liceti.

Bald. Ex pag. 21. lin. 7.

« Crea-

„Creatio verè, ac propriè in ſacris literis eſt productio ex principio præſuppoſito permanente in re producta.

Sed filius Dei ad intra productus eſt ex principio præſuppoſito, nimirū ex ſubſtantia Patris permanente in filio producto; Ergo filius Dei ad intra Theologicè verè, ac propriè creatus eſt „ Maiorem cōfirmat ex ſacra pag. Sapient. 11. dicente *Non enim erat impotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum de materia informi.* Geneſ. 5. *Maſculum & fœminam creauit eos de* luto nimirum & coſta. Hebr. 9. *Tabernaculum non manu factum, ideſt non huius creationis.* Quæ creata dicuntur, quia producta ſunt de principio præexiſtente, & inexiſtente „ Gratias multas debes Termaximò primò quidem quoniam tibi pro vna quatuor rationes progenerat.

Secundò quia Enthymema tuum Achillem appellat.

Tertiò quia illud in formam ſyllogiſticam reduxit.

Matth. Rides nimirum; quis enim mediocriter exercitatus in logicis nō melius reſolueret? Sed vt peritia Termaximi cognoſcatur accipiam regulas reſolutionis traditas ab Ariſtotele & clarius expoſitas ab Alberto, Tatareto, Buraña, Claramontio. Vt ex tranſgreſſione regularum errores Liceti formantis appareant. Prima ſit regula. Conſideranda eſt concluſio, nam ſi fuerit affirmatiua non poteſt reſolui in ſecundam figuram: ſi vniuerſalis non poteſt in tertiam. Contra hanc regulam eſt primus error Liceti. Mea concluſio eſt affirmatiua, *filius eſt creatus*, & ipſe reſoluit in ſecundam figuram.

Secunda regula ſit. Concluſio particularis affirmatiua reſoluitur in primam, vel tertiam figuram; ad quam iſtarum reſoluenda ſit cognoſcitur ex poſitione medij. Hic eſt ſecundus error Liceti, qui non conſiderauit medium terminum. Medius terminus eſt, qui non ingreditur concluſionem: & in meo enthymemate medium eſt *productum ex aliquo*, non *ex nihilo*. Antecedens Enthymematis eſt minor propoſitio, nam minor eſt, in qua ſubiectum, maior, in qua prædicatum concluſionis adeſt. At in enthymemate antecedens continet ſubiectum concluſionis ſcilicet, *filium*, ergo in minori *filius* eſt ſubiectum; medius terminus eſt prædicatum. Porrò in tertia figura medius terminus eſt ſubiectum in vtraq; propoſitione: ergo meum enthymema non debet reſolui in tertiam, ſed in primam figuram: In qua medius, terminus ſubijcitur in maiori, prædicatur in minori propoſitione. Contra hanc regulam Licetus medium, quod in maiori propoſitione debuit eſſe ſubiectum, fecit eſſe prædicatum: & eſt ſecundus error in logica.

Tertia regula ſit. In omni ſyllogiſmo debet eſſe vna propoſitio vniuerſalis, propter hoc medius terminus non poteſt eſſe ſingularis, vt Albertus ex Ariſtotele notat (excipe ſyllogiſmum expoſitorium) ſed in meo enthymemate medium eſt tranſcendens. Et poteſt

teſt diſtribui per ſignum vniuerſale ſic. Omne productum ex aliquo, non ex nihilo eſt creatum ſcripturaliter. Licetus in ſuà formatione nullam poſuit propoſitionem vniuerſalem,& eſt tertius error in logica.

Quarta regula ſit. Ne termini varientur ſecundum concretionem, & abſtrationem. In meo enthymemate omnes termini ſunt concreti, *creatus, productus, filius*, Licetus maiorem facit in abſtracto minorem in concreto: & eſt quartus error in logica.

Quinta regula. In reſoluendis ſyllogiſmis, ſi multi ſunt termini quàm pauciſſimi ſumantur, vt expeditior ſit reſolutio, ideò Ariſtoteles ſolet litteras ponere A.B.C. In meo enthymemate ſit A. *creatum* creatione Theologicè à ſcripturis accepta: ſit B. *productum* non ex nihilo, ſed ex aliquo principio præſuppoſito, & interno in re producta: ſit C. *Filius Dei*, nimis multæ voces ponuntur. Expeditius reſoluitur poſitis vocibus neceſſarijs, quæ indicāt cæteras ſit. Creatum A. productum ex aliquo B. filius C. & reſoluatur per *eſt*, nôn per *ineſt*; poteſt enim vtroque modo reſolui.

Da. Omne productum ex aliquo eſt creatum.
ri. Filius eſt productus ex aliquo.
i Ergo filius eſt creatus: creatione, quæ non eſt facto ex nihilo.

Sic reſolutio fit. Sed Licetus contra regulam poſuit vltra terminos etiam in meo enthymemate poſito, plures & non neceſſarios, & falſos: neceſſarios autem omiſit. Atque duos ſyllogiſmos in vnum Paralogiſmum concluſit. In maiore ſua *verè, ac propriè in ſacris litteris*, erat omittendum, ſicut & in concluſione. In minore *ad intra* non erat ponendum, nec duplex medium, alterum *productus eſt ex principio* præſuppoſito, alterum, *ex ſubſtantia Patris*, & eſt quintus error in logica, *quoad reſolutorios priores*.

Bald. Quid aliud indicas per iſtam limitationem?

Matth. Alter eſt error contra reſolutorios poſteriores. Siquidem quando definitio, & definitum proponuntur definiendo, & demoſtrando: definiendo præponitur definitum, in quæſtione quid eſt: demoſtrando præponitur definitio in quæſtione propter quid, atque definitio eſt ſubiectum in maiori propoſitione, definitum eſt prædicatum ex Ariſtotele. Sed Licetus minus in reſolutorijs aſſuetus, definitum poſuit vt ſubiectum in maiori, definitionem vt prædicatum; & eſt ſextus error in logica.

Bald. Vnde hanc regulam hauries?

Matth. Ex 2. Poſterior. Copiosè in textu 97. Sed ſatis in textu 41. "Quid eſt tonitrus? Ignis extinctio in nube. Propter quid tonat? eo quod extinguitur ignis in nube. Sit nubes C. tonitrus A. extinctio ignis. B. Ipſi vtique C. nubi ineſt B. extinguitur enim in ipſa ignis. Huic autem A. Sonus, & eſt B. vtique ratio ipſius A. primi extremi,,.

Aſpice interrogationem, *quid eſt*. Quid eſt tonitrus? eſt extinctio ignis

larem erit Syllogiſmus in prima figura vitioſus ex maiore particulari, ſi feceris vniuerſalem erit falſa.

Matth. Siue faciat maiorem particularem in prima figura, ſiue (ſicuti fecit) in ſecunda figura. Erit vitium, nam & in prima & in ſecunda maior debet eſſe vniuerſalis. Si à principio Licetus vt debuit conuertiſſet maiorem ſuam, & feciſſet vniuerſalem non erat ei opus implere cartam, vt liber ſit craſſior in digreſſione contra illa vitia ſuæ formationis. Nec illum iuuat, quod maior eſſet falſa, nam falſitas ad materiam ſpectat, non ad formam: quas iterum confundit Licetus.

Bald. Sextum vitium, ſi fiat in prima figura vniuerſalis maior, adhuc medium erit æquiuocum ex pag. 23. lin. 30. "Nam illud principium præſuppoſitum, ex quo permanente in rebus productis dicuntur creatæ ſtirpes, & iumenta de terra: volucres & piſces ex aquis, homo de luto, & mulier de coſta viri eſt principium materiale, paſſiuum, componens eſſentiam rei creatæ, illiuſque pars, cauſa partialis, materialis, remota, & indiſpoſita. Quum ſubſtantia Dei Patris, ex qua tamquam ex principio præſuppoſito ac permanente in filio, Verbum diuinum ad intra produci conſtituitur, nullum habeat ex his attributis: non enim eſt materiale principium, neque paſſiuum, neque componens eſſentiam filij, quæ ſimpliciſſimus actus eſt: neque cauſa ſit vllo modo filij, neque partialis, neque materialis, neque remota, neque indiſpoſita vllo modo. Sic ergo principium præſuppoſitum, atque permanens in producto, non vniuocè, ſed æquiuocè dicitur de ſubſtantia Dei Patris, ex qua Verbum ad intra produci dicitur, & de principio præſuppoſito, ex quo permanente pleræque res creatæ dicuntur in ſcriptura ſacra citatæ nunc ab authore nouæ opinionis in argumento ſuo.

Matth. Vna propoſitio Caetani 1. p. q. 41. art. 3. ſoluit & hanc & alias multas Liceti obiectiones. Ratio principij *de quo* vel *ex quo* eſt cõmunis, ad materiam, formam & aliquod ſubſiſtens. Igitur, vel conſiderat propria materiæ, & propria Deitatis, vel conſiderat rationem communem principij *de quo*, vel *ex quo*. Secundo modo habent vnam rationem communem vniuocam, vel analogam, quæ ſufficit ad excludendum illud contradictorium *ex nihilo* in productione Filij, & Spiritus ſancti, & item in productione plantarum, & animalium.

Hæc tamen obiectio manifeſtat Liceti exercitationem in logica. Ariſtoteles in 2. poſt. 106. inſtruit nos, quomodo vniuerſale colligatur ex particularibus, vt ſcilicet relinquamus propria, & retineamus commune vnum in multis, & de multis. Conſiderentur Callias homo, & Sortes homo: ſi remoueantur Callias & Sortes & conſideretur homo, iam habetur vniuerſale, & vnum in anima manens: ſimiliter conſiderando hominem animal, & brutum animal, ſi te-

Bald. Ego non inueni.

Matth. Poſco, an ſcripſerit, Filium Dei eſſe Deum, vel Deum verum, vel natura Deum.

Bald. Ne vtiquam, imò quia dicit Filium non eſſe productum ad intra, debet dicere Filium non eſſe Deum.

Matth. An quia Chriſtiani confitentur Filium Dei eſſe Deum verum; non Iudæi?

Sub pedibus S. R. E.

LIBER QVARTVS.

Obſeruatio ſeptuageſima.

Bald. TE Sugillat Termaximus, eo quod concitatus affectu, rationibus ab Ario petitis probare tuas theſes volueris. Pag. 20, lin. 10.

Math. Facilè eſt proponere titulos infames; ſed non facilè probare. Propterea & hoc Licetus dicit, ſed nihil probat. Veruntamen, quod ipſe nulla ratione probauit eſſe verum, ego vera ratione probabo eſſe falſum. Vt iſtud peragatur, neceſſe eſt proponere concluſiones intentas ab Ario, & rationes Arij ex vna parte. Secundò concluſiones intentas à me, & rationes meas ex alia parte. Etenim comparatis concluſionibus, & rationibus manifeſtè conuincetur calumnia.

Incipiamus à dictis Arij. Perſona diuina ſecundum veritatem conſtituitur duplici entitate, vna abſoluta, quæ eſt eſſentia Dei, altera relatiua, quæ eſt relatio originis, ſiue origo ipſa. Arius errauit in vtraque circa filium. Primò errauit ponens aliam eſſe eſſentiam Dei, aliam eſſentiam filij, aliam Spiritus ſancti, impiè diuidens eſſentiam Trinitatis. Aug hæreſ. 49. Ruffin. lib. 1. hiſtor. c. 1.

Secundò errauit in origine, affirmans, filium eſſe factum ex nihilo, ſicut ex nihilo facta ſunt, omnia, quæ ſunt diuerſa eſſentialiter à Deo. Athanaſ. orat. 2. contra Arian.

Ad hos errores principales multi ſequuntur.

Si à filio remoues eſſentiam Dei, quæ Deitas eſt, ſequitur, quòd filius Dei non ſit *Deus*, niſi forte participatione: non ſit *æternus*, ſed ſicut Arius dicebat, antequam naſceretur, non erat: non ſit *infinitus perfectiòne*, ſed in infinitum minor eſt Deo, non autem æqualis. Non ſit *omniſciens*, nam, vt Arius dicebat, ignorat diem Iudicij. Denique ablata eſſentia Dei à filio, auferuntur omnes proprietates eſſentiales Deitatis. Vno enim inconuenienti dato, multa ſequuntur. Conc. Nicen. in Anathemat.

Rurſus; ſi filius dicitur *factus*, vel *factus ex nihilo*: ex iſto prædicato concluduntur reliqui errores Arij, quos damnauit Nicenum concilium. Negabat æternitatem Arius; ſed probatur, quia nulla res facta, fuit ab æterno: ergo ſi filius eſt factus, non fuit ab æterno. Secundò affirmabat, filium eſſe ex nihilo, nam quæcumque facta ſunt, ex nihilo facta ſunt: ergo ſi filius eſt factus, eſt ex nihilo. Tertiò negabat, filium eſſe eiuſdem ſubſtantiæ, cum Patre: probatur, nulla res facta, eſt eadem eſſentialiter, ſiue eiuſdem eſſentiæ cum primo factore Deo, ergo ſi filius eſt factus, non eſt eiuſdem eſſentiæ, cu- 2. Machab 7.

ius eſt Deus. Quartò negabat immutabilitatem, quia nulla res facta eſt immutabilis ſiue in eſſe naturæ, ſiue in eſſe moris; ſi eſt factura rationalis. Ergo ſi filius eſt factus, cum ſit rationalis, non erit immutabilis, ſed mutabilis ex non eſſe in eſſe, & è contra: ex prauitate in probitatem, & è conuerſo. Hi quatuor errores ſunt in anathematiſmo Niceno damnati, maximè verò à filio negata eſt ratio *facti*; qui error Spiritu ſancto illuſtrante, præcognitus fuerat à S. Dionyſio Romano Pontifice; & à Concilio Romano dictum erat, filium eſſe *genitum, non factum*: quæ Papalis loquutio à Patribus Nicenis in Symbolum poſita eſt aduerſus Arium.

Hinc apparet intentio principalis Arij, nam volebat probare concluſionem: *Filius Dei eſt factus ex nihilo*, quoniam ex iſta, cætera probabantur.

Ad probandam iſtam concluſionem arguebat Arius ex c.8. Prouerb. in quo tota Eccleſia legebat, hodieque legit Eccleſia Orientalis, de ſapientia Dei. *Dominus creauit me. Ante omnes colles genuit me.* Ex ratione ergo *creati*, & *geniti* argumenta duo formabat, ſuperius etiam tacta.

Arij argumēta.

Primum ſic. Omne creatum eſt factum ex nihilo.
Filius Dei eſt creatus Prouerb.8.
Ergo filius Dei eſt factus ex nihilo.

Quæ eſt concluſio principalis, & principaliter intenta ab Ario: minorem probabat 1. Cor. 1. *Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam,* & argumentum eſt huiuſmodi.

Dei ſapientia eſt creata,
Filius eſt Dei ſapientia:
Ergo filius eſt creatus.

Secundum ſic, Omne genitum eſt factum.
Filius Dei eſt genitus Prouerb.8. Ioan.1.
Ergo filius Dei eſt factus, quare & ex nihilo:

Maiorem probabat numerando duodecim modos generationis, in quibus omnibus conſtat, quod genitum eſt, eſſe factum. Hoc argumentum Arij memorat S. Bonauentura in 1. d.13. dub.8. numeratque duodecim modos generationis, quos D. Thom. 1. p. qu.43. art.2. recenſet, & ante ipſos Alenſis 1.p.q.42.membr.5.art.3. alia multa argumenta faciebat Arius. Quæ collecta ſunt apud Cyrillum, & Clarum: atque iſta ſufficiant pro intentione Arij, & rationibus eius.

Nunc meam intentionem declaro. In veſtigatione Peripatetica prima dixeram, me nolle diſputare de voce creationis propter contentiones futuras de voce, quæ æquiuoca eſt. Mei offenſores ſæpè, ac ſæpius communitatem Theologorum, & vniuerſalitatem omnium Theologorum obijciunt, dicentium creationem eſſe factionem ex nihilo; & per particulam *ex nihilo* intelligi volebant nega-

negationes duas, negationem omnis partis, & negationem ſubiecti præſuppoſiti. Multi quidem Theologi, & Philoſophi tenent illam opinionem, non omnes, nam in libro 2. Defenſionis pag. 219. citaui Franciſcum de Maironis negantem rectè diffiniri creationem per ly *ex nihilo*: excepi nominales, qui tenent formas fieri ex nihilo, ſed non creari. In eadem ſententia eſt Ægidius cum ſua ſchola in 2.d.1.p.1.q.4. art.6. hi non requirunt duas negationes, ſed ſolam negationem omnis partis ad factionem ex nihilo. Excepi authores rationum ſeminalium, qui ſolam negationem partis requirunt in dicto *ex nihilo*; ſunt autem hi grauiſſimi & Theologi, & Philoſophi, Excepi denique Theologos primarios, ideſt ſcriptores Canonicos, qui in creatione ponunt affirmationem principij præſuppoſiti, vt Eccli. 38. *Altiſſimus creauit de terra medicamenta.* Sed neutram negationem ponunt.

Qua propter præter creationem ſcholaſticis vſitatam, coactus fui probare aliam ſignificationem in ſcripturis vſitatam, & expreſſam: & conſequenter in Patribus ſcripturam exponentibus repertam. Inter quæ duo ſignificata diſcrimen eſſet in genere & in differentia, quia definitio ſcholaſtica pro genere habet *factionem* pro differentia *ex nihilo*. Scripturalis creatio pro genere habet productionem, pro differentia *ex aliquo*. Principalis tamen intentio erat circa differentiam *ex nihilo*, quæ expreſſè, ſiuè explicitè, & formaliter non eſt conſtructa in ſcriptura cum creatione.

Idcirco in libro ſecundo Defenſionis num. 95. pag. 245. poſui tres concluſiones: me reperire in Sacra ſcriptura expreſſam.

1. Factionem ex nihilo.
2. Expreſſam creationem ex aliquo.
3. Non reperire expreſſam creationem ex nihilo, Ex neceſſitate iſtarum concluſionum oportuit me percurrere Sacræ Scripturæ authores, qui hebraicè, græcè, latinè ſcripſerunt. Quare & inter cæteras ſcripturas, oportuit afferre loca Eccli: & Prouerb. in quibus Dei ſapientia dicitur creata, hoc eſt, filius Dei dicitur creatus. Non igitur mea principalis intentio fuit tractare de filio Dei, ſed de ſignificatione vocabuli creatio. Neque in mea concluſione principali ponitur filius Dei, ſed in medio termino; ſic eſt meus Syllogiſmus expoſitorius, antea dictus.

Verbum non eſt factum, neque ex nihilo, ſed ex ſubſtantia Patris eſt productum.

Verbum in iſtis ſcripturis prouerb. 8. Eccli. 24. & 1. dicitur creari, & creatum.

Ergo in iſtis ſcripturis creari non eſt fieri ex nihilo, & creatum eſſe non eſt factum eſſe. Conſequitur ex his, quod creatio in ſcripturis his non ſignificat *factionem ex nihilo*, ſed potius productionem ex aliquo principio præſuppoſito, & interno in ipſo producto. Iſta eſt

mea ratio, ſi formetur in pag.249. mei libri. Maiorem probaui allato Concilio Niceno, in quo declaratur; filius non eſse factus, ſed eſse genitus de ſubſtantia Patris, atque adeò productus ex aliquo, non ex nihilo; & eadem ratio eſt in virtute poſita in pag.34. quiá filius non ex nihilo eſt productus, ſed ex ſubſtantia Patris, idcircò dicitur creatus, denominatiuè ſcilicet à creatione ibi deſcripta, quę eſt productio ex aliquo.

Comparemus iam principalem intentionem Arij cum intentione mea, & rationem Arij cum mea ratione.

Arius pro concluſione intenta ponit iſtam, *filius eſt factus ex nihilo.*

Ego, *creatum eſſe non eſt eſſe factum ex nihilo.* Concluſiones iſtæ differunt in qualitate. Concluſio enim Arij eſt affirmatiua, mea eſt negatiua: differunt in quantitate, Arij concluſio eſt ſingularis, meá indefinita: differunt in materia, quia ſubiectum in concluſione Arij eſt *filius* Dei, ſubiectum in mea concluſione eſt *creari, & creatum eſſe:* differunt in veritate, nam Arij concluſio eſt hæretica, damnata in Anathematiſmo Niceno; mea concluſio eſt vera de fide, determinata in Concilio Roman. quod in iſta ſcriptura Prouerb. 8. *Creauit* non eſt *fecit*, ergo creatum non eſt factum. Eademque ratio eſt de cæteris ſcripturis, in quibus ſapientia Dei dicatur creata. Si autem creatum non eſt factum, certè nec eſt factum ex aliquo, nec ex nihilo; quoniam ſublato genere, aufertur & differentia.

Comparentur Syllogiſmi. Syllogiſmus Arij eſt in prima figura in tertio modo, hoc eſt in Darij. Syllogiſmus meus eſt expoſitorius in tertia figura.

Comparentur propoſitiones. Maior Arij eſt definitio creationis Arianæ accepta in concreto ſic.

Omne creatum eſt factum ex nihilo.

Mea maior.

Verbum non eſt factum ex nihilo.

Quæ maior mea eſt contradictoria concluſionis Arij; ſicut & mea concluſio contradictoria eſt maioris Arij.

Deinde mea maior eſt definita de fide in Concilio Niceno. Maior Arij accepta ſic vniuerſaliter, & ſine diſtinctione eſt reprobata in Concilio Romano: nec enim omne creatum eſt factum, nec omne creauit eſt fecit. Sed & Sanctus Athanaſius in ſerm.3. contra Arian. docuit: Quod non omne conditum ſeu creatum eſt creatura facticia, ſiquidem creatum dicitur eſſe Verbum, quod nō eſt res facticia.

Minor Arij erat.

Verbum eſt creatum ex Prouerb.8.

Quæ minor eadem eſt, quæ & minor mea. Neceſſarium enim erat mihi, vel deficere in probando, ſi non attuliſſem ſcripturas iſtas, in quibus agitur de ſapientia: vel neceſſarium erat eas afferre tanquam Sacras Scripturas loquentes de creatione. Quemadmodum

& ſacræ ſunt in ſe, & à me tamquam ſacræ ſcripturæ ſunt allatæ.

In hac minore, quæ ſacra ſcriptura eſt, Arius conuenit nobiſcum, dicit enim, quod nos dicimus: ſed falſam intelligentiam adiunxit, huic minori: intelligentiam quidem ante quadraginta circiter annos damnatam à S. Dionyſio Papa, nam *creauit* me, non eſt *fecit* me, inquit Pontifex. Neque creatio ſcripturalis eſt ſpecies factionis, ſicut Arius accipiebat *creatum* in medio termino tanquam ſpeciem facti. At mea minor ad hoc directa eſt, vt excludat intelligentiam Arij: concludo quippè, quòd creatum eſſe non eſt factum eſſe ex nihilo in illis ſcripturis. Simulque obſeruo, quòd negatâ concluſione Arij in anathematiſmo Niceno, neganda eſt aliqua propoſitio, non quidem minor, quia minor Arij, vti iacet eſt educta ex diuina ſcriptura, & determinata à ſummis Pontificibus. Euariſto & Dionyſio. Ergo maior Arij eſt neganda, ſicut eam negàuere Athanaſius, & Cyrillus eſſe vniuerſalem, vt ſuperius dixi; vel diſtinguenda eſt cum Sanctis Thoma, & Bonauentura de creatione vſitata, in ſcriptura, vel in ſcholaſtica. Hinc apparet mihi cum Ario nihil eſſe commune, niſi ſacram ſcripturam: nam intelligentiam Arij reijcio, catholicam recipio, quòd Filius non ſit factus ex nihilo.

Bald. Diù tacui, nunc erumpo. Arius probauit concluſionem, Filius eſt creatus per iſtam ſcripturam: eamdem concluſionem tu, & per eamdem ſcripturam probas.

Matth. Erras. Illa, *Filius eſt creatus*, erat propoſitio Arij, non concluſio. Concluſio Arij damnata eſt in anathematiſmo Niceno, damnantur enim dicentes, *filium eſſe factum ex non ſubſtantibus* propoſitio iſta Arij non eſt damnata, de qua neque in ſymbolo, neque in anathematiſmo Niceno quicquam dicitur. Sed neque potuit Concilium Nicenum damnare illam propoſitionem, quam Summus Pontifex cum Concilio Romano approbauerat. Nam quod ſemel decretum eſt de fide, non poteſt amplius retractari; ſicuti de hoc Romano Concilio, in quo Sabellius eſt damnatus, affirmat Gelaſius Papa 24.q.1. *Maiores noſtri.*

Nec te moueat, ſi in argumento Arij vna propoſitio ſit vera & ex ſcriptura, quoniam cum D. Auguſtino hæretici omnes ſuos errores ex ſcriptura vera, ſed malè intellecta ſumunt, pro vt Scotus in 2. Prologi cum D. Aug. docet. Nec debet catholicus, non vti ſcriptura, ex eo quod hæreticus illa abutitur: nec enim propter hæreticam prauitatem debemus abijcere, vel tacere veritatem diuinitus reuelatam. Alioqui ad illam redimus abſurditatem, vt iam totam ſcripturam abijcere debeamus.

Bald. Sanctiſſima reſolutio, non debemus Dei dona reijcere propter inſidias diaboli.

linquantur à conſideratione homo, & brutum: atque conſideretur *animal* habebitur vnum in anima, quod eſt animal. Similique ratione, omnes conceptus compoſiti reſoluuntur vſque ad generaliſſimum. Proportionaliſque reſolutio fit ex rebus determinati generis ad conceptus, ſiue rationes tranſcendentes. Neque ratio prædicati vniuoci, aut analogi attenditur, quantum ad propria vniuocatis, ſiue analogatis: ſed quantum ad communia. In primo logicæ capitulo vniuocum dicitur eſſe animal ad hominem, & bouem, quibus conuenit ſecundum vnum nomen, & vnam rationem. Si Licetus argumentetur contra Ariſtotelem, quod alia ratio eſt in homine, alia in boue: nam homo eſt rationalis, eſt riſibilis, ſcientiarum capax, libertatis particeps: oppoſita ſunt in boue, ergo animal non eſt vniuocum homini & boui. Ridebunt tirones logicæ, dicentque non in propria differentia, vel propria paſſione hominis, & bouis attendi vniuocationem, ſed in ratione animalis. Addo in tali forma argumenti. Aliæ ſunt conditiones materiæ, aliæ Deitatis: ergo ratio principij præſuppoſiti vt ſic, non eſt vniuoca: contineri fallaciam accidentis, fallaciam conſequentis, fallaciam non cauſæ, vt cauſæ.

Fallaciam accidentis, arguendo ex diuerſitate partiali ſecundum propria, ad diuerſitatem totalem, etiam ſecundum communia. Sic Licetus arguebat ſuperius, productionem eſſe æquiuocam: ſic arguit nunc, principium, de quo vel ex quo eſſe æquiuocum.

Fallaciam conſequentis à negatione inferioris ad negationem ſuperioris, vt ſi Petrus non eſt Paulus, ergo non eſt homo. Ita ſi materia non eſt Deitas, ergo materia non eſt aliquid, Deitas non eſt aliquid: nec poteſt ex eis produci quippiam vt ex principio de quo præſuppoſito.

Fallaciam non cauſæ, quia cauſa habendi aliquod commune vniuocum, aut non habendi, non ſunt propria hominis, vel bouis, in quibus differunt, ſed cõmunia. Sed Licetus pro cauſa tollendæ vniuocationis adducit propria Deitatis, & propria materiæ tãquam cauſam vniuocationis ponendæ; vel tollendæ, cum iſta non ſint cauſæ.

Frequentiſſimè verò in deſcribendis ſignificationibus creationis, & alibi, pandit Licetus ſe conſiderare concreta cum materia re, & ratione, tamquam medicum, vel Phyſicum. Sed abſtractiones Logicas, Metaphyſicas, Theologicas non habere in promptu.

Bald. Nunquid, & rebus Theologicis officit, non abſtrahere communia à proprijs.

Matth. Officit. Cum Theologi arguunt; Filius Dei eſt productus, vel ex nihilo, vel ex aliquo: & ſi ex aliquo, vel de ſubſtantia Dei producentis, vel de aliqua alia ſubſtantia. Putant ſe ſufficienter arguere contrà Arianos. Et in prima diuiſione *ipſum aliquid* ponunt veluti contradictorium ad ipſum *nihil*. Iam ſecundum Liceti calliditatem

tem ipſum aliquid, *ex quo*, erit æquiuocum ad ſubſtantiam Dei, *de qua*, & ad ſubſtantiam aliam à Deo, *de qua*. Inde hoc argumentum validiſſimum pro catholicis contra Arianos, vitium æquiuocationis includit, Liceto, ſi quidē nihil poteſt eſſe vniuocū materiæ *de qua* producuntur corpora, & Deitati *de qua* producitur filius. Licetus de argumento à ſe facto dicit, eſſe purum putum ſophiſma cart. 21. lin. 19. pag. 24. lin. 19. pag. 158. pag. 154. pag. 189. & verè dicit ſuam formationem eſſe ſophiſticam; ſed meum argumentum ille non intellexit, nec eius formam.

Bald. Nimium obſcuras iſtis dictis Termaximum Doctorem omnium.

Matth. Res ipſa conſideretur, & ſciet quilibet, an meum dictum ſit verum, vel ne.

Obſeruatio ſeptuageſimaquarta.

Matth. IN pag. 21. multa ſunt mala fide addita, detracta, inuerſa à Liceto quæ nullatenus ſunt prætermittenda.

1 Primum eſt particula *propriè*.

2 *Ad intra*, hæc mala fide ſunt addita in meo argumento quæ non ſunt in eo. Lege in libro Liceti ad pag. 8.

3 *Ex nihilo*.

4 Ex aliquo, detracta ſunt ex argumento. Idque non ſine grandi iniuſtitia, quoniam per has duas particulas à productione & creatione filij ſcripturali, remouetur ſenſus hæreticus Arij, & includitur ſenſus catholicus.

5 Probationem mutilatam adduxit, callidè ommittens primam partem, callidè referens ſecundam. Definiui creationem ſcripturalem diuiſi eam per *ad intrà*, & *ad extra*. Ad probandam creationem ſcripturalem ad intra duas attuli ſcripturas. Vnam Eccli. 24. in qua ſapientiæ dicit ſe eſſe creatam abſolutè: *Ante ſæcula creata ſum*. Alteram Prouerb. 8. in qua ſapientia dicit ſe creatam cum addito *Dominus creauit me principium*. quia verò nihil quod ſit Deus, poteſt eſſe nihil: ideo ſapientia illa, quæ Deus eſt, non poteſt eſſe producta ex nihilo, ſed eſt producta ex aliquo, taliſque productio appellatur creatio; igitur ad intra datur creatio, quæ eſt productio ex aliquo. Totam hanc partem citator infidus omiſit. Aliam partem, quæ eſt de creatione ad extra attulit ad probandam maiorem, callidè volens coniungere me cum Ario, qui ponit filium creatum ad extra. Vel ſi minus hoc intendebat Licetus (quoniam putat Arianam hæreſim eſſe, quod *filius ſit productus ad intra)* ſaltem apud Catholicos lectores apparens datur occaſio iudicandi de me.

Denique ego poſui vocabula principij interni, principij inexiſtentis. Fidelis formator argumenti mei omiſit vocem inexiſtentis, & interni; poſuit vocem *permanentis*, in argumento pag. 21. lin. 9. lin. vlt. pag. 22.

pag.22. lin.2. lin. penult. pag.23. lin.5. lin.12. & ſæpè quaſi non differant iſta. Profectò ſi ſtatua ſit ex lapide, in ſtatua permanent candor, frigiditas, & alia multa, quæ non ſunt principia interna, vel in exiſtentia in ſtatua, ſunt tamen permanentia.

Bald. Tám multis modis video laceratum, & quoad materiam, & quoad formam enthymema tuum, vt non mediocriter commouear ad non credendum facilè.

Obſeruatio ſeptuageſimaquinta.

Bald. OMmitte formam dicamus aliquid de materia, pag.23. lin.8. ſcribit Termaximus. " At etiam geminato vitio in maiori correcta ſtatim incidet in Scyllam falſæ propoſitionis, cupiens euitare Caribdim maioris particularis, enim verò falſum eſt omnem creationem in ſacra pag. cultam eſſe productionem ex præſuppoſito principio permanente in re producta.

Quia tum anima rationalis,

Tum materia prima, ſi placet.

Tum omnia ſimul accepta pſal.32.

Tum Cœlum, & terra in principio temporis creata ſunt à Deo ex nihilo: proindèque de nullo præſuppoſito principio permanente in re producta, nam ante principium illud temporis, in quo Deus creauit cęlum, & terram, nullum principium præfuit, ex quo permanente in cęlo, & in terra duo iſta creari potuerint. "

Matth. Quatuor proponit, quæ ſint ex diuina ſcriptura creata ex nihilo; ſed facit quatuor citationes falſas.

1 Anima rationalis nunquam in ſcriptura dicitur eſſe *creata:* Sanctus Auguſt. multo tempore, multo labore, multis adiutoribus quæſiuit, vtrum animæ ſingulæ hominum ex nihilo eſſent factæ, vel creatæ: & confeſſus eſt in ſacra ſcriptura ſe id non reperiſſe. Et verè in ſcriptura non reperitur hæc propoſitio: anima rationalis eſt creata, aut creata ex nihilo.

Aug. in epiſt. ad Hieron. & ad Optatū. Vide Caſtrēſ. tit. Anima hæreſ.5. car. 238.

2 Citatio eſt falſa, neque inueniet Licetus, aut quicumque alius in ſcriptura, quòd materia prima ſit creata ex nihilo.

Bald. Materia prima non poteſt eſſe facta ex aliquo, ergo eſt facta ex nihilo.

Matth. Multa dicimus cum diuina ſcriptura, multa etiam, quæ in ſcriptura non ſunt, aſſertore D. Auguſtino lib.3. contra Maximinum cap.2. ſic dicimus Patrem *ingenitum*, ſiue *innatum* ſic *Spiritum ſanctum eſſe adorandum*, & alia multa; ſed tamen diſtinguere debemus, & quæ ſunt in ſcriptura, & ea quæ non ſunt. Certa doctrina eſt, quòd materia prima facta eſt ex nihilo immediatè & certum eſt; quod omnia compoſita ratione materiæ primæ inexiſtentis dicuntur eſſe facta ex nihilo, iuxta S. Auguſtinum in libro de fide, & ſym-

& ſymbolo cap.2. & in lib.1. de Geneſi contra Manichæos cap.5. ad 7. & in lib.1. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ cap.1. & ſæpè alibi. Multaque alia ſunt, ſiue deducta ex ſcriptura diuina, ſiue aliunde adducta; nec propterea debemus confundere ſcripturam cum iſtis, quæ ſunt extra ſcripturam. Falsò igitur Licetus ſcripturam Dei citat, cum ſcriptura Dei non dicat materiam primam eſſe creatam de nihilo.

Bald. Quid ſibi vult particula, *ſi placet*, addita à Termaximo?

Matth. Vult vt placitum proprium ſuum ſit placitum ſcripturæ Dei, ſi Deo placet. Sed beatis Thomæ, & Bonauenturæ non placet, quòd materia prima ſit propriè creata, vel creatura. Si autem Licetus verè citaret, ſequeretur facinus indignum, vt iſti Sancti contra ſcripturam expreſſam docuerint. Tho.1.p. q.45. art. 4. Bon.1.d. 8.q.6.

Bald. Igitur hæ duæ probationes nihil probant.

Matth. Tantumdem probabunt & reliquæ: Tertia quippè de omnibus ſimul acceptis citat verſ.9. pſal.32. Quoniam ipſe dixit & facta ſunt: ipſe mandauit & creata ſunt. In qua vna citatione ſunt tres falſæ citationes.

1 In iſto verſu citato non eſt ſignum vniuerſale *omnis* vel *omnia*. Quando iſtud ſignum vniuerſale *omnes* & *omnia* ſumitur in plurali, poteſt accipi collectiuè, vt *omnes Apoſtoli* ſunt duodecim. Sed in iſto verſiculo ſignum non adeſt ſiuè in ſingulari, ſiuè in plurali igitur Licetus falsò citauit; *omnia* ſeu collectiuè, ſeu diſtributiuè.

2 Quoniam verſiculus citatus non tractat de omnibus Dei operibus ſimpliciter: ſed de operibus ſex dierum narratis à Moyſe per verbum *dixit* & per *imperatiuum fiat* vel ſimile. Sed hæc opera ſex dierum non ſunt facta ex nihilo; facta enim ſunt ex ſubſtantia præexiſtentium corporum factorum ante omnem diem, vt ſanctus Thomas tradit 1.p.q.70.art.1. Ergo in illo verſu ponitur creatio ex aliquo præexiſtente, & inexiſtente.

3 Remigius in pſal.148. exponit eumdem verſiculum, vt omnia in illo verſiculo contenta ſint *facta ex nihilo* ratione materiæ: creata ex aliquo ratione ſuæ formæ.

Bald. Quarta citatio eſt. *In principio creauit Deus cęlum & terram.* ergo ex nullo præſuppoſito, nam antè illud principium temporis nullum principium præfuit, *ex quo* cęlum & terra crearentur.

Matth. Vel attendimus productionem cęli & terræ immediatam, & ſub ratione totius compoſiti: vel productionem materiæ, ex qua creatum eſt cęlum & terra. Primò modo cęlum & terra immediatè creata ſunt ex materia. Secundò modo materia facta eſt immediatè ex nihilo. Ita Sanctus Auguſtinus de fide & ſymbolo cap.3. docet mundum & omnia quæ in eo ſunt ex materia eſſe facta, materiam eſſe factam de nihilo, quapropter, inquit, « Rectiſſimè creditur omnia Deum feciſſe de nihilo, quia etiamſi de aliqua Sic Bed. in Geneſ.

mate-

materia factus eſt Mundus, eadem ipſa materia de nihilo facta eſt.;, Idem docet in 1. de Geneſi contra Manichęos cap.5. in lib.1. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ cap.1. in 12. Confeſſionum cap.20. vbi exponit iſtum verſiculum, in principio fecit Deus cęlum, & terram *fecit* legebat Auguſtinus, nō *creauit*. & hic affert quatuor ſenſus veros, quos omnes à Moyſe intentos docet à cap.27. vſq; ad finem libri. Primò per cęlum, & terram intelligit.

1 Creaturam ſpiritualem, & corporalem.
2 Cęlum, & terram ſenſibilem.
3 Materiam creaturæ ſpiritualis, & corporalis.
4 Materiam creaturæ corporalis.

Duo ſunt conſectaria ex his. Primum, quòd compoſita facta ſunt de materia, materia eſt facta de nihilo.

Secundum, quòd facere & creare in hoc verſiculo accipitur indeterminatè ad ex aliquo, & ex nihilo. nam Deus fecit compoſita, & materiam: fecit quidem compoſita ex materia, materiam ex nihilo.

Cæterùm ſecundus ſenſus eſt litteralis, & proprius; cæteri ſunt figurati. Quo circa exponendo ſcripturam propriè, cęlum & terra creata ſunt propriè, ſed ex materia præcedente.

Nec ſolùm expoſitio hæc eſt Auguſtini. Sed Sanctus Thomas, 1.p.q.66. art.1. profert conſenſum Patrum docentium corpora omnia formata eſſe de materia informi. Profert diſſenſum eo quod alij dicant materiæ informitatem præcedere ordine originis ſicut Auguſtinus tenet, & Eucherius, & Beda, atque Thomas. Alij ſuſtinent materiam præcedere ordine durationis formationem cęli & terræ, vti ſunt Chryſoſtomus, Ambroſius, Baſilius, quibus addo S. Gregorium 32. Moral. cap.9. & 10. S. Bonauenturam 2.d.12. qu.1.2.3.

Sed Martinengus Gloſsa magna in Geneſi tom.1. à pag.265. ad 287. oſtendit conſenſum Patrum, dixerim, omnium, quòd corpora formata ſint de chao, ſiue materia prima; & ſpecies diuerſas ipſius chai iuxta varias patrum ſententias figurat, Quare ex conſenſu omnium Patrum, Deus vt principium actiuum de materia, vel prima, vel ſecunda (informi à forma perfecta, ſed formata cum aliqua forma imperfecta) tamquam de principio paſſiuo, & *ex quo* creauit cęlum & terram. Id quod antiquiſſimus S. Iuſtinus ſenſit in oratio. ad Antonin. to.1. pag.112. & pag.168. Quia verò multi Patres docuere, mundum eſſe factum ex nihilo ſiuè creatum ex nihilo: alij non eſſe creatum ex materia. Notandum, quòd Gnoſtici & Hermogenes dixere Deum feciſſe omnia ex materia præparata: ſed cum duabus conditionibus videlicet, quòd materia eſſet coęterna Deo, & quod eſſet ineffecta ſiuè vt illi loquebantur *ingenita*. Ideò Patres docuere differentiam inter Deum, & hominem factorem:

rem: homo namque facit, ſed de materia ab alio facta; Deus facit compoſita, ſed de materia, quam ipſe Deus fecit; in quem ſenſum loquitur Auguſtinus de fide & ſymbolo cap.2.lib.1. contra Aduerſ. legis cap.8.9. Legatur Doctiſsimus Feuardentius, cuius verba hic adſcribere placuit, ſuper librum ſecundum Irenæi cap.19.pag.174. col.1.n.9. "Gnoſticos arguit Irenæus, quia poſt Philoſophos mundi fabricatorem mundum ipſum ex ſubiecta materia feciſſe dicerent: quod & ante eum fecerunt Theophylus Antioceo nomine Platonicos damnans, ſimul & Iuſtinus Platonem nominatim reum agens, quod Deum non ποιητὴν idest factorem, ſed Δημιουργὸν, ideſt conditorem, qui condendi facultatem à materia habuiſſet, aſſerebat. Hos ſequutus Tertullianus, toto orationis impetu, eamdem ſententiam amplexantem Hermogenem obruit, materiam illam affirmans ignotam eſse Prophetis, Apoſtolis, imò & ipſi Chriſto. His accedit & Euſebius, adductis ſententijs Dionyſij Alex. Origenis, & Maximi illos abſque ſcelere non eſſe pronuncians, qui materiam primam ad factionem totius Deo ſubijciunt. Feuardentius.

Contra verò nihil frequentius nunc audiunt Theologorum ſcholæ, quàm Deum ex materia informi, corporea omnia condidiſse, in eamque ſententiam pedibus, & manibus feruntur Dionyſius Areopag. Tatianus, Lactantius, Auguſtinus, Theodoretus.

Conciliabuntur autem facilè, ſi materiam illam Deo non eſse coæternam, nec ingenitam, vt cum Philoſophis Hermogenes volebat, nec ex Achamot æonis errantis commentatione ortam, cum Gnoſticis dixeris: ſed à Deo Opt. Max. ex nihilo aliquando creatam, indèque formarum adiectione omnia ab eodem condita fuiſſe, cum Patribus ſenſeris: quod non obſcurè indicat Iræneus cap.10. & 11. huius libri."

Liquidò patet hactenus in 1. verſiculo Geneſis, nec ad litteram, nec ad ſenſum contineri expreſsè particulam *ex nihilo*. Non ad litteram, quanquam aliquis Sacrilegè audax dicat, ibi expreſsè legi particulam *ex nihilo*, contra fidem omnium librorum Geneſis, hebraicè, græcè, latinè ſcriptorum. Non ad ſenſum, quoniam ſcriptura exponenda eſt juxta communem conſenſum Patrum ex decreto Conciliorum Lateranenſis ſub Leone X. & Tridentini. At ex conſenſu Patrum collecto à diuo Thoma, & Martinengo Cælum, & terra facta ſunt de materia. Seſſ.11. Seſſ.4

Conſtat item, Licetum falsò, & verba ſua poſuiſſe pro verbis Dei, & falſum aſſumere; quia præter Deum, & præter Cælum, & terram, datur tertium, quod eſt materia præexiſtens ordine, vel originis, vel durationis, ex qua creatum eſt Cælum & terra.

Bald. Ergo & hæc citatio Domini mei Termaximi eſt bifariam falſa & quantum ad litteram, & quantum ad intelligentiam Patrum.

Matth. Magnopere delectatur Licetus falſis citationibus. Scit enim fal-

ſas concluſiones ſuas non poſſe probari, niſi ex falſis.

Bald. Ignoſcendum eſt, quandoque bonus dormitat Homerus.

Matth. *Quandoque* dicis? Imò frequentiſſimè has eaſdem citationes falſas cum alijs falſis repetit, vt

In pag. 23
Pag. 49
Pag. 85
Pag. 89
Pag. 90
Pag. 148
Pag. 152
Pag. 158
Sicut & in pag. 23.

Imò & ſæpius eadem repetit: nam illi materies deerat ad implendam cartam, & reddendam craſſiorem hanc epiſtolam.

Obſeruatio ſeptuageſimaſexta.

Bald. IN pag. 25. aliud argumentum facit probando definitionem creationis à te datam eſſe falſam, eò quod non eſt conuertibilis.

Matth. Lege rationem eius.

Bald. Eſt in pag. 25. lin. 4.

" Quia productio phyſica ſtirpium & animalium ex ſemine, doctore Philoſopho, eſt ex præſuppoſito principio permanente in re producta.

Non eſt tamen propriè dicta creatio Theologicè, vt vnicuique conſtat.

Sic artificioſa productio nauis ex ligno, domus ex lapidibus, & aliarum rerum multarum ex proprio cuiuſque ſubiecto eſt ex principio præſuppoſito permanente in re producta.

Non tamen eſt propriè dicta creatio Theologicè. Sequitur concluſio, quod iſta propoſitio prius poſita, omnis productio ex præſuppoſito principio permanente in re producta eſt propriè dicta creatio Theologicè, eſt falſa propoſitio.

Matth. Hi duo ſyllogiſmi non ſunt in forma, quæramus figuram. Da medium terminum.

Bald. In prima propoſitione; productio phyſica ſtirpium eſt ex præſuppoſito: in ſecunda, productio phyſica ſtirpium non eſt creatio Theologicè. Igitur medius terminus eſt productio phyſica ſtirpiũ.

Matth. Syllogiſmus eſt in tertia figura; & primum vitium ex minore negatiua. Minore enim exiſtente negatiua in tertia figura, nihil ſequitur.

Secundum vitium, quòd neutra propoſitio eſt vniuerſalis contra regulam, ex puris particularibus nihil ſequitur.

Tertium vitium, concludit indirectè in tertia figura, non *omnis productio ex præſuppoſito*, quæ eſt maior extremitas, eſt ſubiectum in concluſione, cum debeat eſſe prædicatum.

Quartum vitium. Medius terminus per negligentiam in minore non eſt repetitus; & fortè eſt repetitus in Concluſione.

Quintum vitium, ſyllogiſmus in nullo modo tertiæ figuræ eſt.

Sextum. Concluſio propoſita eſt ante propoſitiones; nec dignatus eſt Licetus eam colligere, quam ſi collegiſſet, formæ vitium facilius deprehendiſſet.

Sex vitia formæ ſunt in primo ſyllogiſmo; totidem ſunt in ſecundo ſyllogiſmo. Meus præmonſtrator vitiorum in forma, tàm multis modis errat in forma. Sanè meum enthymema erat in forma legitima enthymematis; ſed vt ait Licetus, non poteſt aliter efformari, niſi cum tot vitijs. Verum eſt, non poteſt aliter efformari à Liceto. Sed aliter efformari poteſt; & ab vno ex meis diſcipulis facillimè ita formatum eſt.

Quidquid productum eſt ex aliquo, non ex nihilo, eſt creatum.
Filius eſt productus ex aliquo, non ex nihilo.
Igitur filius eſt creatus.

Intellige non de creatione Ariana, quæ eſt factio ex nihilo: ſed de creatione ſcripturali, quæ eſt productio ex aliquo.

Bald. Quid reſpondes ad materiam argumentorum?

Matth. Primò dico definitionem meam eſſe rectè aſſignatam, quam S. Auguſt. ex diuinis litteris dedit, dicens. *Creare eſt ex eo quod* iam eſt. Ordinando aliquid conſtituere, quam definitionem S. Thomas retulit, nec reprobauit 1. p. q. 45. art. 1. ſicut in epiſtola reſponſiua leges pag. 52. & 53.

Bald. Nihil morabitur Termaximus vel te, vel doctores, ſi rationi ſitis aduerſi.

Matth. Ommiſſa voce adulterina *propriè* toties repetita. Quam particulam facilè tolerarem, ſi acciperet proprietatem ex vſu ſcripturæ non ex vſu Sabellij, & Arij. Ad Argumentum vtrumque nego ſecundam propoſitionem, quam proponit, ſed de more non probat.

Ea reprobabo., & primò, quoad artificioſa. Sanctus Paulus hebr. 9. de operibus manu factis enuntiat illa eſſe opera creationis. Aut igitur loquutio iſta in diuina ſcriptura non eſt theologica, aut falsò dicit Licetus artefactorum non eſſe creationem theologicè. Sed & Auguſtinus in 1. contra aduerſ. Legis cap. 23. Vrbes ex lapidibus & lignis conſtitutas dicit eſſe creatas iuxta loquutionem ſcripturarum. Sed Vrbes producuntur productione artificioſa, ergo productione artificioſè producta dicuntur eſſe creata, & per con-

ſequens productio artificioſa eſt creatio theologicè.

Secundò, quoad naturalia eccli.31. *Vinum in iucunditatem creatum eſt, non in ebrietatem*. Vinum naturaliter ex vite generatur, & artificiosè exprimitur. ergo vinum naturaliter & artificiosè productum dicitur creatum in theologia Sacra. Eccli. 31. *Nequius oculo quid creatum eſt?* An hoc intelliges de ſolis oculis Adæ, & Euæ, non potius de omnium filiorum oculis? Ergo oculi omnes omnium hominum propagatorum ex Adamo in ſacra Theologia aſſeruntur creati. Sed omnes oculi omnium hominum propagatorum ex Adamo ſunt naturaliter geniti; ergo aliqua naturaliter genita ſunt theologicè creata, & eorum naturalis generatio videtur vocari creatio. In prima ad Thimotheum 4. *Abſtinere à cibis* (ſiue vt legit Auguſt. contra Secundinum Manichæum tom.6.cat.130. Abſtinentes à cibis) *quos Dominus creauit*. Cibi ex Plantis ſunt Geneſis 1. vel ex Brutis Gen.9.

Sed & filij ab hominibus geniti creaturæ generantium vocantur in Eccl.4. vt Bonartius notat in Prolegomenis ſuper Eccli. regula 34. S. Bonauentura quoque ſuper lib. Sapientiæ cap.3. exponit illud *maledicta creatura eorum*, de filijs reſpectu generantium. Aliam adijcit expoſitionem moralem, quæ non tollit litteralem. Cum itaque Deus, & artificiosè factis & naturaliter genitis dederit titulum *creati*, quis ſum ego, qui poſſim prohibere Deum?

Solummodo me monet obſeruatio Scoti in 2.d.1.q.5. docentis, mutationem definiri per ſucceſſionem terminorum à quo & ad quem: mutari enim eſt aliter ſe habere nunc, quam prius, ſed poſſe addi reſpectum ad agens, qui reſpectus in definitione mutationis non ponitur. Ita quoque in definitione creationis ſcripturalis ab Auguſtino, & Thoma non ponitur reſpectus ad Deum: poteſt poni tamen, propterea quod Scotus in 3.d.11.q.1. obſeruat, omnia dici creata (etiam ſi concurrant materia, & efficiens ſecundum,) præcisè in ordine ad Deum. Hoc dictum ſit in gratiam Scoti, non propter argumentum Liceti.

Obſeruatio ſeptuageſimaſeptima.

Bald. Tertia ratio efficitur contra te pag.25. lin.12. „quia productio verè theologica tùm in principio Cæli & terræ.
Tum omnium ſimul collectorum à Deo dependentium.
Tum animarum rationalium.
Tum etiam materiæ primæ, ſi placet.
Tum addam & Angelorum, eſt ex nihilo, non autem ex vllo principio preſuppoſito &c.„

Matth. Si Licetus inaniter repetit eadem. Ego non repetam reſponſum

ſum dedi ſuperius in obſeruatione 75. Additum de angelis eſt in controuerſia. Nam doctor Angelicus in 2.d.3.q.1. tenet iuxta Ariſtotelis principia, angelos non eſſe compoſitos ex materia. S. Bonauentura ſequutus Diuum Auguſtinum tenet, angelos eſſe compoſitos ex materia, vt videre eſt in 2.ſent. d.3. q.1. Ita quoque Scotus in q.15. ſuper libros de anima. Sanctus Auguſtinus in libro 1. de Mirabil. ſac. ſcript. cap.1. ſcripſit: "Omnipotens Deus ex informi materia, quam ipſe prius de nihilo condidit, cunctarum rerum, ſenſibilium, & inſenſibilium, intellectualium, & intellectu carentium ſpecies multiformes diuiſit," Similia leges in 12. Confeſſ. cap.20. Ergo in ſcriptura Dei ſcriptum eſt, angelos eſſe creatos: ſed in ſcriptura Liceti ſcriptum eſt, eſſe creatos ex nihilo, non in ſcriptura Dei. Igitur quatuor citationibus ſcripturarum falſis quintam Licetus, ſed falſam addidit.

Obſeruatio ſeptuageſimaoctaua.

Bald. PAg.25. lin.21. Iſte ſyllogiſmus, in prima figura nuperrimè conſtitutus, eſt purum putum ſophiſma ex medio termino æquiuoco, proindèque contra regulam logicam ex quatuor terminis: quia principium præſuppoſitum permanens in re producta, de quo ſermo fit in maiori propoſitione tractante de creaturis corporalibus in ſacra pag. celebratis, eſt principium paſſiuum materiale &c.

Principium verò, de quo tractatur in minori propoſitione, quod eſſe dicitur ſubſtantia Patris præſuppoſita permanens in Filio producto, non eſt vlla ratione principium paſſiuum, & materiale, &c.

Matth. Hoc idem argumentum pag.23. lin.30. diffuſè repetijt. Sed ibi concluſionem collegit talem à lin.13." Sic ergo principium præſuppoſitum, atque permanens in producto non vniuocè, ſed æquiuocè dicitur de ſubſtantia Dei Patris, ex qua Verbum ad intra produci dicitur, & de principio præſuppoſito, ex quo permanente pleræque res creatæ dicuntur in ſcriptura. Repetijt argumentum idem, & eiſdem verbis ferè, inanis repetitio vtilis eſt ad implendam cartam.

Bald. Examinemus ſi placet. Nam ſyllogiſmus eſt in forma, & concluſio probanda eſt iſta. Medius terminus ſyllogiſmi pro te formati in prima figura non eſt vniuocum, ſed penitus æquiuocum.

Matth. Da propoſitiones iſtius ſyllogiſmi?

Bald. Maior eſt. Principium, ex quo creata corporalia, eſt principium paſſiuum.

Principium, de quo Verbum, eſt ſubſtantia Patris, quod non eſt paſſiuum nec materiale.

Ergo principium *de quo* non vniuocè, ſed æquiuocè dicitur de ſubſtantia

tia Dei Patris, & de principio ex quo corpora.

Matth. O mirabilem ſyllogizatorem; concluſio probanda erat, *medius terminus non eſt vniuocus, ſed æquiuocus*, at neque in maiori propoſitione, neque in minori propoſitione reperiuntur termini concluſionis, concluditur ergo, quod in nulla præmiſſa eſt poſitum; ſecundò concluditur ex indefinitis, & nihil ſequitur. Sed ex confeſſione Liceti principium *ex quo* corpora & principium *ex quo* verbum, æquiuocè dicitur. Ideò eſt medium penitus æquiuocum, non vniuocum. At in iſtò ſyllogiſmo Liceti in maiore medius terminus eſt *principium de quo*, corporalia in minori medius terminus eſt *principium de quo verbum*. Ergo in ſyllogiſmo Liceti medius terminus eſt penitus æquiuocus, non autem vniuocus: atque ideò ſyllogiſmus Liceti eſt in quatuor terminis ex propria eius Confeſſione.

Bald. Nolo amplius laborare in ſyllogiſmis Termaximi. Ipſe ſcientiſſimus eſt, formabit ſine vllo vitio.

Matth. Aperi oculos Balde in hoc argumento, neſciebam cur ſuperius pag. 21. ad probandam definitionem creationis Theologicè tacuit probationes de creatione ad intra? attulit de creatione ad extra, callidè hoc fecit, vt reſtringeret meam maiorem ad res productas ad extra de principio præſuppoſito, vt inde reprehenderet me; qui dicta de facturis applicem ad factorem, quod certè eſt abſurdum.

Bald. Ita prorſus, nam vt lego in pag. 26. reprehendit in te, quod productio ad extra nil habet commune cum productione Verbi ad intra, ſicut in margine ſcriptum eſt.

Matth. Grandi cum calliditate refert mea, vt ea peruertat. Ego loquor de productione in communi tranſcendenti, quæ productio eſt in Deo ad intra, & in rebus ad extra, & in meo argumento maior loquitur de productione in communi per indifferentiam ad ens incauſatum, & cauſatum. Omne productum ex aliquo eſt creatum ſcripturaliter. Subdo minorem accipiendo inferius ſub ſuperiori. Filius eſt productus ex aliquo. Licetus vero exponit me, quaſi accepiſſem de diſparato diſparatum.

Bald. Quæ eſt igitur ſolutio ad materiam argumenti, quando quidem argumentum non eſt in forma.

Matth. Principium de quo corporale, & principium de quo filius ſecundum proprias rationes non habent vniuocationem. Secundum rationem communem principij *de quo* habent vnitatem ſecundum Scotiſtas vniuocam: ſecundum Seraphicos & Angelicos nec vniuocam, nec æquiuocam, ſed analogam. Quo fit, vt Licetus inſufficienter enumerauerit cum fallacia conſequentis arguens, omiſſo analogo, nominatis vniuoco, & æquiuoco, cum in cap. 4. etiam ipſe ponat analogum medium.

Obſeruatio ſeptuageſimanona.

Bald. IN pag. 24. lin. 7. "Verbum diuinum ad intra produci conſtituitur." Animaduertis à Liceto concedi, Verbum eſſe productum ad intra cum tamen alibi dixerit, hanc propoſitionem eſse Arij, & tuam.

Matth. Non eſſet mirandum ſi modò diceret vnum contradictorium, modò aliud, vt poſſit ſe vertere modò ad Chriſtianiſmum, modò ad iudaiſmum. Scilicet ad cauendam pœnam à Chriſtianis & promerendam gratiam à Iudęis. Attamen callidè loquitur nec proprio nomine aſſerit filium Dei eſſe productum ad intra, ſed meo nomine. Pag. 25. lin. 30. " Principium verò de quo tractatur in minori propoſitione, quod *eſſe dicitur* ſubſtantia Patris præſuppoſita &c. refert *dicitur* ad me, non autem à Liceto. Sic in pag. 24. lin. 7. Verbum diuinum ad intra. *Conſtituitur*: arguit contra me, quia ſecundum me ita conſtituitur. Ita in pag. 21. lin. 9. & 11. & lin. 22. lin. vlt. & ſæpè. Si ergo dicit filium eſſe productum ad intra, hoc Licetus dicit ad hominem. Nam ipſe talem propoſitionem reprobat, vt Arianam & per hoc iudaiſmum inducit, negando productionem ad intra & diſtinctionem perſonarum.

Obſeruatio octuageſima.

Bald. PAg. 21. lin. 27. " opinio noua negat generationem Verbi ad intra contra diſtinctam à Creatione; ita ne negas generationem filij ad intra?

Matth. Abſit; imo aſſirmo generationem filij ad intra, productionem filij ad intra, & hanc eamdem generationem, ac productionem ſignificari dico per vocabulum creationis ſcripturalis. Sed tu fortè non penetras ad mentem Liceti. Aſſerit ipſe, quòd Verbum eſt ad intra productum duplici productione contra diſtincta quarum vna eſt generatio, altera creatio. Quæ duæ productiones diſtinguuntur formaliter, formalitate reali, vt in pag. 116. diſtinguntur eſſentialiter, vt in pag. 160. lin. 31. Sic ergo filium Dei, quem Chriſtiani colunt, ſtatuit eſſentialiter diſtinctum à Deo cum iudæis.

Ego verò diſtinguo de vocabulo creationis; Callidus aduerſarius ſub æquiuocatione ſe occultat. Ideò ſępè diſtinguendum, ſi creatio paſſiua ſit factio, generatio verbi diſtinguitur eſſentialiter à tali creatione, taliſque creatio nullo modo poteſt verbo diuino conuenire, non enim verbum eſt factum, ſed factor omnium eſſentialiter à Deo diſtinctorum. Si loquamur de creatione paſſiua, quæ eſt productio, ſic generatio, & creatio filij non diſtinguntur eſſen-

ſentialiter, non formaliter, non ex natura rei, ſed ſecundum modum intelligendi noſtrum. Quam ſolam diſtinctionem in origine Filij paſſiua concedit Scotus quolib. 4. N.

Obſeruatio octuageſimaprima.

Bald. PAg. 26. lin. 7. Neque verò ex productione ad extra, quæ creatio dicitur Theologicè ſumpta, quam Deus ab initio temporis molitus eſt, potuit opinio noua colligere conditiones productionis Filij Dei ad intra, quia nihil habent *ferè* commune productiones iſtæ, vt obſeruabamus.

Matth. In margine ſcribit ſine limitatione ita *ferè*: productio ad extra nihil habet commune cum productione Verbi ad intra; & hoc dictum marginis eſt contra omnes Theologos, qui ex productionibus ad extra, aſcendunt ad cognoſcendum productionem ad intra, iuxta Apoſtolum ad Romanos 1. Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas. Sanè præſuppoſita reuelatione diuinarum productionum, plurimum iuuamur ad ſimplices terminos communes Deo, & creaturis intelligendos, teſte Scoto quolib. 7. qui & in quolib. 14. ex Trinitate in inferioribus docet aſcendere ad cognoſcendam Trinitatem in Deo; Dum enim cognoſcitur commune Deo, & creaturis; deinde remotis imperfectionibus, quæ ſunt in creaturis; relinquitur perfectio propria Dei. Poſuit verò Licetus hic particulam *ferè* quaſi diminuentem, ſed addit, *vt obſeruabamus*. Dixit autem ſuperius eſſe penitus æquiuocas conditiones principij *de quo* in productione Verbi, & in productione rerum ad extra. Id ipſum patebit ex probatione mox conſideranda.

Quæ Liceti doctrina deſtruit Theologiam Scholaſticam. Nam Theologia Scholaſtica id, quod de Deo credit, per rationem probare ac defendere ſatagit. Vnde S. Bonauentura in 2. prologi docet, Obiectum materiale, & formale modi inquiſitiui, ideſt Scholaſtici; eſt enim de credibili, vt per rationem intelligibile. Si autem inter productionem ad extra, & productionem ad intra non eſt conuenientia niſi æquiuoca in nomine, vt contendit Licetus: Omnes rationes Scholaſticæ de proceſſionibus ſiue productionibus perſonarum ſunt Sophyſticæ, quia æquiuocæ.

Rurſus. Nulla poteſt eſſe ratio per dictum *de omni*, vel *de nullo*, niſi habeat terminum communem diſtribuibilem in propoſitione affirmatiua, vel negatiua. Sed ſi accipiantur quæ ſunt in Deo ad intra tantùm, ea ſunt de ſe hæc, & ſingularia, nec poſſunt diſtribui vt ſic. Si accipiantur vocabula ex rebus cauſatis, illa ſunt penitus æquiuoca ex Liceto, ſi ad Deum referantur. Igitur de perſona producti-

ductione, producente, producto, Patre, filio, intellectu, dictione, voluntate, ſpiratione, nulla poterit eſſe propoſitio vniuerſalis, niſi æquiuoca, nulla ratio ſcholaſtica, niſi æquiuoca. Hæc aſſertio Liceti conſonat cum propoſitione Liceti pag. 13. lin. 3. vbi derogat argumentis & diſputationibus de productione Verbi. Vide ad pag. 123-124. obſeruat. 45

Obſeruatio ſeptuageſimaſecunda.

Bald. SEd legamus rationem Termaximi, qua probat, productionem ad extra, & ad intra nihil habere commune: vnde neque ex productione ad extra poſſe colligi conditiones productionis filij ad intra. Ratio incipit in pag. 26. lin. 12.

« Nam productio rerum ad extra fit in momento temporis non permanente, à Deo vno ſimul, ac trino; iubente Domino peractum voluntatis imperioſæ, vocante ad eſſe quæ non ſunt: ex nihilo, vel ex materia indiſpoſita: quæ ſunt omnes conditiones creationis theologicè ſumptæ, propriéque, ac vniuocè dictæ.

At ex aduerſo, productio filij Dei ad intra fit in æternitatis inſtanti permanente, à Deo vno, non trino, Patre, non Domino; non iubente; ſed intelligente tantum: non per actum voluntatis imperioſæ vocantis ad eſſe filium, ſed per actum intellectus ſemetipſum comprehendentis, intelligentiſque ſimpliciter, ac perfectè, non ex nihilo, neque ex materia indiſpoſita, ſed ex ipſamet ſubſtantia ſua, Patris nimirum, filium vnigenitum ante creaturas omnes producentis. Quæ cuncta, & ſingula ſunt attributa generationis, prout à creatione theologicè ſumpta contradiſtinguitur.

Matth. Nemo poterit repetere hunc ſyllogiſmum informem.

Bald. Reuera propoſitiones ſunt nimis prolixæ. Sed ſunt indefinitæ, & probare debent propoſitionem vniuerſalem *nihil habent commune iſtæ duæ productiones.*

Matth. Solemne eſt Liceto non ſyllogizare in forma, & alios in forma arguentes reprehendere. Sed conſideremus primam partem. Bona definitio, ſeu deſcriptio creationis theologicè debet competere omni contento ſub deſcripto. At hæc Liceti deſcriptio, ſeu definitio colligens conditiones creationis theologicè, non conuenit omni; quia datur creatio theologica Filij Dei, quem Deus Pater, *creauit*, non *fecit*, ex Decreto Sancti Dionyſij contra Sabellianos, & iudaizantes. Iſta definitio creationis Liceticæ non competit creationi declaratæ à S. Dionyſio Papa, & S. Athanaſio.

Bald. Eſt ne creatio attributa Filio Dei creatio theologicè?

Matth. Ad nullam aliam ſcientiam pertinet conſiderare verbum, & eius originem; conſiderare veritates reuelatas in ſacra ſcriptura, conſiderare determinationes Pontificum & conciliorum in mate-

tia de fide, niſi ad Theologiam. Secundò, non omnem creationem ad extra contigit illa deſcriptio Liceti, nam in 1. ad Timoth. 4. Cibi pro fidelibus à Deo creati dicuntur; Eccli.31. *Vinum in iucunditatem creatum*, Eccli.38. *Medicamenta de terra creata* & pſal. 103. Plantæ, & animalia creantur tempore veris, vt Bellarminus exponit ad litteram. Sed hæc omnia creantur in tempore, non in momento. Creantur ex materia diſpoſita, non ex nihilo immediatè, vel ex indiſpoſita materia. Igitur neque creationem Theologicam in communi, neque creationem Theologicam ad intra, neque omnem creationem Theologicam ad extra conſiderauit Licetus. Meritò reprehendendus, ſicuti reprehenſus eſt ab Ariſtotele Democritus in 5. de gener. animal. cap.8. quia de generatione dentium agens, non conſiderauerit omnia.

Bald. Voluit definire aliqua, quæ propriè dicantur creata.

Matth. Quod iſta propriè, illa impropriè, prorſus voluntariè dicit. Sed ſcholaſtici, qui conſiderant creationem ad extra appropriatè, illam creationem indifferentem ad ex aliquo, & ex nihilo vocant creationem communiſſimè.

Bald. Sed vnum eſt, in quo te pungit; quia tu creationem theologicè definis per ex aliquo. Termaximus etiam per ex nihilo, & ad hoc citat 2. Machab.7.

Matth. Iſayas cap.33. verſ.18. ait. *Vbi litteratus? vbi legis verba ponderans?* S. Iuſtinus ponderauit diſcrimen inter *facere*, & *creare*; Licetus confundit. S. Dionyſius Papa decreuit, quod *creauit* non eſt *fecit*, facere, & creare differunt in ſcripturis; Licetus confundit. S. Auguſtinus in libro de moribus Manichæorum facere, & creare diſtinguit ex oppoſito; Licetus confundit. Quoniam trutinam propriæ voluntatis adhibet, non trutinam Patrum Eccleſiæ nimirum, Licetus, vt Deus Moyſes nouellus, vult dictare oracula ſuis Aaronibus, non ab eis diſcere. Locus 2. Machab.7. docet de verbo *facere*, omnia Deus fecit de nihilo. Tuus Termaximus pro facere ſubſtituit *creare* in ſcriptura; quæ duo non eſſe idem Sancti citati tradũt.

Bald. Non ne melius eſſet, dicere ſcripturam in locis abs te citatis accipere vocabula impropriè, Licetum propriè?

Matth. Potius volo laudare Deum, & Patres in aſſignanda proprietate verborum Theologicorum, quàm Licetum. Contra quem ſi dixero, ipſi *nihilo*, & ipſi *materiæ* nihil eſſe commune vniuocum, ſed æquiuocum tantùm, vt potè duobus contradictorijs *nulli enti*, & *alicui enti*; non ne Licetus apparebit, iuxta ſuum argumentum, in creatione deſcribenda æquiuoco vti? Quanto melius Pater Auerſa in 1. p. q.45. ſect.1. docuit creationis nomen extendi ad diuinas proceſſiones Filij, & Spiritus ſancti?

Bald. Expendamus ſecundam partem, nam in deſcribenda productione filij mirabiliter excellit Termaximus.

Matth.

Matth. Ne facilè enunties. Aduerte loquutionem Arianam, productio filij Dei ad *intrà fit.* Verba trium temporum, præſentis, præteriti, futuri idem ſignificant, ſed conſignificant diuerſum tempus. Vnde dicimus Spiritus Sanctus *audiuit, audit, audiet* à filio. Ita *cum à Liceto verbum fit* attribuitur productioni Filij ad intra, ſimiliter dices, productio filij ad intra *facta* eſt, *fit, fiet*, quæ loquutio eſt penitus hæreticæ, & damnata tùm in Concilio Roman. ſub S. Dionyſio, " *Creauit non eſt fecit*, ergo Filius creatus, non eſt factus, ſed eſt *genitus*, non *factus* tùm in Concilio Niceno ſub Syluestro, *Filium* aſſerimus *genitum* non *factum*. Sed Filij generatio & genitus, Filij productio, & Filius productus ſunt prorſus idem à parte rei, nec in re differunt hæ locutiones genitus *fit* & generatio *fit*.

Hic ſpargitur ſemen iudaiſmi latenter. Nam quidquid fit, non eſt Deus. Sed productio filij, & Filius fit.

Ergo Filius, & Filij productio non ſunt Deus.

Bald. Reuerà illud vocabulum eſt damnatum, & nulli in Deo ad intra tribuendum.

Matth. Sanctus Dionyſius decreuit, Dominus creauit me, non eſt *fecit* me, de filio. Licetus contra negat, quòd Pater creauit Filium, quòd Filius eſt creatus. Affirmat, quòd Filij productio *fit* & quòd Filius *fit*: nam propter ſummam ſimplicitatem Filius & Filij productio ſunt idem.

Bald. Vis aliud notare.

Matth. Vtique, dum ait. Productio filij fit à Deo vno, non Trino. Non producitur Filius à Deo Trino, ſed neque à Deo vno, vt ſic. Quod enim conuenit Deo vni ſecundum vnitatem Deitatis, eſt commune tribus. Sed producere Filium non eſt commune tribus. Ergo producere Filium non eſt à Deo vno, vt vno, ſed ab vna prima perſona. Quoniam actiones hypoſtaticæ ſunt ſuppoſitorum.

Tertiò. Licetus ait: *productio eſt à Patre intelligente tantum.* Non eſt hæc pars tenenda. Quoniam Pater volens voluntate antecedente generat Filium ſecundum Scotum in 1. d. 6. Nam & actus eſſentiales in qualibet perſona ſunt priores actibus notionalibus; quare, & Pater prius intelligitur habere perfectam beatitudinem intelligendo, & volendo eſſentiam, quàm habeat ipſum generare filium. Legatur Scotus quolib. 1. & 1. d. 1. q. 2.

Quartò ait *per actum intellectus ſemetipſum comprehendentis*. Vt enim dictum eſt ad pag. 12. lin. vlt. Filius eſt cognitio comprehenſiua eſſentiæ, vel de cognitione comprehenſiua eſſentiæ, non de cognitione comprehenſiua intellectus. Confundit enim Licetus potentiam comprehenſiuam, & obiectum comprehenſionis.

Bald. Placet ne tibi illa propoſitio. *Non ex nihilo, nec ex materia indiſpoſita, ſed ex ipſamet ſubſtantia Patris producentis?*

Matth. Inſufficiens eſt diuiſio. Nam ex multis alijs poſſet fingi Filius

eſſe productus. Vt ſi quis dixerit, filium eſſe productum ex materia diſpoſita, vel ex forma præexiſtente, vel ex aliqua comparte, vel de ſubſtantia immateriali,vti angelica: eſt ex Liceto;tunc Filius eſſet productus non ex nihilo, non ex materia indiſpoſita, & tamen eſſet productus ex aliena ſubſtantia à Deo. Fiat ergo ſufficiens diuiſio cum S.Auguſtino contra Felicem. Filius eſt productus, non de nihilo, non de alia ſubſtantia à Deo, ſed de ſubſtantia Patris.

Bald. Nec illa propoſitio eſt tibi placitura in pag.26. lin.27."Quæ cuncta, & ſingula ſunt attributa generationis, pro vt à creatione Theologicè ſumpta contradiſtinguitur.

Matth. Propoſitio eſt contraria ſcripturis Prouerb.8. Eccli.1.& 24. In quibus productio Filij,quæ vnica eſt à parte rei,vocatur generatio, & creatio.

Contraria Pontificibus. Nam S. Euariſtus, & Ioannes 2. creatum, & genitum accepit, vt idem Theologicè. Contraria Patribus multis atque Doctoribus in reſponſiua Epiſtola relatis explicantibus creata ſum ideſt *genita, & producta*. Atque Pater Auerſa citatus ad hoc tendit, vt proceſſiones perſonarum dicantur creationes accepto vocabulo extensè,prout etiam Liranus exponit in primum Eccleſiaſtici.

Bald. Rectè ne colligit ex iſta collatione creationis ad extra, & productionis Filij ad intra?

Matth. Non rectè. Quia probat propria productionis paſſiuæ creaturarum non adeſſe in productione paſſiua Verbi. At neſcit abſtrahere productionem paſſiuam in communi: & in productione paſſiua creaturarum conſiderare imperfectiones & perfectiones, remotis enim imperfectionibus, perfectiones propriæ verbo remanebunt. Exemplum. Omnis productio paſſiua eſt vel *ex nihilo*, vel *ex aliquo*. Suppoſita reuelatione de Filio, & Spiritu ſancto productis in Deo. Statim cognoſcitur eſſe *ex nihilo* dicere imperfectionem repugnantem Deo propter ſummam neceſſitatem eſſendi, actualitatem, immutabilitatem, ergo productio in Deo eſt *ex aliquo*, non *ex nihilo*. Non eſt ex aliquo ente diuerſo eſſentialiter à Deo: quoniam omne tale eſt factibile *ex nihilo*, vel ratione ſui, vel ratione ſui primi principij interni. Ergo Filius, & Spiritus ſanctus non ſunt producti de ente aliquo diſtincto eſſentialiter à Deo, ſed de ſubſtantia Dei vnica, & impartibili. Ergo producens, & productus in Deo ſunt ad intra conſubſtantiales, coæquales, coomnipotentes, coæterni; atque hoc pacto plurima prædicata de perſonis diuinis eliciuntur, quia verò *creatio* eſt vox æquiuoca, ſi creatum ſignificet eſſe factum, nullatenus eſt in Deo aliquid factum, vel creatum, ſi creatum ſignificet eſſe productum; tunc non eſt maior difficultas de voce *creatum*, quàm de voce productum.

Obſeruatio octuageſimatertia.

Bald. PAg. 26. lin. 29. " Et ſi creationis vnicum attributum in productione filij reperiatur, immobilitas nempè creantis.

Matth. Si poſſes numerare, quoties hanc rem ſcribat: nimis magnum tædium deuorares.

Bald. Verè; an falsò dicit?

Matth. Falsò plura, verè vnum. Verè dicit ex creatione ad extra immutabilitatem creantis attribui Patri generanti, falsò dicit, ex creatione ad extra multo plura non poſſe reperiri in productione filij: & multo plura etiam eſſe à Diuo Hilario in libro de Synodis ad filij productionem translata. Exemplum. Creator ad extra non ſolùm habet immutabilitatem, ſed etiam eſt intelligens, & volens, & æternus, & producens aliquando *ex aliquo*: ſed hæc omnia conueniunt Patri generanti Filium. Multa quoque ex parte creati ad extra poſſunt ad filium transferri, reſectis imperfectionibus, vt eſſe productum, eſſe ex aliquo eſſe in perpetua influentia generantis, & alia multa de quibus alibi.

Obſeruatio octuageſimaquarta.

Bald. PAg. 27. lin. 1. Idem attributum (immutabilitas) commune prorſus eſt productioni Spiritus ſancti; qui producitur à principio ſpirante immutabili; non tamen ideò productio Spiritus ſancti dicitur, aut creatio, aut generatio, ſed ab vtraque diſtincta ſpiratio.

Matth. Melius dixiſſet à principijs ſpirantibus. Quoniam nomen adiectiuum, ſeu participium numeratur à numero ſuppoſitorum ſpirantium.

Sed non vult Licetus productionem Spiritus ſancti dici creationem; verùm Sanctus Irenæus lib. 4. aduerſus hæreſes cap. 37. olim, & nuper Auerſa proximè citatus concedunt Spiritum ſanctum dici creatum. Sed Moyſes non credit Aronibus, ideſt Patribus orthodoxis.

Deindè, vbi eſt eadem ratio rei, ibi eadem res conſequens talem rationem eſſe debet. Sed productio cum immutabilitate per te, eſt ratio, vt productio filij dici valeat creatio. Ergò etiam productio cum immutabilitate erit ratio ſufficiens, vt Spiritus ſancti productio dici valeat creatio.

ſequens productio artificioſa eſt creatio theologicè.

Secundò, quoad naturalia eccli.31. *Vinum in iucunditatem creatum eſt, non in ebrietatem*. Vinum naturaliter ex vite generatur, & artificiosè exprimitur: ergo vinum naturaliter & artificiosè productum dicitur creatum in theologia Sacra. Eccli. 31. *Nequius oculo quid creatum eſt?* An hoc intelliges de ſolis oculis Adæ, & Euæ, non potius de omnium filiorum oculis? Ergo oculi omnes omnium hominum propagatorum ex Adamo in ſacra Theologia aſſeruntur creati. Sed omnes oculi omnium hominum propagatorum ex Adamo ſunt naturaliter geniti: ergo aliqua naturaliter genita ſunt theologicè creata, & eorum naturalis generatio videtur vocari creatio. In prima ad Thimotheum 4. *Abſtinere à cibis* (ſiue vt legit Auguſt. contra Secundinum Manichæum tom.6.car.130. Abſtinentes à cibis) *quos Dominus creauit*. Cibi ex Plantis ſunt Geneſis 1. vel ex Brutis Gen.9.

Sed & filij ab hominibus geniti creaturæ generantium vocantur in Eccl.4. vt Bonartius notat in Prolegomenis ſuper Eccli. regula 34. S. Bonauentura quoque ſuper lib. Sapientiæ cap.3. exponit illud *maledicta creatura eorum*, de filijs reſpectu generantium. Aliam adijcit expoſitionem moralem, quæ non tollit litteralem. Cum itaque Deus, & artificiosè factis & naturaliter genitis dederit titulum *creati*, quis ſum ego, qui poſſim prohibere Deum?

Solummodo me mouet obſeruatio Scoti in 2.d.1.q.5. docentis, mutationem definiri per ſucceſſionem terminorum à quo & ad quem: mutari enim eſt aliter ſe habere nunc, quam prius, ſed poſſe addi reſpectum ad agens, qui reſpectus in definitione mutationis non ponitur. Ita quoque in definitione creationis ſcripturalis ab Auguſtino, & Thoma non ponitur reſpectus ad Deum: poteſt poni tamen, propterea quod Scotus in 3.d.11.q.1. obſeruat, omnia dici creata (etiam ſi concurrant materia, & efficiens ſecundum,) præcisè in ordine ad Deum. Hoc dictum ſit in gratiam Scoti, non propter argumentum Liceti.

Obſeruatio ſeptuageſimaſeptima.

Bald. Tertia ratio efficitur contra te pag.25. lin.12. "quia productio verè theologica tùm in principio Cæli & terræ.
Tum omnium ſimul collectorum à Deo dependentium.
Tum animarum rationalium.
Tum etiam materiæ primæ, ſi placet.
Tum addam & Angelorum, eſt ex nihilo, non autem ex vllo principio preſuppoſito &c."

Matth. Si Licetus inaniter repetit eadem. Ego non repetam reſponſum

ſum dedi ſuperius in obſeruatione 75. Additum de angelis eſt in controuerſia. Nam doctor Angelicus in 2.d.3.q.1. tenet iuxta Ariſtotelis principia, angelos non eſſe compoſitos ex materia. S. Bonauentura ſequutus Diuum Auguſtinum tenet; angelos eſſe compoſitos ex materia, vt videre eſt in 2.ſent. d.3. q.1. Ita quoque Scotus in q.15. ſuper libros de anima. Sanctus Auguſtinus in libro 1. de Mirabil. ſac. ſcript. cap. 1. ſcripſit. "Omnipotens Deus ex informi materia, quam ipſe prius de nihilo condidit, cunctarum rerum, ſenſibilium, & inſenſibilium, intellectualium, & intellectu carentium ſpecies multiformes diuiſit,, Similia leges in 12. Confeſſ. cap. 20. Ergo in ſcriptura Dei ſcriptum eſt, angelos eſſe creatos: ſed in ſcriptura Liceti ſcriptum eſt, eſse creatos ex nihilo, non in ſcriptura Dei. Igitur quatuor citationibus ſcripturarum falſis quintam Licetus, ſed falſam addidit.

Obſeruatio ſeptuageſimaoctaua.

Bald. PAg. 25. lin. 21. Iſte ſyllogiſmus, in prima figura nuperrimè conſtitutus, eſt purum putum ſophiſma ex medio termino æquiuoco, proindéque contra regulam logicam ex quatuor terminis: quia principium præſuppoſitum permanens in re producta, de quo ſermo fit in maiori propoſitione tractante de creaturis corporalibus in ſacra pag. celebratis, eſt principium paſſiuum materiale &c.

Principium verò, de quo tractatur in minori propoſitione, quod eſse dicitur ſubſtantia Patris præſuppoſita permanens in Filio producto, non eſt vlla ratione principium paſſiuum, & materiale, &c.

Matth. Hoc idem argumentum pag. 23. lin. 30. diffusè repetijt. Sed ibi concluſionem collegit talem à lin. 13. " Sic ergo principium præſuppoſitum, atque permanens in producto non vniuocè, ſed æquiuocè dicitur de ſubſtantia Dei Patris, ex qua Verbum ad intra produci dicitur, & de principio præſuppoſito; ex quo permanente pleræque res creatæ dicuntur in ſcriptura. Repetijt argumentum idem, & eiſdem verbis ferè, inanis repetitio vtilis eſt ad implendam cartam.

Bald. Examinemus ſi placet. Nam ſyllogiſmus eſt in forma, & concluſio probanda eſt iſta. Medius terminus ſyllogiſmi pro te formati in prima figura non eſt vniuocum, ſed penitus æquiuocum.

Matth. Da propoſitiones iſtius ſyllogiſmi?

Bald. Maior eſt. Principium, ex quo creata corporalia, eſt principium paſſiuum.

Principium, de quo Verbum, eſt ſubſtantia Patris, quod non eſt paſſiuum nec materiale.

Ergo principium *de quo* non vniuocè, ſed æquiuocè dicitur de ſubſtantia

tia Dei Patris, & de principio ex quo corpora.

Matth. O mirabilem ſyllogizatorem; concluſio probanda erat, *medius terminus non eſt vniuocus, ſed æquiuocus*, at neque in maiori propoſitione, neque in minori propoſitione reperiuntur termini concluſionis, concluditur ergo, quod in nulla præmiſſa eſt poſitum; ſecundò concluditur ex indefinitis, & nihil ſequitur. Sed ex confeſſione Liceti principium *ex quo* corpora & principium *ex quo* verbum, æquiuocè dicitur. Ideò eſt medium penitus æquiuocum, non vniuocum. At in iſtò ſyllogiſmo Liceti in maiore medius terminus eſt *principium de quo*, corporalia in minori medius terminus eſt *principium de quo verbum*. Ergo in ſyllogiſmo Liceti medius terminus eſt penitus æquiuocus, non autem vniuocus: atque ideò ſyllogiſmus Liceti eſt in quatuor terminis ex propria eius Confeſſione.

Bald. Nolo amplius laborare in ſyllogiſmis Termaximi. Ipſe ſcientiſſimus eſt, formabit ſine vllo vitio.

Matth. Aperi oculos Balde in hoc argumento, neſciebam cur ſuperius pag. 21. ad probandam definitionem creationis Theologicè tacuit probationes de creatione ad intra? attulit de creatione ad extra, callidè hoc fecit, vt reſtringeret meam maiorem ad res productas ad extra de principio præſuppoſito, vt inde reprehenderet me; qui dicta de facturis applicem ad factorem, quod certè eſt abſurdum.

Bald. Ita prorſus, nam vt lego in pag. 26. reprehendit in te, quod productio ad extra nil habet commune cum productione Verbi ad intra, ſicut in margine ſcriptum eſt.

Matth. Grandi cum calliditate refert mea, vt ea peruertat. Ego loquor de productione in communi tranſcendenti, quæ productio eſt in Deo ad intra, & in rebus ad extra, & in meo argumento maior loquitur de productione in communi per indifferentiam ad ens incauſatum, & cauſatum. Omne productum ex aliquo eſt creatum ſcripturaliter. Subdo minorem accipiendo inferius ſub ſuperiori. Filius eſt productus ex aliquo. Licetus vero exponit me, quaſi accepiſſem de diſparato diſparatum.

Bald. Quæ eſt igitur ſolutio ad materiam argumenti, quandoquidem argumentum non eſt in forma.

Matth. Principium de quo corporale, & principium de quo filius ſecundum proprias rationes non habent vniuocationem. Secundum rationem communem principij *de quo* habent vnitatem ſecundum Scotiſtas vniuocam: ſecundum Seraphicos & Angelicos nec vniuocam, nec æquiuocam, ſed analogam. Quo fit, vt Licetus inſufficienter enumerauerit cum fallacia conſequentis arguens, omiſſo analogo, nominatis vniuoco, & æquiuoco, cum in cap. 4. etiam ipſe ponat analogum medium.

Obſer-

Obſeruatio ſeptuageſimanona.

Bald. IN pag.24. lin.7. "Verbum diuinum ad intra produci conſtituitur." Animaduertis à Liceto concedi, Verbum eſſe productum ad intra cum tamen alibi dixerit, hanc propoſitionem eſſe Arij, & tuam.

Matth. Non eſſet mirandum ſi modò diceret vnum contradictorium, modò aliud, vt poſſit ſe vertere modò ad Chriſtianiſmum, modò ad iudaiſmum. Scilicet ad cauendam pœnam à Chriſtianis & promerendam gratiam à Iudęis. Attamen callidè loquitur nec proprio nomine aſſerit filium Dei eſſe productum ad intra, ſed meo nomine. Pag.25. lin.30. " Principium verò de quo tractatur in minori propoſitione, quod *eſſe dicitur* ſubſtantia Patris præſuppoſita &c. refert *dicitur* ad me, non autem à Liceto. Sic in pag. 24. lin.7. Verbum diuinum ad intra. *Conſtituitur*: arguit contra me, quia ſecundum me ita conſtituitur. Ita in pag. 21. lin.9. & 11. & lin.22. lin.vlt. & ſæpè. Si ergo dicit filium eſſe productum ad intra, hoc Licetus dicit ad hominem. Nam ipſe talem propoſitionem reprobat, vt Arianam & per hoc iudaiſmum inducit, negando productionem ad intra & diſtinctionem perſonarum.

Obſeruatio octuageſima.

Bald. PAg.21.lin.27. " opinio noua negat generationem Verbi ad intra contra diſtinctam à Creatione; ita ne negas generationem filij ad intra?

Matth. Abſit; imo affirmo generationem filij ad intra, productionem filij ad intra, & hanc eamdem generationem, ac productionem ſignificari dico per vocabulum creationis ſcripturalis. Sed tu fortè non penetras ad mentem Liceti. Aſſerit ipſe, quòd Verbum eſt ad intra productum duplici productione contra diſtincta quarum vna eſt generatio, altera creatio. Quæ duæ productiones diſtinguuntur formaliter, formalitate reali, vt in pag. 116. diſtinguntur eſſentialiter, vt in pag. 160. lin.31. Sic ergo filium Dei, quem Chriſtiani colunt, ſtatuit eſſentialiter diſtinctum à Deo cum iudæis.

Ego verò diſtinguo de vocabulo creationis; Callidus aduerſarius ſub æquiuocatione ſe occultat. Ideò ſępè diſtinguendum, ſi creatio paſſiua ſit factio, generatio verbi diſtinguitur eſſentialiter à tali creatione, taliſque creatio nullo modo poteſt verbo diuino conuenire, non enim verbum eſt factum, ſed factor omnium eſſentialiter à Deo diſtinctorum. Si loquamur de creatione paſſiua, quæ eſt productio, ſic generatio, & creatio filij non diſtinguntur eſ-

ſen-

ſentialiter, non formaliter, non ex natura rei, ſed ſecundum modum intelligendi noſtrum. Quam ſolam diſtinctionem in origine Filij paſſiua concedit Scotus quolib.4.N.

Obſeruatio octuageſimaprima.

Bald. PAg.26. lin.7. Neque verò ex productione ad extra, quæ creatio dicitur Theologicè ſumpta, quam Deus ab initio temporis molitus eſt, potuit opinio noua colligere conditiones productionis Filij Dei ad intra, quia nihil habent *ferè* commune productiones iſtæ, vt obſeruabamus.„

Matth. In margine ſcribit ſine limitatione ita *ferè*: productio ad extra nihil habet commune cum productione Verbi ad intra; & hoc dictum marginis eſt contra omnes Theologos, qui ex productionibus ad extra, aſcendunt ad cognoſcendum productionem ad intra, iuxta Apoſtolum ad Romanos 1. Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas. Sanè præſuppoſita reuelatione diuinarum productionum, plurimum iuuamur ad ſimplices terminos communes Deo, & creaturis intelligendos, teſte Scoto quolib.7. qui & in quolib.14. ex Trinitate in inferioribus docet aſcendere ad cognoſcendam Trinitatem in Deo; Dum enim cognoſcitur commune Deo, & creaturis; deinde remotis imperfectionibus, quæ ſunt in creaturis; relinquitur perfectio propria Dei. Poſuit verò Licetus hìc particulam *ferè* quaſi diminuentem, ſed addit, *vt obſeruabamus*. Dixit autem ſuperius eſſe penitus æquiuocas conditiones principij *de quo* in productione Verbi, & in productione rerum ad extra. Id ipſum patebit ex probatione mox conſideranda.

Primum

Quæ Liceti doctrina deſtruit Theologiam Scholaſticam. Nam Theologia Scholaſtica id, quod de Deo credit, per rationem probare ac defendere ſatagit. Vnde S. Bonauentura in 2. prologi docet, Obiectum materiale, & formale modi inquiſitiui, ideſt Scholaſtici; eſt enim de credibili, vt par rationem intelligibile. Si autem inter productionem ad extra, & productionem ad intra non eſt conuenientia niſi æquiuoca in nomine, vt contendit Licetus: Omnes rationes Scholaſticæ de proceſſionibus ſiue productionibus perſonarum ſunt Sophyſticæ, quia æquiuocæ.

Rurſus, Nulla poteſt eſſe ratio per dictum *de omni*, vel *de nullo*, niſi habeat terminum communem diſtribuibilem in propoſitione affirmatiua, vel negatiua. Sed ſi accipiantur quæ ſunt in Deo ad intra tantùm, ea ſunt de ſe hæc, & ſingularia, nec poſſunt diſtribui vt ſic. Si accipiantur vocabula ex rebus cauſatis, illa ſunt penitus æquiuoca ex Liceto, ſi ad Deum referantur. Igitur de perſona productiduci-

ductione, producente, producto, Patre, filio, intellectu, dictione, voluntate, ſpiratione, nulla poterit eſſe propoſitio vniuerſalis, niſi æquiuoca, nulla ratio ſcholaſtica, niſi æquiuoca. Hæc aſſertio Liceti conſonat cum propoſitione Liceti pag. 13. lin. 3. vbi derogat argumentis & diſputationibus de productione Verbi. Vide ad pag. 123-124. obſeruat. 46

Obſeruatio ſeptuageſimaſecunda.

Bald. SEd legamus rationem Termaximi, qua probat, productionem ad extra, & ad intra nihil habere commune: vnde neque ex productione ad extra poſſe colligi conditiones productionis filij ad intra. Ratio incipit in pag. 26. lin. 12.

« Nam productio rerum ad extra fit in momento temporis non permanente, à Deo vno ſimul, ac trino: iubente Domino peractum voluntatis imperioſæ, vocante ad eſſe quæ non ſunt: ex nihilo, vel ex materia indiſpoſita: quæ ſunt omnes conditiones creationis theologicè ſumptæ, propriéque, ac vniuocè dictæ.

At ex aduerſo, productio filij Dei ad intra fit in æternitatis inſtanti permanente, à Deo vno, non trino, Patre, non Domino; non iubente; ſed intelligente tantum: non per actum voluntatis imperioſæ vocantis ad eſſe filium, ſed per actum intellectus ſemetipſum comprehendentis, intelligentiſque ſimpliciter, ac perfectè, non ex nihilo, neque ex materia indiſpoſita, ſed ex ipſamet ſubſtantia ſua, Patris nimirum, filium vnigenitum ante creaturas omnes producentis. Quæ cuncta, & ſingula ſunt attributa generationis, prout à creatione theologicè ſumpta contradiſtinguitur.

Matth. Nemo poterit repetere hunc ſyllogiſmum informem.

Bald. Reuera propoſitiones ſunt nimis prolixæ. Sed ſunt indefinitæ, & probare debent propoſitionem vniuerſalem *nihil habent commune iſtæ duæ productiones.*

Matth. Solemne eſt Liceto non ſyllogizare in forma, & alios in forma arguentes reprehendere. Sed conſideremus primam partem. Bona definitio, ſeu deſcriptio creationis theologicè debet competere omni contento ſub deſcripto. At hæc Liceti deſcriptio, ſeu definitio colligens conditiones creationis theologicè, non conuenit omni, quia datur creatio theologica Filij Dei, quem Deus Pater, *creauit*, non *fecit*, ex Decreto Sancti Dionyſij contra Sabellianos, & iudaizantes. Iſta definitio creationis Liceticæ non competit creationi declaratæ à S. Dionyſio Papa, & S. Athanaſio.

Bald. Eſt ne creatio attributa Filio Dei creatio theologicè?

Matth. Ad nullam aliam ſcientiam pertinet conſiderare verbum, & eius originem; conſiderare veritates reuelatas in ſacra ſcriptura, conſiderare determinationes Pontificum & conciliorum in mate-

tia de fide, niſi ad Theologiam. Secundò, non omnem creationem ad extra continet illa deſcriptio Liceti, nam in 1. ad Timoth. 4. Cibi pro fidelibus à Deo creati dicuntur; Eccli.31. *Vinum in iucunditatem creatum*, Eccli.38. *Medicamenta de terra creata* & pſal. 103. Plantæ, & animalia creantur tempore veris, vt Bellarminus exponit ad litteram. Sed hæc omnia creantur in tempore, non in momento. Creantur ex materia diſpoſita, non ex nihilo immediatè, vel ex indiſpoſita materia. Igitur neque creationem Theologicam in communi, neque creationem Theologicam ad intra, neque omnem creationem Theologicam ad extra conſiderauit Licetus. Meritò reprehendendus, ſicuti reprehenſus eſt ab Ariſtotele Democritus in 5. de gener. animal. cap.8. quia de generatione dentium agens, non conſiderauerit omnia.

Bald. Voluit definire aliqua, quæ propriè dicantur creata.

Matth. Quod iſta propriè, illa impropriè, prorſus voluntariè dicit. Sed ſcholaſtici, qui conſiderant creationem ad extra appropriatè, illam creationem indifferentem ad ex aliquo, & ex nihilo vocant creationem communiſſimè.

Bald. Sed vnum, eſt, in quo te pungit; quia tu creationem theologicè definis per ex aliquo. Termaximus etiam per ex nihilo, & ad hoc citat 2. Machab.7.

Matth. Iſayas cap.33. verſ.18. ait. *Vbi litteratus? vbi legis verba ponderans?* S. Iuſtinus ponderauit diſcrimen inter *facere*, & *creare*; Licetus confundit. S. Dionyſius Papa decreuit, quod *creauit* non eſt *fecit*, facere, & creare differunt in ſcripturis; Licetus confundit. S. Auguſtinus in libro de moribus Manichæorum facere, & creare diſtinguit ex oppoſito; Licetus confundit. Quoniam trutinam propriæ voluntatis adhibet, non trutinam Patrum Eccleſiæ nimirum, Licetus, vt Deus Moyſes nouellus, vult dictare oracula ſuis Aaronibus, non ab eis diſcere. Locus 2. Machab.7. docet de verbo *facere*, omnia Deus fecit de nihilo. Tuus Termaximus pro facere ſubſtituit *creare* in ſcriptura; quæ duo non eſſe idem Sancti citati tradũt.

Bald. Non ne melius eſſet, dicere ſcripturam in locis abs te citatis accipere vocabula impropriè, Licetum propriè?

Matth. Potius volo laudare Deum, & Patres in aſſignanda proprietate verborum Theologicorum, quàm Licetum. Contra quem ſi dixero, ipſi *nihilo*, & ipſi *materiæ* nihil eſſe commune vniuocum, ſed æquiuocum tantùm, vt potè duobus contradictorijs *nulli enti*, & *alicui enti*: non ne Licetus apparebit, iuxta ſuum argumentum, in creatione deſcribenda æquiuoco vti? Quanto melius Pater Auerſa in 1. p. q.45. ſect.1. docuit creationis nomen extendi ad diuinas proceſſiones Filij, & Spiritus ſancti?

Bald. Expendamus ſecundam partem, nam in deſcribenda productione filij mirabiliter excellit Termaximus.

Matth.

Matth. Ne facilè enunties. Aduerte loquutionem Arianam, productio filij Dei ad *intra fit*. Verba trium temporum, præſentis, præteriti, futuri idem ſignificant, ſed conſignificant diuerſum tempus. Vnde dicimus Spiritus Sanctus *audiuit, audit, audiet* à filio. Ita *cum à Liceto verbum fit* attribuitur productioni Filij ad intra, ſimiliter dices, productio filij ad intra *facta* eſt, *fit, fiet*, quæ loquutio eſt penitus hæreticæ, & damnata tùm in Concilio Roman. ſub S. Dionyſio, " *Creauit non eſt fecit*, ergo Filius creatus, non eſt factus, ſed eſt *genitus*, non *factus* tùm in Concilio Niceno ſub Syluestro, *Filium* aſſerimus *genitum* non *factum*. Sed Filij generatio & genitus, Filij productio, & Filius productus ſunt prorſus idem à parte rei, nec in re differunt hæ locutiones genitus *fit* & generatio *fit*.

Hic ſpargitur ſemen Iudaiſmi latenter. Nam quidquid fit, non eſt Deus. Sed productio filij, & Filius fit.

Ergo Filius, & Filij productio non ſunt Deus.

Bald. Reuera illud vocabulum eſt damnatum, & nulli in Deo ad intra tribuendum.

Matth. Sanctus Dionyſius decreuit, Dominus creauit me, non eſt *fecit* me, de filio. Licetus contra negat, quòd Pater creauit Filium, quòd Filius eſt creatus. Affirmat, quòd Filij productio *fit* & quòd Filius *fit*: nam propter ſummam ſimplicitatem Filius & Filij productio ſunt idem.

Bald. Vis aliud notare.

Matth. Vtique, dum ait. Productio filij fit à Deo vno, non Trino. Non producitur Filius à Deo Trino, ſed neque à Deo vno, vt ſic. Quod enim conuenit Deo vni ſecundum vnitatem Deitatis, eſt commune tribus. Sed producere Filium non eſt commune tribus. Ergo producere Filium non eſt à Deo vno, vt vno, ſed ab vna prima perſona. Quoniam actiones hypoſtaticæ ſunt ſuppoſitorum.

Tertiò. Licetus ait: *productio eſt à Patre intelligente tantum.* Non eſt hæc pars tenenda. Quoniam Pater volens voluntate antecedente generat Filium ſecundum Scotum in 1. d. 6. Nam & actus eſſentiales in qualibet perſona ſunt priores actibus notionalibus; quare, & Pater prius intelligitur habere perfectam beatitudinem intelligendo, & volendo eſſentiam, quam habeat ipſum generare filium. Legatur Scotus quolib. 1. & 1. d. 1. q. 2.

Quartò ait *per actum intellectus ſemetipſum comprehendentis*. Vt enim dictum eſt ad pag. 12. lin. vlt. Filius eſt cognitio comprehenſiua eſſentiæ, vel de cognitione comprehenſiua eſſentiæ, non de cognitione comprehenſiua intellectus. Confundit enim Licetus potentiam comprehenſiuam, & obiectum comprehenſionis.

Bald. Placet ne tibi illa propoſitio. *Non ex nihilo, nec ex materia indiſpoſita, ſed ex ipſamet ſubſtantia Patris producentis?*

Matth. Inſufficiens eſt diuiſio. Nam ex multis alijs poſſet fingi Filius

Gg 2 eſſe

eſſe productus. Vt ſi quis dixerit, filium eſse productum ex materia diſpoſita, vel ex forma præexiſtente, vel ex aliqua comparte, vel de ſubſtantia immateriali,vti angelica; eſt ex Liceto;tunc Filius eſset productus non ex nihilo, non ex materia indiſpoſita, & tamen eſset productus ex alicua ſubſtantia á Deo. Fiat ergo ſufficiens diuiſio cum S. Auguſtino contra Felicem. Filius eſt productus, non de nihilo, non de alia ſubſtantia á Deo, ſed de ſubſtantia Patris.

Bald. Nec illa propoſitio eſt tibi placitura in pag.26. lin.27. "Quæ cuncta, & ſingula ſunt attributa generationis, pro vt á creatione Theologicè ſumpta contradiſtinguitur.

Matth. Propoſitio eſt contraria ſcripturis Prouerb.8. Eccli.1.& 24. In quibus productio Filij,quæ vnica eſt á parte rei,vocatur generatio, & creatio.

Contraria Pontificibus. Nam S. Euariſtus, & Ioannes 2. creatum,& genitum accepit, vt idem Theologicè. Contraria Patribus multis atque Doctoribus in reſponſiua Epiſtola relatis explicantibus, creata ſum id eſt *genita, & producta*. Atque Pater Auerſa citatus ad hoc tendit, vt proceſſiones perſonarum dicantur creationes accepto vocabulo extenſè,prout etiam Liranus exponit in primum Eccleſiaſtici.

Bald. Rectè ne colligit ex illa collatione creationis ad extra, & productionis Filij ad intra?

Matth. Non rectè. Quia probat propria productionis paſſiuæ creaturarum non adeſse in productione paſſiua Verbi. At neſcit abſtrahere productionem paſſiuam in communi: & in productione paſſiua creaturarum conſiderare imperfectiones & perfectiones, remotis enim imperfectionibus, perfectiones propriæ verbo remanebunt. Exemplum. Omnis productio paſſiua eſt vel *ex nihilo*,vel *ex aliquo*. Suppoſita reuelatione de Filio, & Spiritu ſancto productis in Deo. Statim cognoſcitur eſse *ex nihilo* dicere imperfectionem repugnantem Deo propter ſummam neceſsitatem eſſendi, actualitatem, immutabilitatem, ergo productio in Deo eſt *ex aliquo*, non *ex nihilo*. Non eſt ex aliquo ente diuerſo eſsentialiter á Deo: quoniam omne tale eſt factibile *ex nihilo*,vel ratione ſui,vel ratione ſui primi principij interni. Ergo Filius, & Spiritus ſanctus non ſunt producti de ente aliquo diſtincto eſsentialiter á Deo, ſed de ſubſtantia Dei vnica,& impartibili. Ergo producens, & productus in Deo ſunt ad intra conſubſtantiales, coæquales, coomnipotentes, coæterni; atque hoc pacto plurima prædicata de perſonis diuinis eliciuntur, quia verò *creatio* eſt vox æquiuoca, ſi creatum ſignificet eſse factum, nullatenus eſt in Deo aliquid factum, vel creatum, ſi creatum ſignificet eſse productum; tunc non eſt maior difficultas de voce *creatum*, quám de voce productum.

Obſer-

Obſeruatio octuageſimatertia.

Bald. PAg.26.lin.29. « Et ſi creationis vnicum attributum in productione filij reperiatur, immobilitas nempè creantis.

Matth. Si poſſes numerare, quoties hanc rem ſcribat: nimis magnum tædium deuorares.

Bald. Verè; an falsò dicit?

Matth. Falsò plura, verè vnum. Verè dicit ex creatione a d extra immutabilitatem creantis attribui Patri generanti, falsò dicit, ex creatione ad extra multo plura non poſſe reperiri in productione filij: & multo plura etiam eſſe à Diuo Hilario in libro de Synodis ad filij productionem translata. Exemplum. Creator ad extra non ſolùm habet immutabilitatem, ſed etiam eſt intelligens, & volens, & æternus, & producens aliquando *ex aliquo*: ſed hæc omnia conueniunt Patri generanti Filium. Multa quoque ex parte creati ad extra poſſunt ad filium transferri, reſectis imperfectionibus, vt eſſe productum, eſſe ex aliquo eſſe in perpetua influentia generantis, & alia multa de quibus alibi.

Obſeruatio octuageſimaquarta.

Bald. PAg.27. lin.1. Idem attributum (immutabilitas.) commune prorſus eſt productioni Spiritus ſancti; qui producitur à principio ſpirante immutabili; non tamen ideò productio Spiritus ſancti dicitur, aut creatio, aut generatio, ſed ab vtraque diſtincta ſpiratio.

Matth. Melius dixiſſet à principijs ſpirantibus. Quoniam nomen adiectiuum, ſeu participium numeratur à numero ſuppoſitorum ſpirantium.

Sed non vult Licetus productionem Spiritus ſancti dici creationem; verùm Sanctus Irenæus lib. 4. aduerſus hæreſes cap.37. olim, & nuper Auerſa proximè citatus concedunt Spiritum ſanctum dici creatum. Sed Moyſes non credit Aronibus, ideſt Patribus orthodoxis.

Deindè, vbi eſt eadem ratio rei; ibi eadem res conſequens talem rationem eſſe debet. Sed productio cum immutabilitate per te, eſt ratio, vt productio filij dici valeat creatio. Ergò etiam productio cum immutabilitate erit ratio ſufficiens, vt Spiritus ſancti productio dici valeat creatio.

Obſer-

Obſeruatio octuageſimaquinta.

Bald. PAg. 27. lin. 5. Procedam vlterius. „ Sed quia immutabilitas eſt proprium attributum Dei, qua Deus eſt, ideò competit ipſi quamcumque molitionem diuinam edat, ſiue generet Filium Pater, ſiue cum Filio ſpiret Spiritum ſanctum, ſiue cum Filio & Spirituſ ſancto Trinus, & vnus Deus ad extra creet creaturas.

Matth. Sunt vocabula, & phraſes hæ alienæ ab vſu Theologorum, *molitionem* dicit ſiue generet; ſiue ſpiret, ſiue creet ad extra. & in pag. præcedente 26. lin. 9. de creatione, quam Deus ab initio temporis molitus eſt; atque frequenter, hoc verbo *molior* vtitur in reſpectu ad generationem, & ſpirationem, cum in iſtis non ſit magnitudo molis, ratione cuius Deus *moliri* debeat.

Et in ſacris litteris moliri aut ſemper, aut penè ſemper accipitur in malam partem: Sed reſpectu creationis actiuæ ad extra *molitionem* dicere eſt *phraſis* Pauli Samoſateni hęreſiarchę teſte Franciſco Coriolano in tractatu de concilijs Generalibus car. 86.

Præterea in eadem pag. 27. lin. 24. Non poteſt *ideam* integram verè creationis conſtituere, communeque attributum generationi, creationi, quin & ſpirationi à Deo patratæ; loquutio eſt valde impropria, vt creatio actiua Dei ſit ideata & ideam habeat. Cum idea, & ideatum diſtinguatur eſſentialiter. Sed creatio actiua eſt Deus, ergo non poteſt diſtingui eſſentialiter ab vlla idea, nec poteſt habere ideam. Vocabulum à Deo *patratæ* attributum generationi, & ſpirationi, ſapit Arianiſmum. Quod enim patratum eſt factum eſt, iuxta illud Geneſis 2. *Requieuit Deus die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat.* Sed neque generatio, neque ſpiratio filij ſunt factæ, ergo neque patratæ.

Illa etiam loquendi phraſis, *Pater cum filio & Spiritu ſancto trinus & vnus Deus*, eſt reprobanda; nec enim de Patre poſito in caſu nominatiuo dices, Pater eſt Trinus & vnus Deus.

Obſeruatio octuageſimaſexta.

Bald. PAg. 27. lin. 14. Hinc Diuus Hilarius ex orientali Concilio, & D. Thomas ex Hilario, ſicut infra latius apparebit, aſſerit productionem filij, quatenus eſt ex præſuppoſita ſubſtantia Patris, eſſe generationem, non autem creationem, quatenus autem eam molitur Pater &c.,,

Matth. Hæc affirmatio, vt generatio ſit ex ſubſtantia Patris præſuppoſita, vera eſt. Iſta negatio, *non autem creationem*, non eſt in D. Thoma. Vide librum de ſeptimo quæſitis car. 104. 105. In Hilario autem adeſt oppoſita affirmatio, dicente de perſona Patris *Creauit*

ex

ex ſe ipſa, quod genuit: ex ſe ipſa eſt, ex præſuppoſita ſubſtantia Patris.

Obſeruatio octuageſimaſeptima.

Bald. PAg.27. lin.29. Quapropter argumentum primum proprium opinionis nouæ de creatione theologicè dicta Filij Dei ad intra, multò onerosius eſt Arianorum ratiocinio. Nam ſyllogiſmus Arij præcipuus non peccat in forma, ſed in materia tantum aſſumens propoſitionem falſam, creatio ſimpliciter omnis eſt productio ex non extantibus, adeòque ex nihilo. Cæterùm ſeruat Logicæ regulas. At opinionis nouæ prima ratio propria peccat non ſolùm in materia falſam habens propoſitionem, ſed etiam in forma multiplici vitio, tùm ex puris affirmatiuis in ſecunda figura paralogizans, ſiuè maiorē præmiſſam in prima figura ferens non vniuerſalem, tùm ſemper obtinens quatuor terminos innixa medio prorſus æquiuoco diuerſi generis in maiori, ac in minori propoſitione, ſicut viſum eſt euidentiſſimè.

Bald. Vehemētiſſimè vituperat te, & rationem tuam; te enim parificat Ario, & in ſententia, & in verbis; rationem tuam ratione Ariana multò onerosiorem dicit.

Matth. Solemne eſt Liceto alijs maledicere; & maledicta non probare. Neceſſarium erat probare, me eſſe in ſententia Arij ex meis dictis, & verbis. Dixit Licetus verbis ſuis ſed meis non probauit. Tantum in hoc probare potuit, quòd ego dixerim, filium Dei eſſe productum ex ſubſtantia Patris interna filio. In quo ſum contrarius Ario, non, vt malè Licetus vult, cum Ario. Si volebat in præſenti loco probare concluſionem ſuam, neceſſarium erat adſcribere rationem meam, & rationem Arij, & conferre, an ratio Arij ſit melior, mea deterior. Voluit proponere hoc, ſed non probare, nec enim poterat. Quocirca meam rationem meis verbis nunquam voluit referre anteà, neque nunc referre voluit rationem Arij.

Bald. Imò retulit ſyllogiſmum Arij ſic. « Creatio ſimpliciter omnis eſt productio ex non extantibus, ideſt ex nihilo.

Matth. O logicorum exemplar: loco ſyllogiſmi integri, vnam propoſitionem affert? Ariſtoteles quidem ait in 1. Poſter.26. ex paruis. « Vno quidem igitur poſito, quòd nunquam neceſſe eſt aliquid eſſe alterum, monſtratum eſt. Dico autem vno, quod neque termino vno, neque poſitione vna, poſita: ex duabus autem poſitionibus primis, & minimis contingit ſiquidem & ſyllogizare. « Igitur ex vna propoſitione Arij non poteſt lector cognoſcere, vel concluſionem Arij, vel minorem. Quomodò autem poterit lector accuratus ſcire rationem Arij eſſe meliorem, ſi accuſator non impleat

officium

officium ſuum proponendo Arij rationem in ſyllogiſmo, vel ſaltem propoſitionem, & conclusionem in enthymemate?

Bald. Verè, vt Ariſtoteles monſtrauit in 1. Priorum cap. 23. & 25. ex vna propoſitione non poteſt quicquam concludi ex neceſſitate; quare Termaximus meus non ſatis probat lectoribus.

Matth. Non probauit Licetus, probemus nos dictum Liceti eſſe falſum, illud ſcilicet, quòd ſyllogiſmus Arij non peccat in forma, ſed in materia; Igitur Licetus ad pag. 156. ſcribit lin. 1. "Arius infeſtabat Eccleſiam illo ſuo ſyllogiſmo.

Creatio eſt factio ex nihilo.

Filius Dei creatus aſſeritur in prouerb. cap. 8. 22. 23. 24.

Ergo eſt factus ex nihilo.

De hoc ſyllogiſmo Arij Licetus aſſeuerat tum pag. 28. tum pag. 156. peccare in ſola materia.

Bald. Si Termaximus fideliter refert argumentum Arij, ſyllogiſmus ille peccat in forma. Primò quidem, quia maior eſt indefinita in prima figura, & nihil ſequitur. Secundò verò, quoniam terminus abſtractus *Creatio* eſt in maiori. In minori *creatus* eſt in concreto: quod eſt cōtra regulam Ariſtotelis abs te commemoratam ex primo Priorum. ſecto 3. ca. 1. Suntque duo termini concretum, & abſtractum, quare eſt ſyllogiſmus in quatuor terminis.

Matth. Veriſſime dixiſti. Peccat in forma ſyllogiſmus Arij, quatenus eſt formatus à Liceto in formandis ſyllogiſmis parum exercitato: ſed exercitatiſsimo in deformandis. Sed obſerua Liceti contradictionem duplicem. Propoſitionem Arij in hac pag. 27. lin. vltim. ponit vniuerſalem *Creatio ſimpliciter omnis eſt productio ex non extantibus, adeoque ex nihilo*, ſed in pag. 156. ponit non vniuerſalem. Secundo pro genere Creationis Arianæ in pag. 28. lin. 1. ſtatuit *productionem*. In pag. 156. lin. 2. *factionem*. Differunt autem ſecundum Licetum in eadem pag. 156. lin. 29. & 30. quia productio eſt genus remotum, factio genus proximum creationis. Et ex eodem Liceto *ex nihilo*, & *ex aliquo* ſunt duæ differentiæ diuidentes factionem; conſequitur Licetum errauiſſe contra regulam Ariſtotelis in 2. Poſt. præcipientis ordinem partium definitionis, ne accipiatur differentia ſuperioris cum genere inferiori, vt patet per tex. 74. & 75. Et in 7. Metaph. 43. pro vt in commentario illius loci Scotus, vel eius collector Antonius Andreas aduertit. Vnde ſi *ex nihilo* eſt differentia proxima factionis, inordinatè poſita eſt pro differentia productionis. Si verò *ex nihilo* eſt differentia proxima productionis, & factio conſtituitur per *ex nihilo*, tunc dicendo, *factionem ex nihilo* eſt nugatio: quia in nomine factionis includeretur *ex nihilo*, vt differentia conſtitutiua; & iterum adijciendo factioni ly *ex nihilo* bis dicitur ex nihilo. Si autem *ex nihilo* conſtituat ſpeciem aliquam diſparatam à factione, quaſi ſub productione ſit factio, vt vna

ſpecies,

ſpecies, ſit item aliqua alia ſpecies v.g. dicatur A, quæ A. conſtituatur per *ex nihilo*, tunc argumentor.

Differentia conſtituens vnam ſpeciem diſparatam, non poteſt contineri ſub altera ſpecie diſparata. Sed ly *ex nihilo*, vt ſupponimus in hac argumenti parte, conſtituit. A. ſpeciem diſparatam à factione ſub communi genere productionis. Igitur *ex nihilo* non poteſt eſſe differentia, vel diuiſiua, vel conſtitutiua factionis.

Id. Hæc duo loca Termaximi ſibi non conſtant, aut ego non intelligo. Sed reuertamur ad ſyllogiſmum Arij, & formetur cum maiori vniuerſali poſita in pag. 27. lin. vltim. ſic. Creatio ſimpliciter omnis eſt productio ex non extantibus. Filius Dei eſt creatus.

Ergo Filius Dei eſt productus ex non extantibus, ſiue ex nihilo.

Diſſimulemus vitium concreti, & abſtracti. Remanet ne ſyllogiſmus Arij in forma?

Matth. Nequaquam. Etenim creatio habet ſex ſignificationes ſecundum Licetum cap. 5. 6. 7. 8. 9. 10. omnis propoſitio habens terminum æquiuocum, eſt propoſitio plures ex primo de interpretatione cap. 4. & 2. de interpretatione cap. 2. atque 2. Elenc. cap. 2. Sed iſta propoſitio: creatio ſimpliciter omnis eſt productio ex nihilo, habet *creationem* id eſt terminum æquiuocum ad ſex ſignificata. Igitur maior propoſitio Arij eſt ſex propoſitiones, minor ſex propoſitiones. Qualis eſt iſta ſyllogiſmi forma, o Balde vigilans, in quo medius terminus ſunt ſex medij: & duodecim ſunt propoſitiones, præter terminos concluſionis.

Bald. Licetus ipſe contra te dicebat, quia medium tui ſyllogiſmi erat æquiuocum, propterea ſyllogiſmum eſſe in quatuor terminis, quare & vitioſum in forma. Multò magis erit vitioſum in forma argumentum Arij habens ſex terminos pro medio.

Matth. Non igitur mea ratio eſt deterior ratione Arij. Sed Liceti malè dictum de me eſt falſum dupliciter: primò quidem ratione formæ; enthymema meum eſt reſolubile in legitimum ſyllogiſmum per additionem maioris propoſitionis.

2 Quia medium mei enthymematis eſt vniuocum, vel analogum, nimirum *productio* in communi ad duas quaſi ſpecies, productionem *ad intra*, & productionem *ad extra*. Sed Licetus callidè finxit eſſe æquiuocum accipiens determinatè productionem ad extra in maiori: in minori determinatè productionem ad intra. Similiter æquiuocum fecit principium *de quo* non conſiderans rationem communem talis principij notatam à Caetano, & Scoto. Deindè omiſſa forma, peccat Licetus dicens, meam propoſitionem eſſe falſam in materia. Sed propoſitio non eſt falſa, falſæ fuerunt quinque citationes Liceti falsò afferentes ſcripturam.

Falsò itaque in meo ſyllogiſmo tot vitia vel formæ, vel materiæ accuſat Licetus; nam illa vitia ipſe commiſit vel neſciens, vel nolens

 benè

benè formare. Repeto breuiter meum ſyllogiſmum, vt conferatur cum Ariano.

Omne productum ex aliquo, non ex nihilo eſt creatum denominatiuè à creatione ſcripturali.

Sed filius Dei eſt productus ex aliquo (id eſt ex ſubſtantia Patris) non ex nihilo.

Ergo Filius Dei eſt creatus denominatiuè à creatione ſcripturali, quæ eſt productio ex aliquo.

Denique quia Licetus nunc repetit quartò de vitijs contentis in ſua deformatione, non in mea formatione: repetetque vel quadragies. Dico nec in ſua deformatione poſſe eſſe tot vitia. Impoſſibile enim eſt, vt vnus ſyllogiſmus ſit ſimul in 1. & 2. Figura. Ergo impoſſibile eſt, vt in ſyllogiſmo formato in 1. Figura ſint vitia formati in 2. quatenus huiuſmodi.

Bald. Igitur accuſatio iſta, quòd ratio tua ſit magis oneroſa, quàm ratio Arij in malè formantem, & in falſificantem propoſitiones recidit.

Matth. Animaduerte ſolitam Liceti aſſeuerationem, ſicut viſum *eſt euidentiſſimè.* hanc aſſeuerationem ex authoritate propria tunc maximè proponit, cum ex vera authoritate, aut ratione nihil probat. Ita nunc concludit. « Corruit ergo principalis ratio nouæ opinionis de creatione filij Dei ad intra. « Licetus iactat ſe. At neque ad antecedens mei enthymematis, neque ad conſequentiam quicquam dixit; nec reſpondit in forma, ſed reſpondit ad ſuam confictam deformationem ſyllogiſmi. Antecedens meum erat. Filius Dei non ex nihilo productus eſt, ſed eſt productus de ſubſtantia Patris præſuppoſita, & inexiſtente ipſi filio. Contra has duas propoſitiones nullum argumentum fecit impugnando; nihil dixit reſpondendo.

Attulit contra conſequentiam, quæ conſiſtit in iſta propoſitione: omne productum ex aliquo principio præſuppoſito, & interno in re producta, dicitur creatum more ſcripturarum ſanctarum: Attulit inquam contra conſequentiam quinque ſcripturas falsò citatas. Nulla igitur impugnatione Liceti concuſſa eſt mea prima, & vnica ratio; tranſeamus ad reliqua.

Obſeruatio octuageſimaoctaua.

Bald. QVid dicis vnicam rationem abs te factam, cum Licetus quatuor tuas confutet rationes.

Matth. Confutat rationes à ſe fictas, non à me factas.

Bald. Experiamur, an ita ſit. Ter maximus pag. 28. lin. 11. ait. « Secunda verò ratio propria nouæ opinionis illis verbis allata Hebr. 9. Tabernacu-

naculum non manufactum; ideſt non huius creationis, quæ creata dicuntur, quia producta ſunt de principio præexiſtente, & inexiſtente: Si reducenda ſit ad formam ſyllogiſticam ea fuerit.

Manufacta ſunt huius creationis theologicæ, quia producta ſunt de principio præexiſtente, & permanente.

Dei filius ad intra productus eſt ex ſubſtantia Patris, tanquam de principio permanente, ac inexiſtente.

Igitur Dei filius ad intra eſt creatus theologicè.

Matth. Hæc ratio non eſt in meo libro. Sed Licetus offendit me in verbis relatis & ſolæciſmo, & ſyllogiſmo. Solæciſmo *Tabernaculum non manufactum*; Ponitur tanquam antecedens relatiui, & refertur relatiuum in numero plurali, *quæ creata dicuntur*, Tabernaculum in ſingulari, quæ in plurali: hunc errorem mihi adſcribit. Syllogiſmo, nam ſyllogiſmum fallaciſſimum erigit, cuius minor, & concluſio non habet vllam connexionem cum meis dictis.

Bald. Quæ ſunt tua dicta?

Matth. Definiui in meo libro pag. 34. Creationem theologicè. Poſt hac diuiſi dicens, *extenditurque creatio & ad intra in Deo, & ad extra in creaturis*. Statim probo primum membrum dicens. Ad intra ſapientia primogenita ante omnem creaturam Eccli. 24. de ſe loquitur: *ab initio, & ante ſæcula creata ſum*. Et cum 70. Interpretibus Prouerb. 8. *Dominus, creauit me*; deindè probo ſecundum membrum ſcribens. Ad extra Sap. 11. *Creauit orbem terrarum de materia informi*. Geneſ. 5. *Maſculum, & fœminam creauit eos*, de luto nimirum, & coſta Hebr. 9. *Tabernaculum non manufactum, ideſt non huius creationis, quæ creata dicuntur, quia producta ſunt de principio præexiſtente, & inexiſtente*. Hæc ibi ſcripſeram, in quibus relatiuum plurale *quæ* non refertur ad ſolum tabernaculum, ſed ad illa tria genera entium ad extra, ſcilicet terram hominem, tabernaculum, ideò non eſt ſolæciſmus in meis dictis.

Secundò, concluſio à me probanda eſt iſta. Creatio ſcripturalis extenditur ad extra in creaturis. Probatio eſt ex tribus diuinæ ſcripturæ libris de corporibus naturalibus, & artificialibus, de naturalibus ſimplicibus, ac mixtis, inanimatis, ac animatis, & in fine ponuntur tres termini, *quæ entia ad extra*, & eſt ſubiectum concluſionis: *creata* & eſt prædicatum concluſionis. Medius terminus indicatur per particulam cauſalem, *quia producta ſunt de principio exiſtente, & inexiſtente*, & reſoluitur in formam hoc pacto.

Ad quæcumque extenditur definitio creationis iſta in concreto, *eſſe productum* de principio præexiſtente, & inexiſtente: ad ea extenditur in concreto creatio definita, à qua talia dicantur eſſe creata.

Sed ad hæc entia ad extra extenditur definitio dicta creationis. Ergo & ad extra extenditur creatio, à qua creata dicuntur. Sed breuiſ-

uiſſimè per ineſſe fit reſolutio iuxta regulas prioriſticas, & poſterioriſticas ſic. *creatum* eſſe ineſt *productio* ſic. Productum ſic ineſt ad extra, ergo & *creatum* ineſt ad extra, quare & creatio.

Bald. Video ita eſſe, vt dicis, ac proinde Termaximum non ſibi conſtare. Quoniam ſuperius pag.21.lin.12. per iſta verba ex tuo libro lecta dicit à te probari maiorem, ideſt definitionem creationis theologicè talem: Creatio eſt productio ex principio præſuppoſito & permanente in re producta. Nunc in pag.28. lin.11. aſſerit te probare concluſionem, filius Dei ad intra eſt creatus theologicè, quæ duæ concluſiones ſunt valdè diuerſæ. Reuera tamen in hiſce dictis; *Tabernaculum non manufactum &c.* neutram ex dictis concluſionibus probas, ſed iſtam. Datur creatio theologica ad extra.

Matth. Itaque Licetus errat in concluſione, errat in probatione. Errat in concluſione, quoniam mea concluſio eſt. Creatio theologica extenditur ad extra in creaturis. Licetus imponit mihi concluſionem alieniſſimam hanc.

" Dei filius ad intra eſt creatus theologicè. Ego loquor de creaturis, ille me exponit de filio Dei. Ego loquor de creatione ad extra, ille me applicat ad creationem ad intra. Omnia peruertit.

Errat in probatione, quia format fine vlla regula ſyllogiſmum informem, & in mea probatione ſunt tres ſacræ authoritates. Sed ille callidè ommiſit duas. Et quæ dicta ſunt de creaturis dumtaxat, vt quilibet lector verax agnoſcit, Licetus applicat ad filium Dei creatorem omnium ad extra. Ad quem, nec per vigiliam, nec per ſomnum, immò nec per ſomnium tranſtulit tres iſtas authoritates. Licetus autem cenſuit lectores fore tàm ſtupidos, tàm ſtolidos, tàm nullius frugis, vt ſibi mentienti eſſent plus credituri, quàm dictis meis, à te, Balde, relatis.

Bald. Piger, & pudet talia recognoſcere; dum enim comparo tua per me ſcripta in lib. de 7. quæſitis ad pag.8. & 9. ex vna parte: ex altera parte ſecundam hanc rationem à Liceto formatam; planè video, te hanc rationem non feciſſe, & falsò imponi tibi tàm ipſam rationem, quàm omnia vitia, quæ in ipſa accuſantur.

Matth. Verè dictis. Propterea retentis meis dictis; & rationem, & vitia rationis à Liceto commiſsa, Liceto relinquo; Igitur hæc ratio non meretur reſponſionem, ſed deteſtationem.

Obſeruatio octuageſimanona.

Bald. Vis tranſeamus ad aliam pag.

Matth. In pag.29. lin.10. ſcribit Licetus.

" Diuus autem Paulus abutitur nomine creationis in ampliore minuſque

nuſque propria ſignificatione, metaphoricè loquens dum ait. *Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum, ideſt huius creationis*: quale fuit hebreorum tabernaculum olim conſtructum.,,

Bald. Quid hic habes conſideratu dignum?

Matth. Duos errores. Vnus eſt citationis falſæ, alter expoſitionis non veræ. In citatione errat ſummoperè, attribuens Diuo Paulo contradictorium dicti Paulini. Diuus Paulus ait: *ideſt non huius creationis*: Licetus abraſit negatiuam particulam *Non*, & Paulum negantem nobis offert affirmantem, quæ maior falſitas incitando eſſe poteſt, quàm pro vno contradictorio alterum contradictorium ſubſtituere?

Bald. Non crederem, niſi meis oculis legerem tantum nefas.

Matth. In expoſitione quanta cum irreuerentia Dei authoritatem per Apoſtolum loquentis tractat. Tres defectus impingit, abuſum nominis, minus propriam ſignificationem, metaphoricam loquutionem. Secunda ſpecies æquiuocationis eſt pro voce propriè accepta, metaphoricè proponere, quod in Apoſtolo diſputante contra Iudæos non eſt facilè afferendum. Atque ex antecedentibus, & conſequentibus verbis propriè acceptis, nec æquiuocatio, nec improprietas, nec abuſus Apoſtolo eſt tribuendus.

Bald. Si Apoſtolicus vſus iſtius vocis *creatio* eſt abuſus, eſt æquiuocus vſus, eſt improprius vſus: vnde nam accipiemus vſum proprium, legitimum, vniuocum iſtius vocis *creatio*: quæ ſolum in iſto loco ſcripturæ diuinæ reperitur? In quo tabernaculum manufactum, factum eſt ex oblationibus hebræorum. Exodi 35 & dicitur eſse huius creationis ad differentiam tabernaculi cęleſtis perfectioris, quod à ſolo Deo omnipotente creatum, non manufactum eſt.

Matth. Accipiet Licetus proprietatem vocis *creatio* à Sabellio & Ario, definientibus, quòd *creatum* eſt factum ex nihilo. Sicut antiquitus D. Auguſtinus diſputans extra ſcripturam (prout poſtulauerat Felicianus Arianus diſputationem fieri,) tunc vt in tom. 6. lib. contra Felician. c. 7. cart. 252. E dedit definitionem creationis, quam Arianus ille eſſet conceſſurus; Et illa ſignificatione creationis vſus, conuicit Filium Dei non eſse creatum. Quanquam alijs in locis cum ſcriptura aliter deſcribat creationem. Sic Licetus abſque neceſsitate accipiet proprietatem ab Ario: quod non fecit Auguſtinus niſi ex neceſſitate diſputandi. Ex contemptu de Paulo, contemptum memini de S. Thoma, de S. Hilario de concilio Orientali dicentibus, Filium creatum: memini, quàm contemptim dixerit dicens, illum creationis modum eſſe æquiuocè penitus, abuſiuèque ſumptum. Rurſus modum, quo S. Auguſtinus, & S. Cyrillus, immo & ſacra ſcriptura loquitur per vocabulum creationis, conculcat dicens, illam ſignificationem cunctarum *Improprijſſimam*, & *Alio-*

Alieniſſimam creationum differentiam. Vtinam Licetus daret nobis aliquam regulam è ſacris litteris, qua poſſemus iudicare ſignificationes propriam, & impropriam creationis, ſine recurſu ad hæreticos. Etenim Scotus in 4. d.8. q.3. T. V. docet. Aliter ſæpe accipi terminos & propoſitiones ex determinatione diſputantium, aliter accipi ex virtute, & rigore ſermonis. Hoc modo Patres, qui aduerſus Arianos diſputarunt, vſurpant vocem *creatio* pro factione ex nihilo, vt negarent, creatum eſse Filium in eo ſignificato, in quo Ariani affirmabant, filium eſſe factum, & creatum. Monuere tamen ijdem Patres oportunè, non vbique, non ſemper in ſcriptura creationem accipi in tali ſignificatione vt Athanaſius ſermone 3. contra Arianos. Cyrillus 5. Theſauri cap.4. Auguſtinus de moribus Manichæorum cap.7. & in 1. contra Aduerſ. legis cap.23. vt in reſponſiua mea dixi ad pag.100.

Obſeruatio nonageſima.

Bald. TRanſgrediamur hæc vitia ſecundæ rationis non tuæ, ſed Termaximi, quæ tamen vitia diluuntur per dicta ad primam rationem. Tranſgrediamur itaque ad pag.30. lin.6. & conuitia miſſa faciamus ſicut & vitia.

Matth. Lege igitur pag.30.lin.6.

Bald. „ Iam videamus alias duas rationes de creatione Verbi diuini ad intra, quas opinio noua communes habet iam cum Arianis. „

Matth. Plura falsò dicit de me. Primum me feciſſe alias duas rationes de creatione Verbi diuini. Vnam tantùm feci, tres Licetus affinxit alias. Secundum; iam dixi me non attribuiſſe particulam *ad intra* Verbo diuino, quamuis enim vera ſit, à me dicta non eſt. Tertiò dicit, meam opinionem nouam, quæ antiquiſſima eſt, vt probaui. Et quantum ad veritatem ſignificatam, quòd *Filius ſit productus ex ſubſtantia Patris interna Filio, & non ſit factus ex nihilo*, mea ſententia eſt ab æterno, & in æternum vera. Quantum ad vocem *creauit* attributam filio à temporibus Salomonis, & Eccli. attributa eſt ante duo annorum millia.

Quartò affirmat has duas rationes mihi eſse communes cum Arianis. Quod falſum eſt & fallaciter mihi impoſitum, vt iam videbimus. Perge legendo.

Bald. Pag.30, lin.9. „ Earum vnam deſumit ex ipſo Salomone dicens. Et cum ſeptuaginta Interpretibus Prouerb.8. Dominus creauit me principium viarum ſuarum: vt eſt apud S. Cyrillum 5. Theſauri cap.1. & 4. Quoniam Filius Dei non ex nihilo, ſed ex ſubſtantia Dei Patris præſuppoſita, & inexiſtente ipſi Filio productus eſt, idcirco, & dicitur creatus. „

Matth.

Matth. Callida pietas Liceti non poteſt non in fide referre mea dicta. Mutilauit immediatè præcedentia, ne poſſent intelligi, quæ reſcripſit: atque vt poſſint ab ipſo Liceto in malum ſenſum tranſuerti.

Bald. Quid mutilauit?

Matth. Iſta. "Extenditurque creatio, & *ad intra* in Deo, & *ad extra* in creaturis. Ad intra. Sapientia primogenità ante omnem creaturam Eccli: 24. de ſe loquitur. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum.* Et cum 70. Interpretibus Prouerb. 8. *Dominus creauit me principium viarum ſuarum.*" Ex iſtis nunc lectis conſtat meam concluſionem eſſe. *Creationem ſcripturalem extendi ad intra in Deo:* probationem concluſionis eſſe per duas ſcripturas de ſapientia diuina genita, quæ in Eccl. dicitur creata abſolutè, & de ſecundo adiacente: in Prouerb. 8. dicitur creata cum addito. *Creata ſum principium*, & de tertio adiacente. Quia vero nihil exiſtens in Deo ad intra poteſt eſſe nihil, aut ex nihilo, cum Deus ſit neceſſe eſſe: ſequitur, quod ſapientia creata in Deo ad intra, non eſt creata ex nihilo, ſed ex aliquo. Item quia nihil, quod ſit in Deo ad intra, poteſt eſſe factum; ſed tamen aliquid poteſt eſſe productum, ideò ſapientia genita, quę Deus eſt, dum dicitur eſſe creata, non poteſt dici eſſe facta de nihilo, ſed ſolum poteſt dici producta ex aliquo. Habes meam concluſionem, habes probationem.

Licetus errat in concluſione. Fingit enim hanc eſſe concluſionem. *Filius Dei dicitur creatus Theologicè.* Errat in probatione, quia duas iſtas authoritates, quæ probant dari creationem ad intra, contorquet præter meam intentionem ad probandum, quòd Filius ſit creatus. Callidè igitur mutilauit verba præcedentia, ne poſſet intelligi à lectore mea concluſio intenta; ne poſſet intelligi intentio probationis meæ.

Conſidera inſuper quæ ſubiuncta ſunt, quaſi nouo principio facto in particula cauſali ſic. *Quoniam filius Dei non ex nihilo.* Vbi pono enthymema probans creationem Theologicè ſumptam in genere, applicari poſſe ad Filium Dei; vt ſcilicet poſt probatam concluſionem de vna ſpecie creationis ſcripturalis, nempè *creationis ad intra*: & ante probationem alterius ſpeciei, videlicet *creationis ad extra*: in medio creationem in communi applicarem ad Filium. Licetus ad peruertendum ordinem cum ſecunda probatione ex Prouerb. 8. coniungit concluſionem enthymematis, quæ à me nullo modo eſt coniuncta, videtur ne ſatis callidus?

Bald. Hoc nihil officit tuæ intentioni, quia per ſapientiam genitam intelligis Filium.

Matth. Officit, quia tranſuertit intentionem meæ concluſionis & probationis. Officit in re logica, quia errans in concluſione, non poteſt reſoluere concluſionem in ſua principia, ſiue ſecundum formam, ſiue ſecundum materiam. Propter hoc Licetus in ſuis rationibus

nibus formandis tot vitia commiſit, quia non benè reſoluit. Officit in re theologica, quia aliqui Patrum per ſapientiam in prouerb. creatam exponunt Spiritum ſanctum, vt expoſuit S. Irenæus lib.4. aduerſus hæreſes cap.37. ac Tertullianus contra Hermogenem. Aliqui exponunt de filio, vt S. Iuſtinus de veritate chriſtianę religionis tom.2.car.258.& S. Cyprianus lib.2.ad Quirinum contra Iudæos cap.1. Nec erat locus determinandi in breuiſſimo meo tranſcurſu. Cũ igitur poſſit textus prou.iuxta Patres bifariam intelligi in Deo *ad intra*, non debuit Licetus meo nomine determinare, quod ego non determinaui; neque debuit dicere, meam concluſionem eſſe illam, quæ verè non eſt.

Obſeruatio nonageſimaprima.

Matth. SEd quæſo, Balde, conſideremus ordinem à me ſeruatum in verbis à te relatis, quæ continentur in libro de 7. Quæſitis pag.8. & 9. & comparemus cum inordinatione à Liceto inducta ad perturbandum omnia.

Bald. Libenter: & ne fiat confuſio diſtinguamus omnia per particulas. Incipiam itaque.

1 Creatio theologicè eſt productio entis, ex aliquo principio præſuppoſito, & interno ipſi producto.

2 Extenditurque creatio, & ad intra in Deo, & ad extra in creaturis.

3 Ad intra. Sapientia primogenita ante omnem creaturam Eccleſ. 24. de ſe loquitur, Ab initio & ante ſecula creata ſum. & cum 70. interpretibus Prouerb. 7. Dominus creauit me principium viarum ſuarum; vt eſt apud Cyrillum 5. Theſauri cap. 1. & 4.

4 Quoniam filius Dei non ex nihilo, ſed ex ſubſtantia Patris præſuppoſita, & inexiſtente ipſi filio productus eſt; idcirco & dicitur creatus.

5 Ad extra Sap.11. Non enim erat impotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum de materia informi. Geneſ.5. Maſculum & fœminam creauit eos, de luto nimirum & coſta. Hebr. 9. Tabernaculum non manufactum, id eſt non huius creationis, quæ creata dicuntur, quia producta ſunt de principio præexiſtente, & inexiſtente.

6 Creatio ſcholaſticè eſt factio alicuius entis ex nihilo ſui. Genus vero creationis in hoc ſenſu eſt factio, quæ diſtinguitur in factionem ex aliquo, & factionem ex nihilo, &c.

Matth. Omnia iſta perturbat Licetus, primo loco voluit formare enthymema in 4. §. collocatum, ſed miſcuit §. primum, qui non erat miſcendus. Sed iuxta mandatum Ariſtotelis & veram formatio-

nem ſyllogiſmi in prima figura, conuerſa maioris erat aſſumenda. Vt definitio, ſeu ratio primi extremi ſit ſubiectum in maiori propoſitione, prædicatum ſit ipſum definitum; vti tonitruus per extinctionem ignis, tamquam per medium demonſtretur de nube. Sic per productum ex aliquo, tanquam per medium, *creatum* theologicè oſtendatur de Filio.

2 Quia ad probandam definitionem in 1.§. poſitam, diſtinxi. Creationem in duas quaſi ſpecies, ſcilicet ad intra, & ad extra, & in 3. §. probaui creationem ad intra per ſcripturas. Licetus accepit §. 5. & ſcripturas 3.4. & 5. ad probandam definitionem in 1.§. poſitam; in qua re duo errata ſunt, primum eſt ſupprimere 3.§. Secundum eſt exprimere §. In quo agitur de creatione ad extra. Hoc fecit ad malum finem, vt definitionem creationis in communi coarctaret, quaſi ex mea ſententia ad creationem ad extra. Minorem propoſitionem autem faceret de productione ad intra, & conſequenter me æquiuocationis accuſaret.

3 Quintam authoritatem de tabernaculo non manufacto; quæ nullam habet conuenientiam cum filio Dei voluit coniungere cum §.4. vt me reprehenderet, quod in vna propoſitione ſit ſermo de productione ad intra in alia ad extra. Dixi autem nullam conuenientiam, quoad ordinem meæ ſcriptionis; nam quidquid dicat Licetus, ſubſtantia rerum artificioſarum, & verbum conueniunt in ratione producti, vel procedentis in communi.

4 Secundam authoritatem in §.3. ponit tertio loco vt non habeat connexionem cum prima authoritate, nec intelligatur eſſe ad probandam creationem ad intra, & connectit eam cum 4.§. cum quo non eſt connexa.

5 Authoritatem primam vltimo loco ſtatuit, vt in mente Liceti nullus ordo, ſed perpetua confuſio ſit ad mentes lectorum confundendas.

Bald. Non poſſum negare experientiam, totum ordinem à te ſeruatum perturbauit. Sed audiamus reliqua.

Obſeruatio nonageſimaſecunda.

Bald. Pag. 30. lin. 14. « Quam quidem rationem ex allato Prouerb. loco non aliter, quam olim Arius format opinio noua. Dei filius nomine ſapientiæ vocatus à Salomone ſic in prouerbijs introducitur de ſemetipſo loquens: Dominus creauit me principium viarum ſuarum, vt vertunt 70. & Cyrillus.

Ergo filius Dei ad intra verè, ac theologicè creatus eſt.

Matth. Primo falſiſſimè de me dicit, quòd formauerim rationem talem cum Ario.

2 Falsò dicit meo nomine *Cyrillus vertit*.
3 Iudaiſmus Liceti patefactus eſt. Attribuit enim Ario iſtam concluſionem *filius Dei ad intra verè, ac theologicè creatus eſt*. Hæc tria examinanda, ſunt.

Incipiamus à tertio, quia maioris eſt dignitatis.

Catholici dicunt, filium Dei eſſe productum ad intra: & vocem creauit intelligunt de Patre, qui creauit & de Filio, qui creatus eſt. Vocem verò *creauit* exponunt S. Euariſtus Papa *per genuit*, & per conſequens *produxit*. S. Dionyſius Papa per *præfecit*. Velle infamare ſenſum catholicum tanquam concluſionem Arij ideò fit, vt *Chriſtiani decepti negent filium eſſe productum ad intra* & affirment, eſſe rem productum ad extra. In qua re duæ ſunt propoſitiones, Liceti; vna. In diuinis ad intra non eſt Filius, neque Spiritus ſanctus: quia nihil productum eſt ad intra, imò dicere aliquid eſſe productum ad intra eſt hæreſis Arij. Quare ex Liceto S. Thomas 1.p.q.27.art.1. & q.28. art.4. S. Bonauentura 1.d.19. num.19. & 20. S. Cyrillus Alex. lib.9. in Ioan. cap.38. & 12. Theſauri cap.15. ſunt Ariani. Tenent enim proceſſionem filij eſſe verè, & propriè proceſſionem ad intra. Secunda propoſitio Liceti. Filius Dei eſt creatus ad extra; qui enim negat Filium eſſe productum in Deo ad intra, neceſſario debet concedere eſſe productum ad extra, quæ propoſitio verè eſt Ariana, & Iudaica, aſſerens, quòd Filius Dei non ſit Deus, ſed aliquid extra eſsentiam Dei. Hanc autem eſse Arianorum propoſitionem, ſupra probatum *eſt*. *obſer.* 60

Obſeruatio nonageſimatertia.

Matth. SEcundo loco attribuit mihi, vt vertunt 70. & Cyrillus. Quod 70. verterint, eſt verum. Quod Cyrillus, non eſt verum, ſed Cyrillus explicator diuinæ ſcripturæ eximius vſus eſt verſione 70. Interpretum locis citatis.

Bald. Caue tibi. Nam in pag.31. Scribit Termaximus." Nec ommittenda falſa citatio verſionis 70. qui non verterunt *creauit*, ſed condidit, vt infra latius oſtendetur." (Sic reprehendit in pag.40. lin.3. pag.171. lin.19.) Citat in margine cap.19. Sed in cap.20. car.188. Iterum damnat te falſæ citationis ſcribens.

"Sed ommittens vertiſse 70. ſecus, Dominus condidit me initium viarum ſuarum in opera ſua, vt habet editio Veneta Pinelli ſub anno 1609. per Fr. Fortunatum Fanenſem: & Vulgata legat. Dominus poſsedit me in initio viarum ſuarum. Et Pagninus ex hebræo transferat, Dominus poſsedit me princ pium viæ ſuæ, quia tamen apud pleroſque ſanctos Patres aſsumitur pro ſynonymo *creauit*, & præcipuè apud ſanctum Cyrillum qui (ſecus ac ponit

opinio

opinio noua) non ſequutus verſionem 70. ſecus habentium, ſed ex mente propria ſecundum interpretationem Trapezuntij, non ſolum, ſed etiam Vulcanij legis, *creauit* ſua lingua ponens vocem, ἔκτισε, in iſta ſententia κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ εἰς ἔργα αὐτοῦ: quæ vertitur ab omnibus vnanimiter. *Dominus creauit me principium viarum ſuarum in opera ſua*, nulla prorſus habita relatione aduerſionem 70. quam aliter ſe habere vidimus: demus diſputationi verſionem LXX. habere *creauit*. „

Matth. Hæc omnia dicta ſunt ex nimia fiducia decernendi. Septuaginta duo Interpretes vetus teſtamentum tranſtulerunt ex Hæbræo in Græcum idioma; prout S. Auguſtinus teſtatur in 2. de doctrina Chriſtiana cap. 15. Sed Baronius in tom. 2. Anno Domini, 231. *à num.* 10. copioſiſſimè, & grauiſſimis authoribus hiſtoriam iſtius tranſlationis narrat. Illa tranſlatione vſi ſunt Apoſtoli teſte D. Irenæo lib. 2. cap. 2. in quem locum legatur doctiſſimus Feuardentius eadem verſione 70. Interpretum ſemper vſa eſt, hodieque vtitur Eccleſia Græca; & Eccleſia latina vſa eſt vſque ad nouam tranſlationem Hieronymi: imò & poſterius, iuxta D. Gregor. in fine decretoriæ Moralium. Igitur 72. Interpretes neque ſcripſerunt vocem *condidit*, neque *creauit*, quæ voces latinæ ſunt: ſed ſcripſerunt Græcè κύριος ἔκτισέ με. Legat Licetus, ſi vult, Biblia ſacra Græcè, & videbit. *Condidit* autem vel *creauit* Interpretes latini poſuerunt, prout melius eis eſt viſum. Sed Sanctus Hilarius in libro de Synodis ad Canon. 5. transfert: ſi quis *condidit* vel *creauit*, duabus vocibus latinis vni voci græcæ redditis. Fuit autem Hilarius Cyrillo antiquior. Athanaſius quoque de decretis Nicenis legebat ἔκτισε & S. Dionyſius Papa cum Concilio Romano ἔκτισε legebat, vt patet ex decreto citato ab Athanaſio de decretis Nicenis. Origenes quoque lib. 1. de principijs cap. 2. & eius præceptor Clemens Alex. in oratione adhortatoria ad gentes pag 68. ἔκτισε legebant: non à Cyrillo, pluribus centurijs annorum poſteriore, ſed ab Septuaginta Interpretibus, à quibus & S. Iuſtinus & S. Ignatius, & ipſi Apoſtoli legebant ἔκτισε. Quid ergo venerit in mentem Liceti, vt Cyrillum authorem illius verſionis faceret, neſcio. explicare ſcripturam. Cyrilli fuit: vertere ex Hebræo in Græcum Cyrilli opus non fuit. Lege hiſtoriam de Cyrillo in apparatu Poſſeuini.

Hiſtoria 70 Legatur in Iacob. Gordon. controver. lib. 1 cap. 11. Bellarm. de verbo Dei c. 6. col. 79. Bellar. li. 1 de X[illegible]o c. 18. ex 70. citat Salazar in 8 Prouerb. verſ. 2[illegible]. ex 70. Bonart. in Eccli. cap. [illegible] ex 70 Lap[illegible] in prouer 8 ex 70 Feuarden in [illegible] Iren li. 4 c 32 car. 374 ex 70 S Iren. lib ~~[illegible]~~ 4. cap. legit ~~[illegible]~~ ecclise ~~[illegible]~~

Cornelius à lapide in caput 8. Prouerb. tribuit ſeptuaginta Interpretibus hanc lectionem. Sed ex carta 177. col. 2. A. reſcribo verſiones dicti, *Dominus poſſedit me*.

1 „Sic & Kald. Dominus, inquit, Beraani, ideſt creauit me.

2 Et Septuag. Dominus ἔκτισε ideſt condidit, vel creauit me initium viarum ſuarum in opera ſua.

3 Syrus, Dominus creauit me in principio creaturarum ſuarum.

Ii 2 4 Ara-

4 Arabicus, Dominus creauit me in principio viarum ſuarum in operibus ſuis, hactenus Lapidius.„

Ex comparatione iſtarum verſionum apparet antiquum textum Salomonis habuiſſe *Dominus creauit*, ideſt chonani per Caph. Non Chanani per Choph. Quare,& legendum fuiſſe *creauit* cum ſeptuaginta, & Chald. qui Chriſtum preceſſere & cum Syro, atque Arabico interprete. In Biblijs græco latinis, p.2. Baſileæ 1550. pagin. 1014. latinè eſt Dominus condidit me. Græcè κύριος ἔκτισέ με.

Obſeruatio nonageſimaquarta.

Matth. TAndem ad primum redeamus. Aſſerit Licetus me formauiſſe rationem cum Ario communem. Qua in re neceſſe eſt conſiderare, & verba mea, per Licetum citata, & rationem formatam à Liceto, vt ex comparatione horum falſitas Liceti conſtet. Citat verba mea ex libro Defenſionis pag. 34.

„Et cum 70. Interpretibus Prouerb.8. Dominus creauit me principium viarum ſuarum, vt eſt apud S. Cyrillum 5. Theſauri c.1.& 4. Quoniam Filius Dei non ex nihilo, ſed ex ſubſtantia Dei Patris preſuppoſita, & inexiſtente ipſi Filio productus eſt: idcircò, & dicitur creatus. „

Iſta concluſio, Filius Dei dicitur creatus, ideſt productus ex aliquo, probata eſt in 4. particula, & incipit probatio in coniunctione rationali, ſeu cauſali: *quoniam Filius Dei, &c.*

Bald. Cur potius principium facis in particula cauſali, quàm in §.3. præcedente?

Matth. Tanta eſt diſtinctio illius particulæ, *quoniam*, vt Ariſtoteli ſufficiat ad incipiendum nouum librum, vt 1. phyſ. *Quoniam cognoſcere, aut ſcire contingit: &c.* Sed videamus formationem à Liceto conſtructam meo nomine.

„Dei Filius in Prouerb. introducitur de ſemetipſo loquens, Dominus creauit me principium viarum ſuarum.

Ergo Filius Dei ad intra verè, ac theologicè creatus eſt.

Aduertis, Balde, ſaltum? Incipit antecedens in authoritate *Dominus creauit me.* Saltat totum argumentum meum, & accipit concluſionem ſolam, *Filius dicitur creatus*. Concluſionem, quæ ſequitur ex immediato antecedente contento ex §.4. voluit coniungere cum authoritate §.3. In quo prima fraus fuit, mutilare primam partem §.3. In qua innoteſcit intentio mea probandi *creationem ad intra* per authoritatem Prouerb.8. Sed nihil ibi de filio. Secunda fraus totum intermedium argumenti ſaltare, vt concluſio argumenti videretur coniuncta cum authoritate Prouerb. Accedit tertia fraus, qua concluſionem meam vitiat, addendo particu-

lam *ad intra:* quæ neque in meo argumento, neque in concluſione adeſt.

Clariſſimè in confutatione, quam ſcriptam dedi Liceto (quæ ab eo perperam inſcripta eſt *ſecunda Apologia*) ſcripſi, hanc authoritatem. Illa confutatio non poteſt à me variari; eſt enim ſubſcripta ſex Theologorum atteſtatione. Ego ad refutandam calumniam Liceti de hoc argumento reſcribo ſequentia.

"S. Donyſius Epiſcopus Romanus, referente S. Athanaſio de decretis Nicenæ fidei, in 1. tomo Athanaſij ex editione Pariſienſi anno 1627. ad pag. 276. "Cognòſcentes, quæ abſurditates naſcantur ex eo, ſi Filius opus aliquod, & factitium quiddam nominetur, quas minimè videntur animaduertere, qui hac opinione ducuntur, ac proptérea certo quoddam modo à veritate aberrant, qui aliter accipiunt has voces: *Dominus creauit me in initio viarum ſuarum,* quàm ſacræ, & propheticæ ſcripturæ intelligant. Non enim ſimplex eſt, & vna ſignificatio, vt ſcitis huius verbi ἔκτισε. Hic enim ἔκτισε intelligendum non pro fecit, ſed præfecit operibus ſuis, ſed tamen per Filium conficiendis. Neutiquam enim illud ἔκτισε, ita accipias tanquam ſi dixiſset *fecit* me. Differunt enim facere, & ἔκτισε. Hinc illud. Nonnè ipſe hic Pater tuus poſſedit te, & fecit te, & creauit te."

In qua Summi Pontificis authoritate tria obſeruanda ſunt. Primum, quòd facere diſtinguitur ab ipſo creare, vt Sanctus Auguſtinus quoque dixit, aſſignando propria ſignificata iſtarum vocum. Secundum, quod Verbum non dicitur factum, vel factitium, ſed tamen dicitur creatum, vt Verbum ἔκτισε ſignificat *creauit* quia præfectus eſt operibus Dei faciendis, ſicuti quando magiſtratus creantur, operibus Reipub. præficiuntur. Tertium, quod ſi à verbo *creauit* auferas Verbum *fecit*. Iam Pontifex concedit verbum *creauit* de Filio Dei."

Manifeſtum eſt me non concluſiſſe Dominus creauit me principium ergo *creauit* abſolutè, ſed dixiſse ergo *præfecit operibus:* Idem præſtiti afferendo locum S. Cyrilli Alexandrini, atque ex meis animaduerſionibus hauſit Licetus has impugnationes, quas nec obſeruaſset quidem.

2 Cum offenſoribus meis nulla eſt facta diſcuſsio de termino, *ad quem* creationis: nec à me, vel ab eis actum eſt de termino creationis, vel ſimpliciter, vel ſecundum quid. Sed principalis diſcuſſio eſt de principio *ex quo* videlicet, an ſolum daretur creatio *ex nihilo*, vt illi prætendebant: an danda etiam ſit creatio *ex aliquo*. Actum eſt quoque de genere creationis, quod eſt *factio* vel *productio*; ſed multò minus: quam ob rem nec feci argumentum mihi impoſitum à Liceto, nec habui occaſionem faciendi.

3 In Concilio Orientali apud Hilarium 5. Canone decretum eſt ſub ana-

anathemate, vt omnes dicerent de Filio intelligendum eſſe *Dominus creauit me. Dominus genuit me*. Sed neque in Canone, neque in expoſitione Canonis hæc ſubtilitas Liceti poſita eſt. Vnde ſicut concilium, ſic Hilarius, & Thomas, ſequaceſque eorum concedunt abſolutè Filium eſse creatum, & ſenſum ipſius dicti explicant. Sed animaduerſio circa vocem *principium viarum* ab eis non eſt ſcripta; igitur accuſatio Liceti contra me, eſt contra concilium, & Sanctos iſtos.

4 In Concilio Apoſtolorum, vt in 5. Conſtitut. Apoſtol. cap. vltimo ex iſta authoritate Dominus *creauit me principium* colligunt Apoſtoli, Chriſtum eſse Deum verbum miniſtrantem Deo, eidemque Patri in rerum omnium creatione. De creatione cum hoc addito *principium* operum, ipſi non colligunt, ſed colligunt perſonam Chriſti eſse Deum, eſse Verbum, eſse cooperatricem Patri in omnium creatione. Sed eſse Deum, & eſse verbum ſpectant ad eſse ſimpliciter ipſius perſonæ Chriſti. Itaque hæc impugnatio Licetica etiam argumentum Apoſtolorum improbat. Vt autem agnoſcant omnes Licetum vim facere, in particula *principium*, quæ vim non habet multam; recolo in concilio Orientali nullam vim fieri in iſta voce *principium* viarum, ſed abſolutè determinari, vt de filio intelligamus dicta, *Dominus creauit* me, & *Dominus genuit me*. Ita tamen vt non deprimamus vocabulum *generationis*, quaſi nihil ſignificet, niſi *creationem*. Preterea S. Dionyſius Papa cum concilio Romano legit *Dominus creauit* me *in Initio viarum* ſuarum, Vulgata legit Dominus *poſſedit me in Initio viarum ſuarum*. S. Hieronymus in epiſtola ad Cyprianum, quæ eſt 139. Verſionem græcam 72. Sic vertit Dominus creauit me *in Initio viarum*; ex hebræo vertit *Dominus poſſedit me Initium viarum*, vnde apparet poſse legi *principium*, ſiue Initium, & *in Initio*; atque hæc lectio *in Initio* videtur præferenda, tùm quia Vulgata ſic habet, tùm quia concilium Romanum ſub S. Dionyſio hanc lectionem approbauit. Vnde modicum quid lucrari poteſt Licetus ex verbo ambiguo.

Obſeruatio nonageſimaquinta.

Bald. PAg. 30. lin. 18. " Dominus creauit me principium viarum ſuarum &c. Ergo filius Dei ad intra verè ac theologicè creatus eſt." Arius quidem putabat ex nihilo; contra noua opinio ex ſubſtantia Patris præſuppoſita & inexiſtente.

Matth. Ecce tribuit Ario concluſionem iſtam. Filius Dei ad intra verè, ac theologicè creatus eſt; ſed ne faciat vim ſophyſticè in vocabulo *creatio*, pone loco nominis definitionem Tribuit Ario iſtam concluſionem, Filius Dei eſt productus ex aliquo ad intra. At iſta concluſio eſt catholica fides; quam vituperat titulo Arianæ fidei,

dei, ſcilicet vt iudaiſmum nouellum, inducat, vt ſupra in obſer.92.

Patet inſuper, quia Licetus vult mihi contradicere. & contradicit. At ego aſſero, Filium Dei eſſe productum ex aliquo, ideſt ex ſubſtantia Patris: Ergo Licetus dicens meam propoſitionem eſſe Arianam, tenet cum Iudæis negantibus in Deo ad intra aliquid eſſe productum, ſiue dicas Filium, ſiue Spiritum ſanctum, ſiue quiduis aliud.

Secundò loco in iſtis Liceti verbis obſerua, quòd ait. Arius quidem putabat *ex nihilo* ſcilicet *creatum*, contra noua opinio ex ſubſtantia Patris præſuppoſita, & inexiſtente. Conſentit in pag. 21. lin. 15. Scribens. « Ergo de ſententia Salomonis Pater creauit Filium licet Arius de alio genere creationis tractauerit ab eo, quod comminiſcitur opinio noua.« Quæ dicta Liceti in iſto loco contradicunt directè dictis in pag.18.lin.31.

Dixerat me prius ſenſiſſe cum concilio Niceno. Sequitur de me. « Eodem ferme tempore contrariam prorſus opinionem induit animo de creatione Filij Dei ad intra communicans omnino verbis cum Ario, ſtatuens verbum ad intra creatum eſſe. Ergo ſemel aſſerit me communicare omnino verbis cum Ario: ſed in pag. 30. & 31. affirmat Arium poſuiſſe creatum ex nihilo me poſuiſſe creatum eſſe filium de ſubſtantia Patris: quæ duæ creationes genere differunt. Si Ergo creatio Arij, & creatio à me allata differunt toto genere: quomodo communico omnino verbis cum Ario? Amplius ſi antea cum concilio Niceno dicebam, Filium eſſe productum de ſubſtantia Patris, ſicut & dixi in 1. Sent. diſt.5. Si etiam nunc dico in defenſione Filium eſſe productum ex ſubſtantia Patris præſuppoſita, & inexiſtente, pro vt in pag.30. veritate conuictus dixit Licetus: quomodo mea ſententia eadem exiſtens, & prius in epitome & poſterius in Defenſione Veſtigationum, eſt prorſus contraria Niceno Concilio? Licetus ſolum ſonum creationis impugnat, quod eſt alieniſſimum à demonſtratore Dialectico, & Sophyſtis propriiſſimum: nec aliud per apparentiam in me poteſt impugnare. Qua ratione etiam impugnat Patres, & Doctores in reſponſitra ad Baldum eodem ſono & voce vtentes. Sed in re Licetus eſt cõtrarius concilio Niceno, nam concilium Nicenum decreuit eſſe genitum ex ſubſtantia Patris, & Patri conſubſtantialem. Reiecit dicentes Filium eſſe de alia ſubſtantia; genitum eſſe infert productum eſſe, ſicut ſpecies infert ſuum genus. Quare Licetus dicens hanc propoſitionem, *filium dei ad intra eſſe productum de ſubſtantia Patris*, eſſe Arianam: eſt prorſus contrarius concilio Niceno in re & prorſus coniunctus cum Iudæis, Sabellianis, Arianis, qui omnes coniunguntur in iſtis duabus propoſitionibus *nihil productum eſt in Deo ad intra*, & *omne productum eſt extra Deum*.

Deni-

Denique, ex iſta confeſſione Liceti in pag. 30. & 31. quatuor differentiæ me ſeparant ab Ario. Prima, Arius dicit filium eſſe creatum ex nihilo: Ego ex aliquo. Arius, Filium eſſe de ſubſtantia alia à Patre, ego de ſubſtantia Patris. Arius, Filium eſſe ad extra creatum, Ego ad intra, quia eadem ſubſtantia eſt interna in Patre & in Filio. Quarta, quoniam Arius dicit filium eſſe factum. Ego productum. Nam creatum eſse apud Arium eſt eſse factum de nihilo, Creatum eſſe apud ſcripturam & Patres eſt eſse productum ex aliquo vt Eccli. 38. & 33. & 17.

Obſeruatio nonageſimaſexta.

Bald. SVbiungit Licetus pag. 30. lin. 22. "Sed vterque ſuæ rationis cardinem ex Prouerbijs habet hoc enthymema.

Dominus creauit Filium principium viarum ſuarum,

Ergo Dominus creauit Filium,

Vel hoc argumentum cathegoricum.

Qui Filium creauit principium viarum ſuarum, ipſe abſolutè creauit,

Sed Filius de ſemetipſo dicit, Dominus creauit me principium viarum ſuarum.

Ergo Filius à Patre verè, ac propriè creatus eſt.

Matth. Vix credam ex tyronibus logicæ aliquem, paulò vigilantiorem, tàm ineptè formaturum ſyllogiſmum.

Bald. Quam ob rem hoc dicis?

Matth. Maior extremitas erat iſta in maiore. *Ipſum abſolutè creauit*, prædicatum verò concluſionis non eſt ipſa maior extremitas, ſed prædicatum aliud. *Verè, & propriè creatus eſt*; quod prædicatum in neutra propoſitione eſt.

Medium in maiori propoſitione. *Qui filium creauit principium viarum ſuarum.* In minore pro medio termino eſt: *De ſemetipſo dicit: Dominus creauit me principium viarum ſuarum.* Non eſt vnus terminus, ſed duo termini ſunt.

Minor extremitas in minore propoſitione eſt *Filius*, in concluſione, *Filius à Patre*: rectè igitur numerando, ſyllogiſmus eſt in quinque terminis, vel potius ſex, quia *Pater* eſt in concluſione, non eſt in propoſitionibus. Syllogiſmus non eſt in figura, non eſt in modo, nec habet vllam propoſitionem vniuerſalem, eant nunc logici Iuuenes ad Licetum, ſi probè formare ſyllogiſmum volunt.

Bald. Ita format, quia non poteſt melius formare.

Matth. Non à Liceto. Verum cum illud argumentum non fecerim ſiue per enthymema, ſiue per ſyllogiſmum, non moror.

Bald. "Certe inquit Termaximus, minus onerosa videtur iſta ratio duobus antecedentibus, quòd vnicum obtineat vitium formæ, quo

paralogizans progreditur à coniugatis ad diuiſa, ſiue à ſecundum quid ad ſimpliciter: ex antecedente verò, male colligens falſam concluſionem.„

Matth. Nota iſtud antecedens enthymematis Liceti, & nota conſequens, nam durius erit nobis illius examen, dum dicit ex vero antecedente colligi concluſionem falſam. Nunc lauda peritiam logicæ in Liceto; confundit locum à coniugatis, qui eſt frequentiſſimus apud Ariſtotelem, 2. Topicorum, loco 29. 3. Top. loco. 50. 4. Top. loco 41. in 5. Top. loco 74. in 7. Top. loco 25. & 28. eſt enim probatus valdè inter dialecticos. Confundit, inquam cum loco ſophiſtico à *coniunctis ad diuiſa*, ſiuè à ſecundum quid ad ſimpliciter. Tàm eſt verſatus in logica, vt neſciat diſtinguere inter locum à coniugatis, & ſophiſma à coniunctis.

Bald. Hoc erratum eſt. Permitte, dum aſpicio, an ſit inter errata correctum.

Matth. Aſpice.

Bald. eſt error non correctus.

Matth. Non ſolum non eſt correctus, ſed eſt iteratus. Nam in cap. 20. Epiſtolæ iſtius longè diffuſiſſimè, hæc tertia ratio contra me conficta, tractatur; & eadem, quæ hic ſunt, repetuntur cum additione aliqua ſophyſmatum. Ergo in pag. 189. ſcribit, ex hoc loco deducens Arius, & opinio noua Filium Dei propriè creatum à Patre, quantum ad eſſe, paralogiſmum apertè ſtruit à *coniugatis ad diuiſa*, ſiuè à ſecundum quid ad ſimpliciter.„ Aſpicis errorem logicæ iteratum. Aſpice errorem theologiæ quoque iteratum. Etenim coniungit Arium, & me in hoc dicto. *Filium Dei propriè creatum à Patre quantum ad eſſe.* Coniungit in vocabulis *propriè creatum*. Sed Paulò ante dicebat, Arium loqui de vno genere creationis, me de alio: ergo falſum dicit in eadem proprietate vocabuli me conuenire, ſicut & falſum eſt me tale enthymema feciſſe. Talia enthymemata, vel ſyllogiſmi oriuntur ex officina logica Liceti, non mea.

Bald. Nunc tractemus de antecedente, & conſequente. Antecedens eſt. *Dominus creauit Filium principium viarum ſuarum.* Conſequens eſt. *Dominus creauit Filium.* Iudicio Termaximi antecedens eſt verum, conſequens eſt falſum, & Arianum.

Matth. Antecedens eſt verum, ſed conſequens non eſt falſum. Antecedens in ſcriptura eſt: *Dominus creauit me principium viarum ſuarum.* Conſequens in ſcriptura eſt, *Dominus creauit me*, & de eodem Filio Dei, in Eccli. 24. Ita S. Euariſtus locum Eccli. *Qui creauit me*, expoſuit, vt tu ipſe in tua epiſtola animaduertis, & in reſponſiua mea dictū eſt pag. 59. & 60. Impiè igitur Licetus iſtud conſequens. *Dominus creauit me.* Dicit eſſe cōcluſionē falſam, hæreticam, Arianā. Tunc enim ſcriptura Eccli. quam ſapientia genita profert, ſcilicet.

A *eſſet* *Qui creauit me*, falſa, hæretica, Ariana; Sed quid tacens tàm profunde cogitas.

Bald. Cogito etiam, atque etiam tua dicta. Quippè ſi Termaximus iudicat iſtam concluſionem. *Dominus creauit me*, eſſe Arij; quæ in Scriptura eſt Eccli. 24. Iam propoſitio ſcripturæ hæretica eſt. Ego verò Libentius diem obirem, quàm rem tàm nefariam aſſererem.

Matth. Si Licetus meas propoſitiones damnat, vt falſas, & Arianas: quanquam hæc ſit grauiſſima iniuria minor eſt ea, quæ ipſam propoſitionem ſacram *Qui creauit* me, damnat vt falſam, & Arianam. Propoſitio ſacræ ſcripturæ eſt concedenda à quolibet chriſtiano tanquam ſimpliciter vera, & ſimpliciter verax, ſiuè à nobis intelligatur; ſiuè ſecus.

Obſeruatio nonageſimaſeptima.

Bald. ANtecedens eſt ſacra ſcriptura iſtud ſcilicet, *Dominus creauit me principium viarum* ſuarum ex Prouerb.8. Conſequens eſt ſacra ſcriptura iſtud, *qui creauit* me Eccli.24. quorum antecedens à D.Dionyſio Papa declaratum eſt de filio Dei:conſequens declaratũ à S. Euariſto Papa. Quam ob rem vtrumque plena animi fiducia dicendũ eſt eſſe verum: præſertim cum intelligentia à Summo Pontifice declarata.

Matth. At Licetus aliter iudicat, ſicut oſtendit ſcribens pag. 31. lin.3. " Verbum factum eſt caro, Ergo verbum factum eſt. Vera eſt illa propoſitio euangeliſtæ coniungantis factum, & caro in verbo, dicentiſque, verbum caro factum eſt (*Carnem coniungentis* dicere oportuit) falſa prorſus eſt hæretici concluſio, colligentis inde per ſeparationem carnis impiam blaſphemiam, verbum factum eſt. Non aliter peccat Arius & opinio noua negligens dialecticè canones, dum ex eo, quod Salomon ait, Dominus creauit filium principium viarum ſuarum, vnanimes colligunt, Ergo de ſententia Salomonis Pater creauit filium," Vides ſimile iudicium eſſe factum à Liceto, de conſequentia, & conſequente ex euangelio, & ex prouerbijs. Vides etiam, quàm falsò ponat me vnanimem cum Ario in tali conſequentia, & conſequente. Hanc eamdem ex Euangelio rationem facit pag.189.

Bald. Optauiſſem à Termaximo iſtos logicæ canones, vt iudicare poſſem, an in iſtis ſophyſmatibus ſeruentur, nec ne.

Matth. Oſtendit Licetus, ſe diligentem in canonibus logicis, ſed verè non eſt talis. In cap.20. huius epiſtolæ format multos paralogiſmos, qui nullum format ſyllogiſmum pag.189. de Ouidio de Auguſtino pag. eadem 189. & pag.200. de verbo repetit. De Ariſtotele

tele & pag.201.de collegio theologorum. Profectò Ariſtoteles in 2. Elencorum c.3. ait " Rectam ſolutionem eſſe manifeſtationem falſi ſyllogiſmi, ob quamcunque interrogationem accidat falſum." Non ergo ſufficit dicere, eſt argumentum falſum, ſed oportet manifeſtare cauſam, propter quam eſt falſum. Iſtud enthymema, *Verbum factum eſt caro*. Ergo *verbum factum eſt*. Eſt enthymema falſum, ſicut, & alij à Liceto formati. Illud autem enthymema. *Dominus creauit me principium viarum ſuarum*, Ergo Dominus *creauit me*; quanquam non ſit à me factum, tamen, non eſt ita falſum.

Bald. Quomodo id ſciemus, cum vtrumque enthymema procedat à ſecundum quid ad ſimpliciter?

Matth. Ariſtoteles in 2. Top.cap.vlt. tractat de dicto ſimpliciter, & ſecundum quid. In quem locum legantur, ſi vacat, Albertus, Sueſſanus, Aphrodiſeus, Tataretus qui & accuratè idem agit in ſummulis tract.5. agens de toto in modo. Verumtamen Doctor Angelicus in libro de fallacijs cap.21. Clarè & reſolutè ait.

" Simpliciter dicitur, quod nullo addito dicitur, vt ſortes eſt albus, vel ſortes currit. Secundum quid autem dicitur, quod aliquo addito dicitur, vt ſortes currit benè, vel ſortes eſt albus dentes?

Hoc autem, quod additur, dupliciter ſe habet ad id, cui additur. Nam quandoque non diminuit de ratione eius, cui additur, & tunc poteſt procedi ab eo, quod ſecundum quid, ad id quod eſt ſimpliciter. Vt cum dicitur, iſte currit velociter, ergo currit. Velocitas enim nihil diminuit de ratione curſus: & eſt in prædicto argumento locus à parte in modo. Quandoque verò additum diminuit aliquid de ratione eius cui additur, vt cum dicitur Æthyops eſt albus dentem, nam hæc determinatio *dentem* diminuit aliquid de ratione eius, quod dicitur album; non enim poteſt dici albus, niſi qui vel totus albus eſt; vel ſecundum plures, & principaliores partes. Et ideò ſi concludatur, eſt albus dentem, ergo eſt albus, eſt locus ſophyſticus ſiuè fallacia ſecundũ quid & ſimpliciter.

Bald. Pulcherrima S. Doctoris regula.

Matth. Conſideremus itaque iſta duo. *Me Principium* viarum ſuarum, vtrum hoc additum *principium viarum* diminuat de ratione illius pronominis *me*. *Me* denotat perſonam Filij, quæ eſt ſapientia genita. Principium viarum in omnia opera Dei eſt omnipotentia, qua Filius formaliter eſt principium effectiuum omnium de poſſibili, & principium de facto, faciens omnia, Cælum, terram, mare, æthera, omnia componens cum Patre. Filius ergo eſt omnipotens principium, & Deus creauit ideſt, præfecit eum in ratione principij effectiui omnium. Ex conſtit. Apoſtol. lib.1. cap.vlt.

Bald. Ratio omnipotentiæ ſeu principij effectiui diminuit ne aliquid de ratione Filij Dei, an non?

Matth. Si omnipotentia diminueret de ratione Filij, aut diminueret in ratione eſſentiæ, aut in ratione perſonæ Filij.

Non diminuit de ratione eſſentiæ, quoniam nulla proprietas eſſentialis Dei diminuit de ratione eſſentiæ diuinæ. Sed omnipotentia ſeu principium effectiuum cuiuſcumque factibilis, eſt proprietas eſſentialis, & communis tribus ergo non diminuit de ratione eſſentiæ Filij.

Non diminuit de ratione perſonæ Filij, quia Filius non habet eſſentiam, aut proprietatem eſſentiæ diminutam, vel diminuentem. Sed omnipotentia eſt proprietas eſſentiæ: ergo omnipotentia non diminuit de ratione perſonæ Filij.

Denique, quod diminuit de ratione vel perſonæ, vel eſſentiæ Dei, non eſt in Deo, aut in aliqua perſona Dei. Sed omnipotentia eſt in Filio. Dicente Sancto Athanaſio. Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus ſanctus: & tamen non tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens: ergo non diminuit &c. Imò ſi eſſe principium effectiuum omnium operum Dei diminueret de ratione Filij, vel Spiritus ſancti: Nec Filius, nec Spiritus ſanctus eſſent compoſſibiles cum eſſentia Dei, vel cum eius omnipotentia. Et rurſus incidimus in Iudaiſmum, vt intra vnam Dei eſſentiam non ſint tres perſonæ.

Tunc argumentemur cum regula Ariſtotelica nobis à Diuo Thoma declarata.

Quando additum non diminuit de ratione eius cui additur: tunc poteſt procedi ab eo, quod eſt ſecundum quid ad id, quod eſt ſimpliciter.

Sed hoc additum *principium operum Dei*, non diminuit de ratione Filij, nec quo ad eſſentiam, nec quo ad perſonam. Ergo poteſt procedi ſic à ſecundum quid ad ſimpliciter, dicendo, *Dominus creauit me principium viarum ſuarum*. Ergo *Dominus creauit me*. Argumentumque eſt à toto in modo. Licetus verò iſtos canones logicos non ſciuit, aut diſſimulauit. Sed quantum video in Liceti operibus non citat ex analyticis, vel dialecticis, vel Elenchis Ariſtotelem, niſi fortè aliquid apud alios inuentum. Quoniam igitur ratio *facti* diminuit de ratione *Verbi*, & quo ad eſſentiam, & quoad perſonam: ideò non valet illud ſophyſma, Verbum factum eſt caro, ergo Verbum factum eſt.

Bald. Vera hæc mihi videntur, atque hoc pacto video diſſolui ſophyſmata illa, quæ Termaximus congeſſit in c.3. & 20. & alibi quoque.

Matth. Hæc de argumento à ſecundum quid ad ſimpliciter, nunc de argumento à coniunctis ad diuiſa dicamus; quod Licetus non vidit in Ariſtotele 2. de Interpretatione cap. 2. Et ne dicat à me textum non intelligi, Iacobum, Zabarellam Illuſtriſs. & Sanguine, & doctrinis conſulat in tabulis logicis pag. 37. à coniunctis ad diuiſa

non

non licet arguere, ſi in adiecto inſit oppoſitio, cui iuncta ſit contradictio, vt Socrates eſt homo mortuus, ergo Socrates eſt homo. Argumentum non valet, quia mortuus aufert naturalem rationem hominis. Non licet ſi alterum prædicatum prædicetur de ſubiecto per alterum appoſitum non per ſe ipſum: vt ſi Homerus eſt Poeta, ergo Homerus eſt, non valet argumentum.

Licet autem à coniunctis ad diuiſa arguere. "Si tum in adiecto non ſit contradictio, tum ambo illa prædicata per ſe prædicentur de illo ſubiecto; vt quando dicimus Petrus eſt homo albus, licet vtrumque inferre ſeparatim, quia album ineſt quidem homini, cuius determinatio quædam eſt: attamen de Petro prædicatur non ſolum per hominem, cui adiectum eſt, ſed etiam per ſe ipſum cum Petrus ſit per ſe ſubiectum illiuſmet albedinis, hæc Zabarella ſi Licetus hanc logicæ regulam calluiſſet, profectò diſtinxiſſet ſophyſmata à non ſophyſmatis. Etenim ratio principij effectiui omnium, neque Filio vt Deo, neque vt Filio repugnat, quaſi eſse *principium viarum Dei* contradictionem afferat ad eſse Filij. Rurſus ſapientia genita eſt *Filius principium omnium*, hoc totum prædicatur de ſapientia genita, & vna pars iſtius non prædicatur de ſubiecto per alteram; imò ſapientia genita eſt Filius. Sapientia genita eſt principium effectiuum omnium operum Dei. Quare à coniunctis ad diuiſa argumentum propoſitum valet. Dominus creauit me principium, ergo creauit me, propter quod nec concilium Orientale, nec Sancti Hylarius, & Thomas, nec Bellarminus, & Valentia dignati ſunt iſtas cauillationes Liceti conſiderare.

Cum autem arguitur. *Verbum factum eſt Caro*, ergo *Verbum factum eſt*, argumentum non valet, quia *factum* attribuitur Verbo præciſè per carnem, vt indicauit S. Paulus ad Rom. 1. "*De Filio ſuo, qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum Carnem*. Si autem quis tribuat Verbo rationem *facti* per ſe, contradictionem in adiecto ponit. Qui enim eſt factor omnium & eſt antequam Deus quicquam faceret, non poteſt eſse factum.

Bald. Aſſentior, atque, vt coniector, non peccauit Arius inferens. *Deus creauit Filium principium*, ergo *Deus creauit Filium*. Sed peccauit in falſa intelligentia vocis *creauit*. Per *creauit* intelligebat *fecit ex nihilo*, & Filium Dei factum ex nihilo, pertinax aſserebat. Quæ intelligentia fuerat à concilio Romano ante paucos annos damnata in Sabellio. Nam in illa ſcriptura *creauit* non eſt *fecit*. Si autem non eſt *fecit*, neque eſt *fecit ex aliquo*, neque *fecit ex nihilo*. Vnum eſt, in quo tu cum Ario conuenis, ſcilicet in iſta ſcriptura, Dominus creauit me principium viarum ſuarum.

Matth. Imò Arius conuenit cum quouis catholico in prolatione illius ſcripturæ. Ceterum propter abuſum hæretici vſum ſcripturæ dimittere non debet catholicus doctor. Sicut neque Chriſtianitas

reijcit

reijcit Pſal.90. propter abuſum Diaboli tentantis Chriſtum Marci 1. & Matth.4. Sed catholicus Doctor debet attentiſſimè cognoſcere falſam hæretici intelligentiam, vt eam reprobet: & veram catholicæ Eccleſiæ intelligentiam vt eam approbet, ac defendat. Taliſque eſt intelligentia vocabuli *creauit*, dùm attribuitur ſapientiæ genitæ, vt ſignificet vel *genuit*, vel *præfecit* vel quod eſt iſtis commune (ex Aug. 1. contra Aduerſ. leg. cap. 23.) *produxit*, ſeu conſtituit actiuè.

Bald. Ad res in hac obſeruatione diſcuſſas ſpectant, quæ in capite 20. exarantur à Termaximo. Legam igitur ex pag. 183. lin. 9. quæ dixit Promptuarium omnium ſcientiarum: Neque ſolidius eſt iam dirutis &c.

Leggi il reſto à car. 583. 584. 585. e dopoi ſi ſeguiti l'obſeruatione 98.

Obſeruatio nonageſima octaua.

Bald. Lectio ſuccedat in pag. 31. lin. 17. " Illud enim principium viarum Dei attributum eſt contra diſtinctum à ſimplici natura Filij, ac illi iam genito conceſſum à Patre, vti infra cum Cyrillo latius oſtendemus.

Matth. Attende vigilantius. Licetus in Filio Dei ponit duas productiones paſſiuas, vnam, quæ eſt generatio, & eſt à Patre vt Patre, alteram, quæ eſt creatio, & eſt à Patre vt Domino, & creatore. Per primam communicatur Filio eſſe eſſentiæ, ſiuè naturæ; per ſecundam Filio iam genito, communicatur potentia creatiua, & principium factiuum omnium: & per hanc Filius eſt creatus principium viarum Dei: Inſuper generationem Filij diſtinguit in duas functiones quæ ſunt verbi conceptio, & verbi partus: ex quibus conſtat generatio. Sic in pag. 193. lin. 24. "Vt in eodem æternitatis momento pater erga Filium tres ediderit functiones formaliter diſtinctas, & ab inuicem ſubordinatas: nam via originis Pater in æternitatis inſtanti Filium primo concepit, ſemetipſum comprehendens. Deinde comprehenſionem ſui terminans, ipſum velut ex vtero genuit, ac peperit, vnigenitum, atque primogenitum. Deinceps iam productum conſtituit, condidit, creauitque, ſi placet. Creatorem vna ſecum rerum omnium; Hanc diſtinctionem generationis & creationis, quàm clamosè, quàm verbosè frequentiſſimè repetat, dicere non poſſum. Tantùm adijciam duo, quantum ad diſtinctionem; nam in pag. 116. lin. 29. ait generationem differre à creatione Filij ratione à parte rei, realique formalitate, pag. 106. Liceti. In pag. 160. lin. 31. Scribit, quòd Generatio Filij contra diſtinguitur eſſentialiter ab eius creatione.

Bald. Hanc ſententiam Termaximi probabilem facit vocabulum *Dominus* "

nus « Quia generatio Filij non eſt operatio Dominij, ſed naturæ non functio voluntatis imperantis, at actio naturalis intellectus verbum ſibi ſimile producentis. Dum tamen verbo iam genito ab æterno, tribuit poteſtatem omnem ſpeciatimque, propterea condendi creaturas omnes, ipſum ſecus conſtituens creatorem ſimul, & conditorem omnium, communicans eidem virtutem dominij, hoc agit vt Dominus, condominum ſibi condens, conſtituens, atque creans. Igitur ſeptuaginta rectè aiunt, Dominus condidit me, quia creatio eſt operatio Dominij, ac poteſtatis creatoris ſupra creaturam. »

Matth. Hæc ratio habet apparentiam, non exiſtentiam. Apparentiam habet apud eos, qui non legunt textum hæbraicum, neque cognoſcunt conſuetudinem hebræorum. Igitur in hebræo textu adeſt nomen quadrilitterum Dei יהוה. Hoc nomen hebræi nunquam proferunt, ſed loco illius dicunt *Adonai*, quod græcè vertitur κύριος, latinè *Dominus*. Quam conſuetudinem ſeruarunt ſeptuaginta viri ſeruauit Hieronymus ex Bellarmino de rudimentis hebraicis ad pag. 184. Idemque docet hoc nomine Dei magno & proprio ſignificari ipſum eſſe diuinum, vt fontem eſſendi. Pater autem eſt fons totius diuinitatis, de quo procedunt Filius vt fons de fonte, & Spiritus Sanctus de ambobus vt de vno fonte. Iſta igitur apparentia diſtinguendi Patrem in ratione Domini, & in ratione Patris ſuper falsò fundata eſt; nam in originali ſcriptura non eſt nomen *Dominus*: ſed nomen illud admirabile ſacratum, & ſecretum ſignificans reſpectu Filij productionem naturalem Filij, per quam productionem communicatur Filio eſſentia, & omnis proprietas eſſentialis.

Bald. Gaudeo me hanc rem didiciſſe. Sunt enim quidam, qui in voce *Dominus* vim faciunt: cum ex hac animaduerſione nulla ſit vis.

Matth. In hac tamen oppoſitione tua, dum ponitur prius eſſe genitum verbum. Poſterius eſſe cteatum in creatorem: indicat Licetus generationem Filij eſse operationem naturæ: ſed creationem Filij eſſe operationem Dominij, & voluntatis, ac poteſtatis. Cum ad eſse Filij & eorum omnium, quæ in Filio ad intra ſunt, natura concurrat in ratione principij elicitiui, & communicatiui, non voluntas.

Bald. Quomodo poteſt Filius habere omnes proprietates eſsentiales, & eſsentiam per generationem: cum iam genitus Filius recipiat omnipotentiam, non vt à genitore, ſed vt à creatore?

Matth. Hæc doctrina Liceti pugnat cum Sanctis Auguſtino, Cyrillo, Hilario imò & cum Sanctis Patribus ſcholaſticis.

Auguſtino, quidem, tom. 6. car. 235. col. 4. A. Ideſt lib. 3. contra Maximinum cap. 12. Maximinus, vt probet Filium. Patre minorem, arguit.

Sed

Sed potentiam Pater à nemine, Filius verò accepit à Patre.

Reſpondet Auguſtinus. "Fatemur & nos Filium ab illo accepiſſe potentiam, de quo natus eſt potens. Patri verò potentiam nullus dedit, quia nullus eum genuit, gignendo enim dedit potentiam Pater Filio, ſicut omnia, quæ habet in ſubſtantia ſua, gignendo dedit ei, quem genuit de ſubſtantia ſua." Audis Balde S. Auguſtinum dicentem Pater dedit gignendo potentiam Filio, ſicut omnia, quæ habet Pater in ſua ſubſtantia, gignendo dedit. Licetus non gignendo, ſed creando dedit potentiam Filio inclamat.

Pergit Auguſtinus ibidem.

"Sed quæritur, vtrum tanta, quanta ipſi eſt, potentiam Pater Filio dederit, an minorem? Si tantam non ſolum potentem potens, verùm etiam omnipotentem genuiſse dicatur credatur, & intelligatur omnipotens. Si minorem quomodo omnia, quæ habet Pater, Filij ſunt &c.

Auguſtinus etiam in eodem lib. 3. contra Maximinum pag. 237. in fine ad F. in cap. 14. obiectionem Maximini proponit.

"Sed vitam Filius, inquis, accepit à Patre.

Reſpondet Auguſtinus "Accepit, ſicut genitus à gignente; omnia inquit, quæ habet Pater, mea ſunt. Omnia ergo quæ habet Pater, dedit ille gignendo, accepit iſte naſcendo.

Nec dando ille amiſit, quod habuit: nec iſte cum eſſet, & non haberet, accepit. Sed ſicut ille permanſit habens omnia cum ea quæ habet, Filio dederit omnia: ſic iſte nunquam fuit ſine omnibus, quæ non egendo, ſed naſcendo accepit, vt Filius; qui nunquam potuit eſſe non natus, & ea ſine quibus non eſt natus, & eſt immutabilis natus ſemper habuit: quia ſemper eſt natus. Si enim aliquid eorum, quæ habet Pater, non dedit Filio falſum eſt, quod ait Filius. Omnia, quæ habet Pater, mea ſunt. Sed quia quod dixit Filius, verum eſt: prorſus omnia, quæ habet Pater dedit, vt diximus, ille gignendo, accepit iſte naſcendo."

Adde minorem, Sed Pater habet omnipotentiam creatiuam ſiuè principium effectiuum omnium operum Dei ergo Pater gignendo dedit, Filius naſcendo accepit omnipotentiam creatiuam & principium effectiuum. Atque ſi Auguſtinus voluiſſet ſcribere contra Licetum, non potuiſset Clarius confutare illam creationem formalitate reali diſtinctam, aut diſtinctam eſsentialiter, per quam Pater dederit omnipotentiam Filio, & non per generationem.

Amplius Licetus ponit prius Filium eſse genitum, & in illo ſigno originis habere eſse eſsentiæ: non eſse exiſtentiæ, non omnipotentiam creatiuam; at hoc Auguſtinus confutat, quia Filius, non egendo, ſed naſcendo accepit omnia. Subdit Auguſtinus " Quidquid eum dicis à Patre accepiſse fatemur & nos prorſus: Pater dedit, Filius accepit. Sed cum Pater omnia, quæ habet gignendo

dede-

dederit, æqualem vtique genuit, quoniam nihil minus dedit.„Si verò Pater gignendo non dediſset Filio omnipotentiam creatiuam, aliquid minus dediſset, & Filium ſibi æqualem non genuiſſet.

Vlterius Auguſtinus "Scriptum eſt quidem, beatum eſt magis dare, quàm accipere, ſed in hac vita, vbi eſt inopia: qua vtique melior eſt copia. Melius enim eſt habere, quàm egere: & melius eſt donare, quàm accipere: erogare, quàm mendicare. Vbi autem, qui dedit, gignendo dedit: & qui accepit naſcendo accepit, non inopi ſubuentum eſt, ſed ipſa copia generata eſt. Nec poteſt, qui accepit, ei, qui dedit, eſſe inæqualis, quia & hoc accepit, vt eſset æqualis. Nihil enim Patre minus habet ille, qui dicit. Omnia quæ habet Pater, mea ſunt: æqualis eſt igitur.„ Theologi verò in 1. d. 19. & 20. Aequalitatem inter Filium, & Patrem conſtituunt in tribus, magnitudine, æternitate, poteſtate actiua. Legatur Scotus mirabili ſubtilitate hoc tractans in quolibeto 6. Si autem Pater gignendo non dat potentiam effectiuam: iam non generat æqualem, cui per generationem non communicat fundamentum æqualitatis.

Auguſtinus Item in eodem lib. 3. pag. 238. alloquens Maximinum ſcribit. "Quia ſi ex hac poteſtate à Patre accepta, minorem Patre Filium vis probare, nec nos dubitamus, quod inquantum homo eſt Chriſtus, minor eſt Patre. ſi autem, vt Deum vis accepiſſe hanc poteſtatem, gignendo eum Pater æqualem ſibi, dedit ei omnium rerum tantam, quanta ipſi Patri eſt, poteſtatem. Si enim minus habet in poteſtate aliquid, quàm Pater, non ſunt eius omnia, quæ habet Pater &c. Præceptum quoque aut, vt homo accepit, aut vt Deus. Si vt homo, nulla quæſtio eſt: quia vt homo, eſt Patre minor. Si vt Deus, non hinc oſtenditur minor, quia naſcendo id accepit, non indigendo; in verbo enim vnico Dei omnia præcepta ſunt Dei, quæ *ille gignens dedit naſcenti non cum genuiſſet, addidit indigenti*, ac per hoc tantum genuit, quantus eſt ipſe, quia de ſe ipſo genuit verum Filium & perfectam genuit plenitudine diuinitatis, non perficiendam ætatis acceſſu.„ In iſtis Auguſtini dictis apparet, quod Pater Filio dedit poteſtatem gignendo, dedit præceptum, ſed acceptum à Filio naſcendo, non indigendo. Dedit plenitudinem diuinitatis perfectam, non perficiendam. Sed apud Licetum Filio iam genito, & non habenti poteſtatem creatiuam: Pater creando dedit, dedit non habenti, dedit indigenti, dedit non perfectam plenitudinem, ſed perficiendam per creationem.

Denique in illo libro Auguſtinus plurima talia ſcribit; ſed car. 240. A c. 16. exponens illud Matthæi 28. Data eſt mihi omnis poteſtas. "Si enim, inquit, tanquam Deo data eſt hæc poteſtas, naſcenti eam Pater dedit non indigēti: quia gignendo dedit, non augendo„

At verò ſecundum Licetum non Pater dedit, ſed Dominus: non gignendo dedit, ſed creando: non gignendo, ſed augendo. Hactenus ex Auguſtino.

S. Cyrillus Alexand. in lib. 4. theſauri cap. 2. pag. 25. A. docet, quomodo Pater vitam dederit Filio. " Non eſt igitur poſterior Patre Filius, quia Pater ſibi vitam dedit. Non enim prius genuit, deinde vitam dedit: ſed vt coæternus Patri Filius eſt, ita & æterna vita eſt.,,

Sic dicito de principio operum ſuorum, non prius genuit, deinde principium dedit.

Et in eodem cap. Paulò ante dixerat. "Non enim Filius prius non exiſtens, nihil ex Patre habuit; deinde ex eo aliquid accepit: ſed naturaliter natus ex Patre, omnia naſcendo, quæ Patri naturalia ſunt, naturaliter conſequitur.,, Omnipotentia verò eſt proprietas naturalis naturæ diuinæ, & inter omnia naturalia connumeranda. Sic arguo. Omnia naſcendo, quæ Patri naturalia ſunt, Filius naturaliter conſequitur, ſed omnipotentia eſt Patri naturalis, ergo omnipotentiam Filius naſcendo conſequitur. Cyrillus inſuper 11. in Ioan. cap. 18. car. 301. "Genuit, inquit enim, non in tempore creatorem ſeculorum Filium conſubſtantialem ſibi, ac coæternum.,, Cyrillus inquit, *genuit Creatorem*, Licetus non genuit, ſed creauit creatorem.

Magiſter ſententiarum 1. d. 5. refert S. Hylarium 4. de Trinit. dicentem. "Nihil niſi natū habet Filius.,, Exponit Magiſter. "Nihil habet, ſecundum quod Deus eſt, niſi quod naſcendo accepit.,, Eamdem doctrinam S. Thomas in 1. d. 5. in expoſitione textus tenet: eamdem S. Bonauent. 1. d. 5. dub. 5. & in 3. d. 8. q. 1. num. 4. S. Bon. 1. d. 18. n. 3. "Omnia, quę tribuuntur Filio, per natiuitatem habet.,, Porrò Licetus aliquid ponit in Filio acceptum non naſcendo, & à Patre datum non gignendo. S. Hilar. 7. de Trinit. pag. 36. H. "Omne enim in ſe Filius Dei habet naſcendo, quod Dei eſt: & idcirco opus Filij, opus Patris eſt. Quia natiuitas, nec extra naturam eſt, ex qua manat, & naturam etiam in ſe habet vnde ſubſiſtit.,,

Poſtremò Concilium Florentinum in litteris ſanctæ vnionis tom. 4. Conciliorum car. 892. col. 2. ait. " Et quoniam omnia, quæ Patris ſunt, ipſe Pater vnigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem; hoc ipſum, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter genitus eſt.,, Omnia Pater gignendo dedit Filio, & vt dedit vim ſpiratiuam, ſic dedit omnipotentiam effectiuam. Filio ergo vtranque dedit gignendo. Si quis *autem* attendat Licetum profitentem Patres omnes, concilia omnia: crederet Licetum nil niſi concilia, & Patres ſpirare. Non ſpirat, ſed tamquam nouellus Deus Moyſes à ſe conſtitutus, non à Deo, inſpirat Patribus orthodoxis, & concilijs vt ſuis Aro-

Ita Aug. 3. contra Maxim. cap. 5.

nibus

nibus propria dogmata; eos docens, non ab eis diſcens. Deus enim docet prophetas, non diſcit à prophetis ſuis.

Obſeruatio nonageſimanona.

Matth. SI Licetus, ſicuti concedit Filium dici creatum, & genitum, ita concederet in abſtracto, generationem Filij eſſe creationem, & è contra (propoſitio particularis ſimpliciter conuertitur) non diſcordaret à Patribus: ſed ſicut Pater omnia Filio dat gignendo, ita diceret, dat creando, nam eadem numero productio Filij eſt generatio, & eſt creatio, quare per ſyllogiſmum expoſitorium, creatio eſt generatio & è contra; Sed Patres, & Concilia affirmant, quòd Pater gignendo dedit Filio omnia, quæ habet Pater; Licetus negat, non dedit, ait, gignendo dominium, non dedit gignendo potentiam creatiuam, & in hoc Patribus contradicit & concilio citato. Iurgatur contra me, quia in Filio iſta confundo; cum non confundo, ſed diſtinguo ratione, non reali diſtinctione, vel eſsentiali, vt Licetus diſtinguit.

Bald. Curtu melius, quàm Licetus, qui ponit diſtinctionem eſsentialem inter generationem Filij, & creationem Filij in creatorem?

Matth. Si Licetus, præter vociferationes attuliſset rationes, ad eas reſponderem. At non poteſt eſse à ſe diuerſus. Multa dicit, ſed nihil probat.

Bald. Qua ratione tu illum improbes?

Matth. Quæ diſtinguntur eſsentialiter, habent diuerſas eſsentias, vel ſunt diuerſæ eſsentiæ. Si ergo Filius habet in ſe duas productiones paſſiuas, generationem, & creationem, eſsentialiter diuerſas, & has ab æterno habet, ergo Filius ab æterno habet in ſe duas eſſentias, quod eſt hæreticum.

2 Quod diſtinguitur eſſentialiter à Deo, non eſt eſſentialiter Deus. Nec enim poteſt eſſe aliquid idem, & diſtinctum ab aliquo eodem modo diſtinctionis. Sed creatio Filij paſſiua, qua filius eſt creatus in eſſe creatoris & omnipotentis, diſtinguitur eſsentialiter à Deo iuxta Licetum. Ergo non eſt Deus.

Tunc vltra. Cuius conſtitutiuum in aliquo eſſe, non eſt Deus: ipſum conſtitutum non eſt Deus. Sed creatio paſſiua Filij, quà Filius conſtituitur in eſſe creatoris creati, non eſt Deus; igitur Filius Dei non eſt Deus, quæ eſt concluſio nouelli iudaiſmi. Minor principalis probatur: generatio filij eſt idem eſſentialiter cum Deo, & eſt eſſentialiter Deus; atqui creatio paſſiua Filij per Licetum diſtinguitur eſſentialiter à generatione. Ergo creatio paſſiua Filij non eſt Deus eſſentialiter.

3 Omne creatum creatione diſtincta eſſentialiter à generatione Filij, & ſpiratione Spiritus ſancti, eſt res ad extra & non intra Deum.

lem Liceti ſapientiam communicantur Filio per creationem.

Denique tot erunt fingendæ productiones Filij, quot ſunt prædicata eſſentialia. Probatur conſequentia, nam ſi generatione Filius accipit eſſe eſſentiæ, non eſſe Omnipotentis, vel Domini, vel Creatoris, vel eſſe exiſtentiæ. Sed ad hæc habenda requiritur alia productio eſſentialiter diſtincta, ſimili ratione ad accipiendam ſapientiam, amorem, iuſtitiam, beatitudinem, æternitatem, aliæ ſpeciales productiones erunt fingendæ.

Bald. Scotus ſolet eſſe liberalior cæteris Theologis, (ſed liberalior cum ratione) in ponendis diſtinctionibus formalibus ex natura rei in Deo. Qui tamen, prout in reſponſiua ad me ſcriptum eſt, in quolibet.4. N. nullam omninò ponit diſtinctionem à parte rei ante omnem actum intellectus in origine Filij, ſed eam ponit omninò vnicam. Diſtinguantur ergo in productione Filij generatio, & creatio ratione tantùm, non eſſentialiter, aut formaliter.

Obſeruatio centeſima.

Bald. PVlchra interea fuit ſpeculatio Tetmaximi concedentis, Filium dici creatum, & generatum; nec tamen generationem Filij eſſe creationem: Diuus enim Thomas dixit concretum, non abſtractum.

Matth. Non ex ingenio Liceti prodijt hæc obſeruatio, ſed ab admodum Reu. Patre Franciſco Maria Andreino Veneto ex ordine Prædicatorum, qui in mea confutatione ſcripta, Aſteriſmo, notauit locum, in quo dicebam, generationem eſſe creationem in Filio, mihique benignè id dixit, & alijs quoque. Ita & per annotationem in meo ſcripto, & per aliorum delationem hæc res venit in mentem Liceto. Laudaui animaduerſionem ſupradicti Patris: mutare tamen nolui, quoniam perfectiones, diſperſæ in Inferioribus, in Deo vniuntur, exceptis oppoſitis relatiuis. Præterea quoniam Bannes 1. p. qu.45. art.1. dixit, quod creare idem eſt, quod generare in Filio: ſicuti S. Euariſtus olim expoſuerat creauit per genuit. Et Liranus ſuper 1. Eccli. huius ſapientiæ *creatio non eſt aliud, quàm eius generatio.* Sic, & Gregorius de Valentia tom.1. pag.581. expoſit.3. & alij plures. Productio enim Filij Dei ad intra vnica eſt omnino: ſed pluribus rebus explicatur nobis à Deo, vt generatione, creatione, fundatione, ordinatione, conceptione, partu. Quia tamen Licetus concedit, productionem Filij eſſe generationem, & creationem, iuxta modum loquendi Bellarmini, fiat ſyllogiſmus talis.

Hæc productio verbi ſignata, eſt generatio, hæc eadem productio verbi eſt creatio: ergo creatio Verbi hæc eſt generatio. Neque

ſum-

ſumma ſimplicitas diuinæ perſonæ permittit, vt illius origo ſit multiplex.

Bald. Cum generatio, & creatio paſſiua in rebus ad extra diſtinguantur: ſi aſcendimus à rebus cauſatis ad Deum, ſaltem ratione diſtinguentur creatio paſſiua, & generatio paſſiua Filij.

Matth. Non grauatè concedo. Sed tamen Licetus non ſoluit difficultatem propoſitam inter Theologos catholicos. Ariſtoteles in 2. Elencorum cap.3. docet, non eſſe bonam ſolutionem, cuius dantem oppoſitum, adhuc contingit ſoluere. Quærimus vtrum *creatio* attributa Verbo, ſit factio, nec ne: ſit ex aliquo, vel ex nihilo. Licetus contra me inſurgit, quòd generatio Filij diſtinguitur à creatione Filij formaliter, & eſſentialiter. Demus oppoſitum nobis, nempè, quod diſtinguantur: adhuc quæro, an creatio illa, quæ tribuitur Verbo ſit *ex aliquo*, vel *ex nihilo*. Conſtituat Arianum Dogma, an catholicum? Adhuc ſoluendum eſt. Recurrit ad ſuos modos proprijſſimè, improprijſſimè, & cæteros; meam deſcriptionem creationis, quæ eſt productio ex aliquo, improprijſſimam dicit. Demus eſſe improprijſſimam, adhuc contingit ſoluere, vtrum creatio, quæ ſit productio ex aliquo, ideſt de ſubſtantia Patris, conſtituat Arianum Dogma, an catholicum? Si dixerit Arianum eſſe dicere, Verbum eſt productum ex aliquo, ideſt ex ſubſtantia Patris: damnat Concilium Nicenum, & Iudaiſmum reſtituit. Si Dogma catholicum, iam falsò, & cum calumnia impugnat me, tanquam Arianum.

Obſeruatio centeſimaprima.

Bald. Legam dicta Termaximi circa tuam quartam rationem in pag.31.lin.21. "Quarta verò ratio communis Ario ſimul & opinioni nouæ ſic aſſerenti: Creatio Theologicè extenditur ad intra. Sapientia primogenita ante omnem creaturam in Eccli.24. de ſe loquitur ab initio, & ante ſecula creata ſum.

Matth. Animaduertis ſolecilmum Balde? eſt enim nominatiuus *quarta ratio*, ſine Verbo principali in hac periodo.

Deinde ex ignoratione hyſtoriæ dicit, hanc rationem eſſe Arijnam Arius, & Ariani locum Eccli. non attigerunt, vt ſupra probaui ex Cyrillo, & Idacio, & Baſilio. Quod etiam obſeruauit ante me Didacus Ruiz libro de Trinitate diſp.95.

3 Infida relatio eſt dictorum meorum; Confer cum pag.8. libri Licetici. "Extenditurque creatio, & ad intra in Deo, & ad extra in creaturis. Ad intra Sapientia primogenita ante omnem creaturam Eccli.24. de ſe ita loquitur: Ab initio, & ante ſæcula creata ſum." Mutilauit infidè diuiſionem creationis theologicæ. Mutilauit conne-

connexionem, ex qua apparet à me probari iſtam concluſionem, creatio theologica extenditur ad intra; ſed Licetus noluit concluſionem meam cognoſcere. Noluit cognoſcere, quòd eadem ſapientia loquitur in Eccl. & in prouerbijs. Voluit ſubſtituere concluſionem à me non intentam, nec probatam ex iſta authoritate. Voluit ad obſcurandam intentionem meam, & lectorem fallendum hanc authoritatem Eccli.24. à mè primò loco poſitam, vltimo loco afferre. Callida pietas omnia turbat. Nunc lege ſequentia.

Bald. In pag.31. lin.26. Quæ ſanè ratio ſic in ſyllogiſmum nectitur.

Quod ab initio, & antè ſæcula creatum eſt, ad intra theologicè creatum eſt.

Sed Filius Dei, dictus ſapientia primogenita ante omnem creaturam, ab initio, & ante ſæcula creatus eſt.

Ergo Filius Dei ad intra theologicè creatus eſt.

Gratias agito Doctori Termaximo, qui rationes à te in ſyllogiſmum non formatas, pro te format.

Matth. Si rectè formaret, gratias agerem. Sed tota minor, & concluſio ſunt ex capite Termaximi, non meo. Errauit in concluſione mea proponenda, non poteſt non errare in reſolutione rationis ad ſyllogiſmum. Ego in iſto §. qui citatur, nihil dixi de Filio Dei, ſed hoc eſt falsò affictum mihi à Liceto. Qui ſi in ſyllogiſmum redigere velim probationem, ſic arguerem.

Fes Nulla res ad extra eſt creata ante ſæcula, ideſt ab æterno.

ti Sapientia primogenita eſt creata ante ſæcula.

no Ergo Sapientia primogenita non eſt res ad extra.

At omnis res, aut eſt in Deo ad intra, aut eſt ad extra.

Ex- Ergo ſapientia primogenita eſt res ad intra. At qui

poſitorius. Sapientia primogenita eſt res creata Eccli.24. Ergo aliquid, quod eſt creatum, eſt in Deo ad intra; quare per locum à coniugatis, creatio extenditur in Deo ad intra, ſed nulla res, quæ ſit in Deo ad intra, poteſt eſſe ex nihilo creata: ergo per locum ab oppoſitis contradictoriè, aliqua creatio eſt in Deo ex aliquo, taliſque eſt creatio theologica, quam per inductionem probare volebam. Docuit verò Ariſtoteles in 1. Priorum ſecto 3. Non eſſe neceſſarium reſoluere argumentum in vnum ſyllogiſmum, ſed plures eſſe ſyllogiſmos conſtruendos, pro ratione terminorum, & propoſitionum.

Syllogiſ. Hypothe ticus diſcurſiuus

Bald. Saltem ſyllogiſmus à Termaximo formatus pro concluſione tibi impoſita, & non iutenta, eſt benè formatus à Termaximo: audi ipſum pag.31. lin.30. " Dubio procul iſte ſyllogiſmus omni carere videtur vitio formæ conſtitutus prima fronte inculpatus in tertio modo primæ figuræ.

Matth. Non eſt Liceti rectè formare vnum ſyllogiſmum ex ſuis aſſertis, multò minus ex meis. Lege; in minori propoſitione ſunt iſta

verba. *Dictus ſapientia primogenita ante omnem creaturam*, iſta ſunt iuncta cum minore extremitate, ſed in concluſione hæc pars minoris extremitatis eſt omiſſa.

Licet p. 31. lin. vlt. Bald. «Sed intimius ipſum introſpicienti maior illa de ſe, eſt indefinita, quod ab initio, & ante ſæcula creatum eſt, ad intra theologicè creatum eſt, ſi ſumatur vt æquipollens *vniuerſali caret quidem, inde conflata ratio crimine formæ.*

Obſeruatio centeſimaſecunda.

Pag 32. lin. 4. Bald. SEd theologicè peccat in materia, propoſitionem habens maiorem omninò falſam.

Et minorem extra ſenſum genuinum Eccli. cuius textus artificiosè non integer, ſed mutilus allatus eſt.

Falſum quidem eſt omne creatum ab initio, & ante ſecula eſſe theologicè creatum ad intra: nam S. Mater Eccleſia Catholica prædicat hoc idem effatum de Virgine Matre, dum in miſſa natiuitatis eius conſimile legit oraculum è Salomonis prouerbijs hauſtum: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, ante quam quicquam faceret à principio ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret.* Non tamen ideò Virgo Mater dicenda eſt ordinata, poſſeſſa, & creata ad intra: quia ſolæ diuinæ perſonæ, Filius, & Spiritus ſanctus ad intra producuntur; quare falſa eſt illa maior vniuerſaliter accepta: omne creatum *ab initio, & ante ſecula, eſt creatum ad intra.*

Matth. Illud aſſertum vniuerſale in theologia proponatur: omne creatum ab initio, & ante ſæcula, eſt creatum ad intra: proponatur contradictorium, aliquid creatum ab initio, & ante ſæcula, non eſt creatum ad intra, ſed ad extra. Hæc contradictoria particularis eſt hæretica. Solus enim Deus ab æterno fuit, & nihil extra Deum fuit ab æterno; ſiuè dicatur illud extra Deum eſſe ineffectum, & increatum, vt Hermogenes cum Platonicis, materiam Deo coæternam, & ingenitam: ſiuè factum, aut creatum vt Albanenſes cum Ariſtotelicis volunt. Si ergo particularis negatiua eſt ſine dubio hæretica; vniuerſalis affirmatiua contradictoria eſt vera, & catholica.

Bald. Termaximus probat eſſe falſam. Nam S. Mater Eccleſia Catholica prædicat hoc idem effatum de Virgine Matre, quod ſit ordinata, poſſeſſa, & creata ante ſæcula, ſed non ad intra.

Matth. Hæc propoſitio eſt hæretica. Virgo Mater fuit creata ab æterno, ſiuè ab initio, & ante ſæcula: creata eſt enim ex ſanguinibus Ioachim, & Annæ circa plenitudinem temporum, in qua Deus erat miſſurus Filium factum de muliere Galat. 4.

Bald. At Eccleſia legit oraculum Salomonis in die feſto natiuitatis Deiparæ, quod confirmat ex rationali Durantis libr.7. c.28.

Matth. Durantes loquens de feſto natiuitatis B. Mariæ Virginis non dicit hanc epiſtolam eſſe intelligendam de Virgine Matre, ſed in quibuſdam Eccleſijs legi Prouerb.8. hanc epiſtolam. Verba hæc ſunt.

„In hoc feſto legitur genealogia Saluatoris, imò ipſius B. Mariæ Virginis: quia de eadem fuerat genealogia. Vnde legitur Euangelium Matth. 1. cap. *liber generationis Ieſu Chriſti*, de qua dictum eſt in 6. parte ſub natali, & ſub feſto Apoſtolorum Philippi, & Iacobi.

Et epiſtola Eccli. 24. cap. aliæ Eccleſiæ dicunt. Dominus poſſedit me. Prouerb.8. capit. cantatur etiam hiſtoria de laudibus ipſius Virginis Mariæ.„ Hæc ille. Ex quibus non probatur in S. Matre Eccleſia legi cap.8. Prouerb. Sed legi in alijs Eccleſijs filiabus. Deinde habet rationem contra ſe Licetus. Sicut enim genealogia Chriſti legitur, quæ primo eſt Chriſti, ſecundario, & ex conſequenti refertur ad Virginem Matrem. Ita tempore noſtro in S. Romana Eccleſia legitur. *Dominus poſſedit me*, Prouerb.8. quæ prophetia primo de Chriſto eſt, ſecundariò, & ex conſequenti refertur laus ſapientiæ genitæ ad matrem, nam ex Filio glorificantur, & Pater æternus, & Mater temporalis.

Argumentum ergo Liceti mutat, *quando* in *ſubſtantiam:* & eſt fallacia figuræ dictionis. *Quando legitur?* In feſto natiuitatis Deiparæ. *De quo legitur*, vt *de ſubſtantia?* de perſona Chriſti, teſtantibus Apoſtolis, in 5. conſtit. Apoſt. cap. vlt. Apoſtolis autem aperuit Dominus ſenſum, vt intelligerent ſcripturas Luc.24. Errat ergo Licetus, & in explicanda ſcriptura, & in propoſitione hæretica aſſumpta: quòd Virgo fuit ab æterno creata ad extra.

Vtique Virgo Maria eſt res creata ad extra, ſed ſi fuit creata ante ſæcula, fuerunt etiam creati ante ſæcula Ioachim, & Anna: ex quibus eſt à Deo creata, iuxta S. Auguſt. in pſal.70. *parentibus generantibus, Deus creat*. Eadem ratione, & cæteri progenitores Deiparæ fuerunt creati ante ſæcula: ergo & terra, quæ illos ſuſtineret, & cęlum, quod tegeret, ac foueret; denique totus Mundus ſenſibilis fuit ab initio, & ante ſæcula creatus. Ita Licetus per vnam rem creatam ad extra; mundum totum cum Ariſtotele ab æterno ponet de facto: ſicuti de facto ponitur Mater Virgo creata ab initio, & ante ſæcula; cum ipſa non conſiſtat in rerum natura ſine mundo. Non ſine cauſa Licetus dimiſit inſoluta phyloſophorum argumenta pro æternitate Mundi, dum publicè legeret. Non ſine cauſa Matrem Virginem ſtatuit eſſe extra Deum creatam ab initio, & ante ſæcula. Scit à Chriſtianis plauſibiliter accipi laudes Diuæ Virginis; ideò tentat, quaſi per cuniculos, ſta-

tuere Virginem eſſe creatam ab æterno; vt hoc errore recepto, tanquam dulcedine mellis aſperſo, recipiatur fel, quòd non ſolus Deus fuit ab æterno actu exiſtens, ſed de facto aliquid aliud extra Deum fuerit actu exiſtens ab æterno.

Bald. Aduerte dictum Termaximi pag.32. lin.16. "Solæ diuinæ perſonæ Filius, & Spiritus ſanctus ad intra producuntur.„ Iam concedit, vt audis Filium produci ad intra.

Matth. Hoc dicitur a Liceto tanquam ad hominem, quoniam hoc mihi placet, Verbum eſſe productum ad intra; & in hoc ſenſu eſſe creatum ad intra; Sed Liceto hoc non placet aſſerenti. *Verbum eſſe productum* ad intra, *eſſe dictum* Arij pag.66. lin.2. pag.198. lin.25. pag.199. lin.penult. pag.200. lin.8. & 9. pag.201. lin.16. & alibi frequenter.

Obſeruatio centeſimatertia.

Matth. ADuerte interim tres defectus Liceti in citando cap.8. ex Prouerb.

1 Eſt mutilatè citare.
2 Non probare ex illo textu propoſitum.
3 Eſt inconſtantia circa illum textum.

Bald. Non credam, niſi probes. Proba primum.

Matth. In illo textu Prouerb.8. legis de ſapientia Dei, *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio.* Hanc poſteriorem clauſulam truncauit Licetus, quia ſi Mater Virgo poſſidetur ante omnia facta; iam Mater Virgo non erit facta; & per conſequens, nec creata ad extra; quæ enim facta ſunt, illa ad extra creata ſunt. Sed quis, niſi ſtolidus, negaret Virginem illam eſſe facturam Dei?

Mutilat quoque ſequentia, quæ ſapientia dicit:
Quando præparabat cælos aderam;
Quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos,
Quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum.
Quando circumdabat mari terminum ſuum &c.
Quando appendebat fundamenta terræ, *cum eo eram cuncta componens.*

Illa clauſula, *cum eo eram cuncta componens*, prorſus euertit falſam explicationem, & applicationem iſtius textus ad Virginem Matrem. Iactat Licetus concilia, & Patres, non vt ſequatur, ſed vt deſerat. Sanè in tom.3. Bibliothecę Patrum, impreſſę Coloniæ 1618. pag.77. Orthodoxi ex Synodo Antiochena collecta contra Paulum Samoſatenum: probantes, quod Filius ſit Deus, iſta loquuntur in fine ſecundæ columnæ. "Generauit quidem Filium Pater,

tan-

tanquam actum viuentem, & per ſe exiſtentem, omnia in omnibus operantem: non autem ſolùm vidit Filius, neque ſolùm præſens fuit Filius, ſed etiam operatus eſt ad creationem vniuerſi: ſicut ſcriptum eſt, cùm eo eram cuncta componens,, Igitur textus ex Prouerb.8. de Filio ſecundum Deitatem accipitur, ſecundum quam cum Patre operatus eſt ad creationem vniuerſi. Ergo expoſitio Liceti eſt contra Concilium; concilium exponit de Filio Dei, vt Dei, Licetus de Matre Virgine, & ſanè falſiſſimum eſt, quòd aliqua res ad extra potuerit cum Patre cuncta componere. Bellarminus quoque lib.2. de Chriſto cap.6. col.321. per iſtum textum prouerb. contra Sabellianos nouos probat, quòd Filius accepit eſse à Patre. Callidè igitur mutilat Licetus duas particulas; primam. *Antequam quicquam faceret*, quoniam Virgo eſt vna de rebus factis, ergo non poteſt eſſe ante omnia facta; hæc enim eſt dignitas Verbi, per quod omnia facta ſunt. Secundam, *cum eo eram cuncta componens*. Soli enim Filio producto ad intra in ratione ſapientiæ genitæ competit componere cuncta, non Matri Virgini, quæ eſt vna de rebus compoſitis, nec poteſt componere ſe, nec ſuos progenitores, nec ſua principia.

Bald. Memini in concilio Romæ decretum eſſe à Sancto Dionyſio Papa hunc prouerbij locum intelligendum eſſe de Filio; quare manifeſtè euincitur, textum Prouerb.8. eſſe de Filio Dei ex concilijs Antiocheno. Romano. Apoſtolorum.

Matth. S. Thomas 1.p.q.61. art.2. in argumento pro parte vera affert. Prouerb.8. ex perſona ſapientiæ genitæ. " *Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio:* Sed Angeli ſunt facti à Deo, vt oſtenſum eſt. Ergo Angeli aliquando non fuerunt. „ Imitemur Sancti Patris argumentum. Accipiamus eamdem maiorem: ſubiungamus hanc minorem, ſed Mater Virgo à Deo eſt facta: ergo Mater Virgo aliquando non fuit. Falsò igitur Licetus ait, eam fuiſse ab æterno creatam, & poſſeſſam ad extra.

Bald. Falſum profectò.

Matth. Legam corpus illius articuli D. Thomæ ſcribentis. "Dicendum, quòd ſolus Deus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus eſt ab æterno. Hoc enim fides Catholica indubitanter tenet, & omne contrarium eſt ſicut hæreticum refutandum.„ Sed Licetus tenet contrarium; quòd ab æterno fuit Mater Virgo: ergo Liceti propoſitio refutanda eſt, vt hæretica, & illius contradictoria eſt catholica, nempe iſta. Omne creatum ab initio, & ante ſæcula eſt productum ad intra, ſiuè ad intra præfectum, iuxta expoſitionem Pontificiam vocis *creatum*.

Bald. Contradicere non auſim. Audiui tamen concionatores quandoque exponentes de Deipara cap.8. Prouerb.

Matth. Nihil dicam. Conſule Ferdinandum Salazar in cap.8.Prouerb num.259.pag.269. diſceſque, illam concionatoriam applicationem non eſse litteralem ſenſum: atque adeò non eſse idoneum ad diſputandum. Si quidem Alfonſus de Caſtro 1. aduerſus hæreſes, authoribus Auguſt. & Hieronymo probat, diſputationem Catholicam peragendam eſse in ſenſu litterali. Porrò textum ex Prouerb.8. intelligendum eſſe de diuinitate Filij ex diuina ſcriptura iuxta traditionem Patrum, oſtenſum eſt à me in reſponſiua epiſtola ad Baldum. Si verò legerimus cum Aquila, & Hieronymo. *Dominus poſſedit me &c.* tunc nimis magnus numerus exurget Doctorum exponentium de Filio Dei, vt Dei. Multi etenim propter æquiuocationem vocis *creauit*, & propter importunitatem Arianorum explicant particulam. *Dominus creauit* de Sapientia genita, ſed incarnata; quæ quidem expoſitio probabilis eſt ex Patrum authoritate, ſed inducta eſt, quaſi per accidens propter hæreſim facilius declinandam. Nam diſtincta æquiuocatione vocabuli, facilè retineri poteſt primitiuæ Eccleſiæ expoſitio.

Obſeruatio centeſimaquarta.

Bald. Secundum ex prænarratis à te probandum per text.Prouerb.8. non probari, quòd aliquid ſit creatum ad extra ab initio, & ante ſæcula.

Matth. Acceperat probandum contradictorium illius vniuerſalis, iſtud ſcilicet. *Aliquid ante ſæcula creatum eſt, & illud eſt ad extra.* In textu autem citato. *Dominus poſſedit me*, adeſt vocabulum poſſeſſionis, non creationis: quanquam iuxta dogma theologicum in 1. d.30. Deus ab æterno non habeat actu denominationem, quæ illi tribuitur ex actuali exiſtentia rerum ad extra; vnde non denominatur Dominus ab æterno, ſed ex tempore: non poſſidens, non creans ab æterno, ſed ex tempore.

Bald. Non ne ex lectione 70. in eodem cap. prouerb.8. ſupra dixeras legi, *Dominus creauit me*, vbi nos legimus. *Dominus poſſedit me?*

Matth. Dixi. Sed tamen aliud eſt poſſeſſio, aliud creatio; ſi vult probare creationem, non accipiat poſſeſſionem pro medio.

Bald. An poſſeſſio, & creatio non ſignificant idem?

Matth. Ad illuſtrandam rem iſtam refero, quæ S. Hieronymus ſcripſit in epiſtola 139. ad Cyprianum Tom.3. pag.80. B. "Simile quid & in prouerbijs ex perſona ſapientiæ, qui Chriſtus eſt, legitur. Dominus creauit me in initio viarum ſuarum in opera ſua: ante ſæcula fundauit me in principio: antequam terram faceret, & abyſſos, priuſquam produceret fontes aquarum. Priuſquam montes firmarentur, ante omnes colles generauit me. Nullum au-

tem debet verbum creationis mouere, cum in hæbreo non ſit creatio, quæ dicitur ברא ſed poſſeſſio: ita enim ſcriptum eſt דרכו יהוה קנני ראשי׳ adonai, kanani, reſcith, darcho. Quod in lingua noſtra exprimitur. Dominus poſſedit me initium viarum ſuarum. Inter poſſeſſionem autem, & creationem multa diuerſitas eſt. Poſſeſſio ſignificat, quòd ſemper Filius in Patre, & Pater in Filio fuerit. Creatio autem eius, qui prius non erat, conditionis exordium." Hoc Diui Hieronymi teſtimonium euincit, Salomonis oraculum eſſe de Chriſto, ſiue legas *creauit* me, ſiue *poſſedit* me: non eſſe de matre Chriſti, vt perperam Licetus exiſtimat. Secundò conſtat differre creationem, & poſſeſſionem: non ergò benè probat à diuerſis arguendo Licetus. Tertiò aduerte S. Hieronymum hoc loco attuliſſe dimidiatam definitionem creationis (hæc erat ad rem) illius, quam attulit ſuper cap. 2. ad Epheſios, dicens. "Licet in hebræis codicibus non habeatur: Dominus creauit me initium viarum ſuarum: ſed Dominus poſſedit me. Inter poſſeſſionem autem, & creationem multa diſtantia eſt, quia qui poſſidetur, is vtique eſt, atque ſubſiſtit, & eſt proprius qui poſſidetur. Creatur verò ille, qui non erat, antequam fieret: aut certè de eo, quod erat, transfertur in aliud: ſicut & nos nunc creati dicimur in Chriſto Ieſu. Creati vtique, non quia ante non fuimus, ſed creati in operibus bonis. Quod Dauid quoque in Pſal. 50. deprecatur dicens. Cor mundum crea in me Deus, & certè mundum cor ante peccatum habuerat, quando de eo Dominus loquebatur. Inueni Dauid Filium Ieſſe, ſecundum cor meum: ſed vt ibi creatio inſtaurationem ſonat, ita & in nobis, & in Chriſto per ſingula opera, & profectus creatura, atque conditio accipi poteſt: vt quotidie in credentibus Chriſtus creatus, natus, & conditus ſit; hæc Hieronymus.

Bald. Omninò dicendum eſt illam maiorem. Omne creatum ab initio, & ante ſæcula, eſt creatum ad intra, eſſe veram, & catholicam. Nam ponere, ſiue diuam Virginem, ſiue quoduis aliud ens ad extra, eſſe creatum ab initio, & ante ſæcula: hæreticum eſt. Procedam autem vlterius legens pag. 32. lin. 19. "Sin autem non vniuerſaliter aſſumatur, & de omni, ſed ſingulariter ad vnum Dei Filium coarctata, pariet paralogiſmum in 1. figura ex maiore non vniuerſali. Licetus.

Matth. Iſta ſunt ad apparentiam ſcripta, nec enim fieri poteſt, vt primum, & ſecundum vitium ſtent ſimul in ratione formæ; cum eadem propoſitio ex vi formæ ſit vniuerſalis, non poteſt eſſe particularis. Perge ad reliqua.

Bald. Pag. 32. lin. 22. "Quin etiam contra Canones dialecticæ, Filius minus extremum argumenti ponetur in maiori propoſitione.

Matth. Et hæc eſt peritia logicæ Liceticæ non diſtinguere inter terminum

minum

minum coarctatum, & terminum ad quem coarctatur. Qui duo termini, niſi diſtinguantur, omnis demonſtratio potiſſima deſtruitur: deſtruitur quoque demonſtratio quòd conuerſa demonſtrationis potiſſimæ. Exemplum eſt; ſint tres termini *riſibile*, *animal rationale*, homo; riſibile & animal rationale coarctati ſunt ad hominem & cum eo conuertibiles. Erigatur demonſtratio.

Omne animal rationale eſt riſibile.
Omnis homo eſt animal rationale.
Ergo omnis homo eſt riſibilis.

In hac demonſtratione minor extremitas iuxta Licetum erit in maiori propoſitione, quod eſt abſurdiſſimum in logica. Verùm nec in facultate theologica hoc poteſt conſtare. Quia creari ad intra, ſiuè ante ſæcula, communiter poteſt conuenire Filio, poteſt item conuenire Spiritui ſancto ex autoritate Sancti Irenæi, ac Tertulliani, & ex principijs Liceti maximè: quia Spiritus ſanctus à Patre, & Filio accipit eſſe actualis exiſtentiæ, dominium, potentiam creatiuam & per hæc conſtituitur in eſſe creatoris.

Obſeruatio centeſimaquinta.

Bald. TErtium inſtat; inconſtantiam enim Termaximo tribuis.

Matth. Memini. In tertia ratione à Liceto conſtructa dixit, illum textum prouerb. 8. intelligendum de Filio Dei, & dixit ſine vlla cunctatione. Nunc non de Filio Dei & Virginis. Sed de Virgine matre contendit eſse accipiendum, ſub falſo titulo S. Matris Eccleſiæ. Quæ non omnia in aliqua feſtiuitate lecta, intelligit de perſona, quæ celebratur, & honoratur in ea feſtiuitate. Vt patet diſcurrenti per diuinum officium, veluti ſi Dominicam orationem perſoluit, non eam intelligit de Matre Dei; nec dirigit ad matrem Dei. Verùm enim verò, dum attentius conſidero factum Liceti, illum textum ex prouerb. 8. *Dominus creauit me*, fortiſſimum aduerſus Iudæos ad probandum, quòd Chriſtus ſit Deus, vult aliorſum ducere, & liberare Iudæos hoc timore: ſicuti in tranſuerſum egit locum Eccli. 24. ad pag. 183.

Bald. De re non contendo: varia eſt expoſitio prima, & ſecunda Termaximi. Prima de Filio Dei. Secunda de Matre Dei. Sed eſt ne inconſtantiæ eundem textum Scripturæ bifariam exponere?

Matth. Aliud ad hominem, aliud ad rem dicendum. Ad hominem. Reminiſcere, mi Balde, me à Liceto fuiſse accuſatum inconſtantiæ. Propterea quòd dictum Eccli. 24. *Ante ſæcula creata ſum*, explicauerim in Epitome de ſapientia cauſata homini indita: in defenſione verò de ſapientia incauſata, ſed genita. Si igitur inconſtantia eſt iudicio Liceti duas expoſitiones dare: iudicio ſuo ipſe inconſtans

ſtans eſt, qui duas expoſitiones dedit diuerſas, & aduerſas.

Ad rem. Inferius afferam Albertinum, in libro de agnoſcendis aſſertionibus Catholicis, & hæreticis docentem, in eodem textu ſacro Eccli.24. ſeptem explicationes datas eſſe, quibus octauam addit: & ſub nota temeritatis, ac blaſphemiæ affirmat, eſſe dandam expoſitionem, quæ eſt de æterna generatione Filij ad illud Eccli. 24. *Ab initio & ante ſæcula creata ſum*. Non ergo varias expoſitiones adducere eſt ſibi non conſtare.

Bald. At nollem approbare cauſam, quam attuliſti, dicens, Termaximum accedere ad ſecundam expoſitionem, vt Iudaiſmo ſubſeruiat.

Matth. Si ſemel Iudaiſmo reſtituendo daret operam: ſi catholica libertate diceret, quod ſentit: nil mali ſuſpicarer; ſed à calidiſſimo homine, & callidiſſimè procedente timendum eſt. Scito igitur, Apoſtolos, dum in concilio congregati ſancirent conſtitutiones Apoſtolicas ad continendum fideles in fide, & moribus, inter alia multa ſaluberrimè ſtatuta, hoc voluiſſe in 5. Conſtit. Apoſt. cap. vltim. nempè docere conſonantiam nouellæ prædicationis Euangelicæ cum antiquis doctrinis Prophetarum: Adduxerunt autem prophetias, quibus oſtenderent Chriſtum eſſe verum hominem, & eſſe verum Deum, Deum Verbum, Deum Filium: atque adeò, quòd in vno numero Deo eſſentialiter ſint plures perſonæ diſtinctæ, quarum vna ſit Pater, altera Filius. Multas de humanitate Chriſti, & actis eius authoritates protulerunt. De diuinitate, quantum capio, tantummodo textum Salomonis ex Prouerb.8. De qua re in reſponſiua dixi à pag.14.

Bald. Dixiſti ſatis lucidè, ſed breuiter. Vtile fortaſſe eſſet eadem aliquanto clarius dicere contra Iudæos, & Sabellianos.

Matth. Repetamus authoritatem igitur. Tu relege ex epiſtola reſponſiua.

Bald. Ex Apoſtolicis conſtitut. loco citato in epiſtola lego. « De eo (Chriſto) aiebat Salomon tanquam ex perſona Chriſti. Dominus creauit me principium viarum ſuarum in opera ſua. Ante ſæculum fundauit me in principio, antequam terram faceret, antequam prodirent fontes aquarum, antequam montes firmarentur, ante omnes colles genuerat me. Et rurſus Sapientia, inquit, ædificauit ſibi domum.„ Citant Apoſtoli ex cap.8. particulam, & particulam ex cap.9. vt intelligamus eamdem ſapientiam in illis capitulis loquentem, eſſe perſonam Chriſti. Perſona Chriſti eſt incauſata, non cauſata: diuina non humana; igitur applicatio creationis ſcripturalis eſt ab Apoſtolis facta ad perſonam diuinam. Sed in perſona diuina Chriſti ſubſiſtunt duæ naturæ, diuina, & humana. cognoſcemus autem, ſecundum quam naturam loquantur Apoſtoli, ſi concluſionem ab eis elicitam attenderimus.

«Hunc

"Hanc igitur, & nos prædicamus, & euangelizamus Deum Verbum miniſtrantem Deo, eidemque Patri in rerum omnium creatione. Si hoc credideritis, viuetis; ſin verò non credideritis, pœnas dabitis. „ Si percurratur tota ſeries authoritatum ab Apoſtolis propoſitarum, ex nulla poſſunt colligere, Deum Verbum concurrere cum Deo Patre in rerum omnium creatione, niſi ex iſta prouerb. 8. In qua authoritate ſapientia genita aſſerit, ſe affuiſſe Deo, quando præparabat cœlos, quando terram, aquam, æthera, ventos: atque tunc omnia cum Deo compoſuiſſe. Quia ergo eſt principium omnium operum Dei, eſt Deus: quia genita, eſt Filius: & generans eſt Pater; quia eſt ſapientia genita, eſt Verbum. Itaque & Filium eſſe, & Verbum eſſe, & Deum eſſe, & principium omnium Dei operum eſſe docent illam perſonam quæ dicit, *Dominus creauit me principium &c.* Sed iſta non conueniunt Filio ratione humanæ naturæ, quæ in rerum creatione non affuit, neque cooperata eſt; igitur hoc intelligitur ratione diuinæ naturæ, & diuinæ perſonæ eſſe dictum.

Matth. Ad hæc ſit prima concluſio. Sapientia loquens in prouerb. 8. Eſt Deus.

Quod eſt principium operum Dei omnium, & cuncta opera Dei componit, eſt Deus.

Sapientia loquens eſt principium operum Dei omnium, & cum Deo cuncta opera componit.

Ergo ſapientia loquens eſt Deus.

Secunda Concluſio. Eſt Filius.

Quod eſt Deus, & genitus, eſt Filius:

Sed ſapientia loquens eſt Deus, & eſt genita,

Ergo ſapientia loquens eſt Filius.

Tertia Concluſio. In Deo eſt Pater.

Cuicumque Filio, vt relatiuo, correſpondet Pater, vt correlatiuum: Et genito generans in eadem natura ſpecifica.

Sed ſapientia loquens eſt Deus Filius, & genitus.

Ergo in eadem natura ſpecifica Dei eſt generans, & Pater Deus.

Quarta Concluſio. Pater, & Filius ſunt vnus Deus.

Deus eſt vnus eſſentialiter, & immultiplicabilis ex Deuter. 6. Iſaia 42. & 45. & 1. Reg. 2.

Sed Pater, & Filius ſunt Deus.

Ergo Pater, & Filius ſunt vnus Deus.

Quinta Concluſio. Pater, & Filius diſtinguntur.

Impoſſibile eſt, vt idem ſit, *qui* creat, & *qui* creatur.

Sed Deus Pater creat ſapientiam, ſcilicet Filium, qui creatur, ergo impoſſibile eſt, vt Pater, & Filius ſint idem, *qui*, ſiuè eadem perſona; quare in vnitate Deitatis eſt pluralitas perſonarum Patris, & Filij. Eademque ratio erit de Spiritu ſancto.

Sexta

Sexta Concluſio. Sapientia eſt Deus Verbum.

Omnis ſapientia genita eſt Verbum.
Sed Filius Deus eſt ſapientia genita.
Ergo Filius Deus eſt Verbum.

Hoc pacto Apoſtoli concluſerunt perſonam Chriſti eſſe Deum, Deum Filium, Deum Verbum, & eumdem Deum cum Patre. Atque ſe non prædicare aliam perſonam Chriſti, niſi illam perſonam, quæ eſt Deus, & quæ cooperatur cum Deo in omnium creatione.

Simul ex Apoſtolorum vocibus diſtingue duas creationes, primam creationem terminatam ad ſapientiam loquentem. *Dominus creauit me principium.* Secundam terminatam ad omnia, intellige diſtincta eſſentialiter à Deo: vt alia ſit creatio ſapientiæ, quæ eſt à ſolo Patre, atque hæc eſt notionalis: alia creatio omnium, quæ eſt eſſentialis.

Bald. Videntur iſta commodè expoſita, & aduerſus iudæos efficacia, & ad probandum eamdem eſſentiam in Patre, & Filio; quorum enim eadem eſt operatio, eorum eſt eadem potentia, & eadem eſſentia. Ad probandum diſtinctas perſonas in eadem eſſentia; nam *qui* creat, & *qui* creatur ſunt vt *qui* & *qui*, nec poſſunt eſſe vna res, & perſonalis, & eſſentialis. Ad probandum Chriſtum eſſe verum Deum, quod enim habet veram Dei eſſentiam potentiam, operationem, eſt verus Deus. Ergo eadem perſona Chriſti concluditur non ſolùm verus homo, quod concedebant iudæi, ſed etiam concluditur eſſe verus Deus, quod negabant Iudæi.

Matth. Hoc argumento Apoſtoli Spiritu ſancto edocti conuincebant Iudæos. Quo argumento aduerſus Iudæos pugnauerunt S. Ignatius in epiſtola ad Tarſenſes S. Iuſtinus contra Triphonem, eademque ratio eſt de cæteris Apoſtolorum diſcipulis vt Clemente, Tito: eadem authoritate ad probandum, Chriſtum eſſe Deum, aduerſus gentes vſi ſunt S. Iuſtinus, Athenagoras, Clemens Alexand. Eadem authoritate armatus eſt Tertullianus contra Praxeam Patripaſſianum, Iudæorum conſortem in Trinitate neganda, nec non & contra Sabellianos itidem Patripaſſianos S. Dionyſius Alexandrinus, & Dionyſius Papa cum concilio Romano.

Bald. Argumentum hoc planè efficaciſſimum eſt contra aduerſarios diuiniſſimæ Triadis.

Matth. Bellarminus tanquam Filius, & hæres Apoſtolorum, & Patrum in lib. 2. de Chriſto contra Sabellianos nouos intorquet hoc argumentum, ſed ex lectione vulgata, fit quadantenus debilius ſic. "Qui accipit eſſe ab alio, neceſſario ab eo diſtinguitur re ipſa, ſed Filius accipit ſuum eſſe à Patre, ergo Filius re diſtinguitur à Patre, minorem probat ex prouerb. 8. Dominus poſſedit me ideſt acquiſiuit per generationem, id enim ſignificat vox hebræa chanani. Cap. 6.

Bald. Argumentum hoc etiam videtur planè demonſtratiuum.

Matth. Sed videtur debilius duas ob cauſas. Etenim inter eum, *qui* creat & eum, *qui* creatur eſſe diſtinctionem realem, nemo negare poteſt, ſed inter poſſidentem, & rem poſſeſſam non ſemper eſt diſtinctio realis. Nam dum Saluator ait. Omnia mea tua ſunt, & tua mea: pronomina poſſeſſiua *mea & tua* ſignificant eſſentiam, & proprietates eſſentiales poſſeſſas. Pater, & Filius ſunt poſſeſſores, & proprietates perſonales ſunt conſtitutiuæ perſonarum poſſidentium: de qua re dixi in libro de perſonis producentibus Spiritum ſanctum, q.3. cap.3. cum Baſilio, Cyrillo, Didimo; & Didimus quidem ait. "Caue autem cum iſta dicuntur, ne graue labaris intelligentiæ in vitium, & putes rem aliquam eſſe, & poſſeſſionem, quæ à Patre habeatur, ac Filio. Verùm, quæ habet Pater iuxta ſubſtantiam, ideſt æternitatem, immutabilitatem, incorruptionem, immortalitatē, bonitatem, de ſe, & in ſe ſubſiſtentem, hæc eadē habet Filius." Ergo inter Patrem poſſidentem, & eſſentialia poſſeſſa non eſt diſtinctio realis. Quare ex ratione poſſidentis, & poſſeſſi non concluditur realis diſtinctio.

Secunda cauſa eſt, quia verbum *poſſedit* explicatur per generationem, vt Geneſis 4. Eua dixit, poſſedi hominem per Deum. Poſſedit verò per generationem. Cæterum vox *Caniti*, vel *Canani* non ſolùm ſignificat poſſeſſionem per generationem, ſed etiam per quamuis acquiſitionem, vt per venditionem, emptionem, donationem, præſcriptionem. Exempla legantur in theſauro Pagnini. Sed & Pater æternus poſſidet, vt ſuas, æternitatem, ſapientiam, bonitatem, nec poſſidet eas per generationem. Doctrina Bellarmini, & propoſitio vulgatæ editionis veriſſima eſt: ſed contra aduerſarios fidei, editio ſeptuaginta virorum eſt efficacior.

Vtraque transla- tione vti tur S.Sedes Apoſtolic. ex Greg. in dedicato ria mora lium, ad finem. Lapid. in Prouerb.

Bald. Igitur in arguendo vtrauis translatione vti poteris, præſertim cum S. Auguſtinus in 2. de Doctrina Chriſtiana cap.15. & in 18. Ciuit. cap.43. præferat lectiones 72.

Matth. Scimus, Aquilam Ponticum à Chriſtiana fide apoſtatam, & à Chriſtianis eiectum, aduerſus Chriſtianos nihil non feciſſe pro viribus, Violauit ſacras litteras, & contra 72. translationem fecit, teſte S. Epiphanio in libro de ponderibus. Hinc etiam coniector, lectionem 72. Interpretum in codice hebraico fuiſse *Chonani* à radice Chon, ſeu Chonen, ſcribēdo per Chaf, quę radix ſignificat pręparare, conſtituere, creare: Aquilam verò mutauiſse primam litteram ſcribendo Chof, vnde eſt radix Chanani, quæ ſignificat poſſidere, vel acquirere. Hoc artificio declinans argumentum Apoſtolorum ab eorum diſcipulis contra Iudæos erectum. Scripta ſunt exemplaria, & Hebrea, & Græca ad nutum Aquilæ, potentis ſcilicet, vtpotè præfecti ab Adriano Imperatore Hyeroſolimæ ædificandæ. Epiphanius heres.69. notat, Aquilam legiſse *poſſedit*, ſed ipſe Epiphanius origine Iudæus, aliter legit: vt appareat, le-

ctionem

ctionem Aquilæ non fuiſſe omnibus Iudæis probatam. Multiplicauiſſe autem Iudæos, & conſeruauiſſe lectionem Aquilæ, vt eis proficuam, non eſt mirandum.

Deniq; duplex vox hæbraica, *Bara*, & *Chon*, ſeu *Chonen* ſignificat *creare*. In hoc Salomonis loco non fuit vox *Bara*, ſed *Chon*, ſeu *Chonen*. Etenim S. Dionyſius Papa declarans vocem *creauit* recurrit ad vocem *Chonen* in Deuteron. 32. *Creauit te*; quod certè ſignum eſt, S. Dionyſium Papam in Biblijs antiquis (fortaſſe à Sanctis Apoſtolis Petro, & Paulo Romam allatis) legiſſe, Dominus, Conani ידודו נגנו יתהרכבנגנו *Dominus creauit me. Adonai Chonani.* Itaque relicta Liceti varietate, & retenta ſcripturæ veritate iuxta determinationem Concilij Romani ſub S. Dyoniſio intelligamus dictum prouerb. 8. Depellamus intelligentiam Sabellij, & Arij, quòd *creauit* ſit *fecit*. Complectamur Pontificiam intelligentiam, quod *creauit* eſt *præfecit*, aut cum Sancto Euariſto eſt *genuit*, ac produxit.

Obſeruatio centeſimaſexta.

Bald. SAtis circa maiorem quartæ rationis, ſiue ſit tua, ſiue non ſit. Ad minorem, quæ ſine dubio tua eſt, & contra te argumentum ineluctabile, ac inſolubile præſtat. Audi Termaximum pag. 32. lin. 24. "Sed & argumenti propoſita minor eſt contra genuinum ſenſum Eccleſiaſtici, cuius textus callidè mutilus affertur: nam integer ipſe locus in antecedentibus, & ſequentibus verbis apertiſſimè docet, ſe loqui de creatione Filij Dei, non ad intra quantum ad eius diuinitatem, ſed ad extra quoad ipſius humanitatem.„

Duo vitia tibi opponuntur: primum, quòd propoſitio tua eſt contra verum ſenſum Eccli.

Secundum, quòd callidè textum Eccli. mutilum attuleris. In hac ſecunda parte vicem tibi reddit. Tu paulò ante obijciebas Termaximo, quòd mutilauerit textum ex. prouerb. 8. ille tibi obijcit, quod mutilaueris textum Eccli. 24. Pag. 180. lin. 16.

Matth. Ad hoc ſecundum reſpondeo. Quando citamus aliquem authorem, non eſt iuſtum integrum capitulum ſemper referre, eſſet enim ſuperfluum, & oneroſum; & contra ſummum magiſtrum, qui citauit partem opportunam, vt ex cap. Exodi 3. *Ego ſum Deus Abraam, Deus Iſaac, & Deus Iacob*, & ex pſal. 109. Dixit Dominus Domino meo &c. ſed cauendum eſt, ne, dum citatur aliquis textus, omittatur pars antecedens, vel ſequens, quæ ſit contraria citanti. Ob id iure dixi, à Liceto mutilari caput 8. prouerb. quia duas particulas Liceto aduerſas omiſit: per quas conſtat capitulum illud non intelligi ad litteram de Matre Dei. Matth. 22 32. Ioan. 22. 44.

Si Licetus oſtenderit id ipſum in citando Eccleſiaſtico eſſe à me per-

petratum; iure reprehendit. Sin autem hoc non oſtenderit: iniuſtè reprehendit, vt ſolet.

Conſideretur citatio à me facta, conſiſtit in illis verbis. " *Sapientia primogenita ante omnem creaturam, Eccli.24. de ſe loquitur ab initio, & ante ſæcula creata ſum.*" Sed Beatus Thomas 1.p.q.41.art.3. in 4. argumento, & in 4. contra gentes cap.8. citauit hæc eadem verba. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum.* Citauit ad eumdem finem, ad quem ego citaui, vt oſtenderet creationem Filio Dei in diuinitate, ac æterna productione attribui. Eadem accuſatio eſt contra Diuum Thomam, & me, non ego me defendo, innumerabiles Diui Thomæ diſcipuli defendent.

Sed & S. Euariſtus ex his clauſulis Eccli.24. à verſiculo 12. vſque ad verſiculum 18. quas citat Licetus, citauit partem verſiculi 12. hanc. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*, exponens *creauit* per *genuit*, intelligit de generatione æterna, & in diuinitate: quare & ipſe S. Euariſtus reprehenditur, quaſi mutilator ſcripturæ. Igitur textum ſcripturæ, quem Licetus affert cum debita reuerentia recipio. Videamus quid dicat circa hoc.

Bald. Dicit in pag.33. lin.11. " Quæ ſingula, & omnia attributa non reſpiciunt vlla ratione Filium Dei ad intra.

Sed conueniunt ſoli Verbo incarnato. Chriſtoque Domino, qui naturam humanam indutus, habitauit in Iacob, & in Iſrael hæreditate, &c.

Matth. Id ipſum repetit Licetus ad implendam cartam pag.65. pagin. 180. pag.203. Sed in pag.183. turpiſſimè exponit textum Eccli. eò perueniens, vt excludat Trinitatem à Deo & ponat. *Patrem eſſe primogenitum omnis creaturæ*, ſimiliter, & *Spiritum ſanctum eſſe primogenitum.*

Bald. Paulatim agamus? Poteſt ne hic textus Eccli. intelligi de perſona Filij ſecundum naturam diuinam, & generationem æternam, poteſt ne etiam de Filio Dei intelligi incarnato, ideſt ſecundum temporalem generationem?

Matth. Poteſt vtroque modo exponi locus Eccli. & vtroque modo expoſitus eſt à Diuo Thoma 1.p. q.41. (non vt falsò citat Licetus in hac pag.33. citat enim q.31.) art.3. Exponit trifariam, & ſecunda expoſitio eſt.

"Vel poteſt referri ad naturam creatam aſſumptam à Filiò: vt ſit ſenſus. Ab initio & ante ſecula creata ſum, ideſt præuiſa ſum creaturæ vniri." Tertia expoſitio eſt.

"Vel per hoc quod ſapientia creata, & genita nuncupatur, modus diuinæ generationis nobis inſinuatur, in generatione enim, quod generatur accipit naturam generantis, quod perfectionis eſt. In creatione verò creans non mutatur, ſed creatum non recipit naturam creantis. Dicitur ergo Filius ſimul creatus, & genitus vt

ex

ex creatiōne accipiatur immutabilitas Patris, & ex generatione vnitas naturæ in Patre, & Filio. Et ſic exponitur intellectus huius ſcripturæ ab Hilario in libro de Synodis.„

Sed callidè Licetus ſecundam expoſitionem ex Diuo Thoma profert pag. 33. & 65.

(Vbi falsò Licetus citat Bellarminum, Athanaſyum, Nazianzenum, Cyrillum, Auguſtinum, quaſi loquantur de Eccli. cum verè loquantur de prouerb. 8.) Citat ſecundam expoſitionem, non citat tertiam; quæ eſt contra Licetum.

Præterea per ſecundam expoſitionem Diui Thomæ impugnat tertiam, quaſi impoſſibilem. Vnde ait pag. 65. "Et re vera locus iſte *non poteſt intelligi de Filio Dei ad intra*, ſed ſolum de Filio Dei humanato &c. reſcribendo hic ſcripta.

Meum igitur erit oſtendere locum Eccli. 24. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum, & qui creauit me requieuit in tabernaculo meo*: intelligi poſſe, & debere de Filio Dei ad intra genito.

Et primò S. Euariſtus ſæpè citatus particulam Eccli. *Qui creauit me*, expoſuit cum communi ſenſu Eccleſiæ, *qui genuit me*, de generatione Filij ad intra; Licetus dicit non poſſe exponi de Filio Dei ad intra. Ergo ore nefaſto declarationem Pontificiam Licetus reprobat, vt falſam, & impoſſibilem.

2 Albertinus, de agnoſcendis aſſertionibus qu. 22. num. 49. car. 97. Fac. 2. hanc rem tractauit. Cuius verba integrè huc adſcribo, vt appareat vanitas Liceti, aut veritas. "Decimo ſexto temerarium, & blaſfemum eſt aſſerere, quòd liber ſapientiæ Salomonis, hoc eſt cap. 24. Eccli. ſecundum ſenſum litteralem, non poteſt intelligi de ſapientia æterna, ſed de Virgine Maria; nam prout inquit Vgo Cardin. ibi, illius cantici ſunt ſeptem ſolemnes expoſitiones, quæ ſunt ſeptem columnæ domus ſapientiæ, de quibus dicitur prouerb. 9. Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem. Prima eſt de Sacra ſcriptura & infuſa vniuerſaliter, hoc eſt de theologia & ancillis eius. Secunda de ſapientia genita, & humana, id eſt de Chriſto, quæ eſt Dei virtus, & Dei ſapientia 1. Corinth. 1. Tertia eſt de beata Virgine. Quarta de Eccleſia. Quinta de fideli anima. Sexta de angelica natura. Septima de Salomone. Sunt qui dixerunt, quod dictum capitulum eſt exponendum de lege veteri, & noua: quæ dicitur ſapientia diuina, quia non eſt humanitus inuenta, ſed diuinitus reuelata. Ad hoc autem allegant, quod dicitur in eodem cap. *hæc omnia liber vitæ, & teſtamentum Altiſſimi, & agnitio veritatis*. Sed prout Liran. ibi dicit. Hoc non videtur rationabiliter dictum, nam in perſona ſapientiæ, de qua ſit hic ſermo, dicitur in d. cap. Ego feci in cælis, vt oriretur lumen indeficiens. Quod factum fuit à principio creationis mundi; lex autem Moyſi poſteà fuit data Exodi XX. quaſi per duo millia annorum

Albertinus.

norum & poſtea noua per tantum tempus, & amplius. Præterea de eadem ſapientia, de qua fit ibi mentio, dicitur. Ab initio, & ante ſæcula creata ſum, quod non poteſt dici de lege veteri, vel noua. Item hæc expoſitio fauere videtur errori Iudæorum, qui fingunt, legem veterem creatam fuiſse ante mundum, prout latè ego ſcripſi in Rubric. de hæret. lib. 6. colum. ccxxij. verſic. Septimus error Iudæorum eſt. Propter quod dicendum eſt ſecundum Liran. quòd in d. cap. agitur de ſapientia diuina perſonaliter dicta, quæ eſt ſapientia genita. Vnde in eius perſona dicitur. Ego ex ore Altiſſimi prodij primogenita ante omnem creaturam; prodire autem ex ore Altiſſimi, & per modum geniti, vel nati, eſt proprium Filij, qui eſt ſapientia genita, propter quod communius dicitur ſecundum Liran. Eccli. cap. 1. quod author in d. cap. 24. Loquitur de ſapientia genita. Non obſtat, niſi dicatur quod in d. cap. dicitur, *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum*, quod non conuenit Filio Dei, quia in ſymbolo fidei dicitur increatus Pater, increatus Filius &c. & creare eſt de nihilo facere, vt Zacha. 12. Dominus extendens cœlum, & fundans terram, & fingens hominis ſpiritum in eo, & Amoſ. 4. Ego formans montes, & creans Spiritum, & Geneſ. 1. In principio creauit Deus cœlum, & terram; & Scotus in 2. d. 1. q. 2. dicit, quod propriè creare eſt de nihilo .i. de non materia aliquid facere; & S. Thomas in 3. ſent. diſt. 6. art. 1. ad primam declarans illud ab initio, & ante ſæcula creata ſum dicit, quod intelligitur de ſapientia creata, ſcilicet natura angelica, quæ eſt ante temporalia ſæcula, & ſi non duratione, tamen ordine naturæ. Vel intelligatur de Filio Dei quantum ad naturam aſſumptam, quæ & ſi ante ſæcula creata non fuerit, fuit tamen ab æterno præuiſa creari, vt exponit ibi Vgo Cardin. Ad hæc dicendum eſt, quod propterea catholici Doctores exponentes illud Canticum, dicunt *creata*, ideſt genita, & ſic largè loquendo dicitur *creatio*, vt dicit Lyran. Eccli. c. 1. & ſuper cap. 24. exponit *creata* ſum, ideſt, ab eo accipiens eſſe per generationem, quæ largè loquendo dicitur creatio; & S. Thomas in 1. p. q. 41. art. 3. variè exponendo illum textum intelligi de ſapientia æterna, & in libro contra gentiles 4. cap. 8. Inde etiam eſt, quod verba poſita in d. c. 1. *prior omnium eſt creata ſapientia*, exponit Liran. prior .i. per æternam generationem producta, & quod iſte ſit intellectus authoris, videtur ex hoc probari, quod habetur in d. c. 24. antequam in perſona huius ſapientiæ loquens diceret ab initio, & ante ſæcula creata ſum, præmiſit dicens in perſona huius ſapientiæ. Ego ex ore altiſsimi prodij primogenita ante omnem creaturam, per hoc inſinuans quod huius *ſapientiæ creatio non eſt aliud, quam eius æterna proceſſio*. Loquutiones iſtæ, & conſimiles, non ſunt extendendæ, ſed magis cauendæ à fidelibus, quia fauere videntur errori Arij, qui dixit Dei Filium eſſe

puram

puram creaturam; ſi tamen inueniantur iſtæ loquutiones in dictis Sanctorum, vel in libris ſacræ ſcripturæ Canonicis, vel non Canonicis, receptis tamen ab Eccleſia ad legendum, qualis eſt iſte liber Eccli. vt dicit Hieronymus in prologo galeato, piè ſunt exponendæ: & de hoc dixi ſupra in 14. q. de multiplici autem expoſitione dicti car.1.& 24.ca. tradit S. Thomas in 1.p. q.41.art.3. ad quartum. „ Albertinus magni pendit authoritatem D. Thom. & Lirani.

Circa Diui Thomæ authoritatem obſeruetur ſecunda expoſitio, quæ ſolum declaratur, ac tertia, quæ & declaratur, & probatur. Ideò meritò à Thomiſtis, vt Albertino, Bellarmino, & alijs præeligitur. Liranus verò ſecundam expoſitionem reijcit non tamquam falſam, ſed tanquam non intentam ab authore Eccli. Reprobat etiam ex proceſſu capituli 24. in Eccli. nam in eo capite à principio vſque ad finem ponuntur prærogatiuæ ipſius ſapientiæ, ſic autem præuideri non eſt aliqua eius prærogatiua, quia conuenit omni creaturæ quantumcumque minimæ, nam ab æterno præuiſum eſt, quodcumque producitur in tempore.

Quia tamen Licetus turpiter agit contra tertiam expoſitionem Sancti Thomæ affirmans talem expoſitionem dari non poſſe; ideò recipiam documentum S. Thomæ in libro de fallacijs cap.22. dum docet ſecundum modum, quo committitur fallacia ſecundum quid ad ſimpliciter.

“ Secundus modus prouenit ex eo, quod determinatio addita pertinet ad actum animæ: nam aliqui actus animæ poſſunt eſse & circa exiſtentia, & non exiſtentia. Sicut hic, Chimæra eſt animal opinabile, ergo Chimera eſt animal non ſequitur. Nam opinabile additum animali diminuit de eius ratione.

Simile eſt hic, Cæſar eſt in memoria hominum, ergo Cæſar eſt. Et iterum, tu habes felicitatem in voluntate, ergo tu habes felicitatem. „

Sic exponitur à Liceto textus ſcripturę. Ante ſęcula prçuidetur creata humanitas Chriſti; ergo ante ſęcula cerata eſt humanitas Chriſti, quare talis expoſitio non eſt ſolida. In textu *creata ſum*, eſt prædicatio in eſse ſimpliciter: in expoſitione eſt in eſse ſecundum quid.

Item, vt aduertit Salmeron, in hoc verſiculo tribuitur æternitas ſapientiæ genitæ, & creatæ tum à parte ante. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum*: tum à parte poſt. *Et vſque ad futurum ſæculum non deſinam*: quæ duo contra Arij hæreſim efficaciter probant de Filio ſecundum rationem diuinæ naturæ, & perſonæ. Nec duo iſta de Chriſti humanitate dici poſſunt. Nam humanitas Chriſti cœpit momento incarnationis, & deſiuit momento mortis Chriſti. Fiat argumentum ab expoſitione ad expoſitum textum. Præuidetur ab æterno creandum, ergo ab æterno creatum eſt. Fallacia eſt à ſe-

cun-

cundum quid ad ſimpliciter. Poſſet notari etiam Fallacia accidentis per tradita à S. Bonauentura 1. d. 47. q. 4. & per Scotum 1. d. 2. q. 2. T. Aliæ enim ſunt conditiones actus diuini, qui eſt præuiſio: aliæ conditiones rei præuiſæ; præſcire eſt ab æterno: præſcire eſt de re creata, ergo res creata eſt ab æterno. Iſtud conſequens eſt falſum in omnibus rebus creatis propter Sophyſma accidentis. Sic à Liceto committitur, vt Sapientia dicat ab æterno præuiſa ſum creari, ergo ab æterno creata ſum.

Bald. Defendet ſe Termaximus, quia ſic Gloſſa ordinaria, & D. Thomas exponunt.

Matth. Callida pietas fœdè tractat D. Thomam; primo, quia ponit in doctrina S. Thomæ repugnantiā, quaſi confutet ſe ipſum, dando ſecundam expoſitionem, quæ repugnat tertiæ. Secundò, quoniam tertia expoſitio, quæ à D. Thoma eſt probata, à Liceto eſt reprobata. Nam hæc attributa Eccli. non *reſpiciūt* vlla *ratione Filium Dei ad intra*. car. 33. " Et locus iſte re *vera non poteſt intelligi de Filio Dei ad intra* pag. 65. legatur etiam pag. 180. & 303. tertiò, quia nunc Termaximus aſſerit ſecundam expoſitionem D. Thomæ, & reprobat tertiam: inferius approbabit tertiam ſæpè contra me inſtabilis, ergo & in ſe, & in ordine ad S. Doctorem non debet ſub vmbra S. Doctoris refugere.

Quanquam ex regula Beati Thomæ 1. part. q. 68. art. 1. cum ſcriptura multipliciter exponitur; non eſt præcisè inhærendum vni reſponſioni, ſi eam ratio, vel authoritas excluſerit.

Sequitur de Lirano dicere, viro in ſcripturis potente, qui in Eccli. 24. ad ver. 5. ſcribit.

Ego ex ore Altiſſimi. " Hic conſequenter deſcribitur Sapientiæ genitæ generatio, & primo generatio æternalis ex Patre, ſecundo temporalis ex Virgine: ibi poſuit Dauid. „Qua propter textus Eccli. à verſu 5. vſque ad 34. incipientem *Poſuit Dauid*, eſt de verbo non incarnato. Totum ergo citatum per Licetum à verſ. 12. ad 18. Liranus expoſuit quantum ad diuinitatem, non quantum ad humanitatem Chriſti. Nolo ſingula diſcutere, nec eadem decies repetere, vt Licetus: ſolùm expono verſ. 12. & 14. cum Lirano.

Verſ. 12. *Et qui creauit me*, ideſt æternaliter generando dedit eſſe: quod largè quidem poteſt dici creatio, vt diffuſius dictum fuit ſupra cap. 1. exponendo illud Prior omnium creata eſt Sapientia.

Verſ. 14. *Ab initio & ante ſæcula*. Hic conſequenter, &c. Præmittitur tamen hic ſapientiæ genitæ æternitas, vt per hoc oſtendatur cauſa ſufficiens ſtabilitatis in alijs. Dicit igitur *Ab initio* per hoc non poteſt intelligi initium temporis, quia ſubditur *& ante ſæcula*: ſed intelligitur ipſe Pater, qui eſt principium emanationis perſonarum; *Ante ſæcula* ideſt æternaliter, quia Filius æternaliter procedit à Patre; *Creata ſum*. ideſt ab eo accipiens eſſe per generationem, quæ largè loquēdo po-

do poteſt dici creatio, vt plenius eſt dictum ſupra in 1. capite. „ Iſta cum Lirano dicta ſint pro ſenſu genuino Eccli. Cum Lirano iſtos verſus de generatione æterna accipiunt ſequentes Doctores.
Salmeron tom. 13. qui eſt ſuper Epiſtolas Pauli lib. 1. pag. 133.
Bonartius in Prolegomenis ad Eccli. regula 34. & ad cap. 24.
Didacus Ruiz de Trinitate diſput. 96. ſect. 5.
Pererius in Geneſim. lib. 1. diſput. vlt.
Auerſa 1. p. q. 45. ſect. 1.
Bonacina de Incarnatione car. 66.
Becan. de Incarnatione car. 10.
Valentia tom. 1. colum. 805.
Molina 1. p. q. 45. art. 1.
Aretinus in Comment. ſcholaſticis ſuper Geneſim pag. 2.
Baradius hiſtor. Euangelica tom. 1. car. 250.
Ianſenius in Prouerb. 8.
Capulſius in 2. ſent. car. 7.
Ioannes à Pinna in Eccli. 24.
Angles in Flor. 2. car. 2.
Ferrarienſis 4. contra gentes cap. 8.
Bellarminus lib. 1. de Chriſto cap. 18. & alij multi.
Caput autem illud in 1. p. de Filio Dei accepere Synodus. Franfor. in Epiſtola ad præſules Hiſpaniæ tom. 3. Concil. car. 649.
S. Sixtus 2. Epiſt. 1. 1. tom. Concil. car. 414.
S. Marcellinus Papa tom. 1. Concil. car. 436.
S. Euariſtus in 1. tom. Concil. car. 312.
S. Auguſtinus de quinque hæreſibus tom. 6. car. 15.
S. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 1.
S. Maxim. Taurin. homil. 2. de Paſcha car. 219.
Lactantius lib. 4. cap. 8.
Magiſter Sent. 1. d. 2. & ibi Sancti Thomas, & Bonauentura atque hæc ſint ſatis contra Licetum, dicentem iſtos verſiculos non poſſe intelligi, niſi de ſapientia incarnata.

Obſeruatio centeſimaſeptima.

Bald. " IAm ergo ſatis conſtet, opinionis nouæ ſyllogiſmos præcipuos, abs te mihi propoſitos ad trutinam, optimè Balde, carere neceſſitate probationis, probabilitateque ſuaſionis, vt obnoxios cenſuræ D. Auguſtini poſterius afferendæ; ac eſſe paralogizantes; vt & alij, de quibus infra, vbi naturam intimam, & differentias omnes creationis introſpexerimus, & explicauerimus. „ ex licet. pag. 34. lin. 2.

Matth. Quæ in me dicit Licetus, in ipſum dicenda ſunt, qui ſyllogiſmos tam deformes fecit, & mihi impoſuit. Deus illi ignoſcat, qui me

compulit tempus conſumere in his Liceticis, quæ nullam habent ſpeciem probabilitatis. Peregi tamen, ne quemquam callida pietas ſub ſpecie rei, non re fallat. Tu interim, erudite Balde, dicito, an in iſto capite Licetus erexerit aliquem ſyllogiſmum in forma contra me.

Bald. Nullum erexit in forma ſiue pro te, ſiue contra te.

Matth. Dic iterum, vtrum in iſto capitulo dixerit, Filium Dei eſſe Deum, aut eſſe verum Deum, aut natura Deum?

Bald. Non dixit.

Matth. Nec Iudæi dicunt, pro quibus tàm multa ſemina in hac epiſtola ſparſit Licetus: quorum aliqua colligam; nam ille nimis callidus multa ſeminauit, quæ fortè ego non deprehendo; cum tempore tamen zizania ſe ſe oſtentabunt.

Primum ſemen Iudaiſmi ſuperſeminatum à Liceto.

IN pag. 100. Licetus affert perfectiones, & imperfectiones generationis, vt perfectiones transferantur ad Deum, imperfectiones remoueantur.

Pag. 100. lin. 18. "Sed imperfectiones generationis ſunt, primum quod ponat diſcrimen reale inter generans, & genitum, tanquam inter duo ſuppoſita numero diſtincta. Nihil enim phyſicè ſemetipſum generat."

Hæc propoſitio Liceti manifeſtè negat in diuinis diſcrimen reale inter generans, & genitum, tanquam inter duo ſuppoſita numero diſtincta. Demonſtratio in forma ſic erigetur. Nihil, quod dicat imperfectionem, eſt ponendum in Deo.

Sed generatio dicit hanc imperfectionem, quòd ponit diſcrimen reale, inter generans, & genitum, tanquam inter duo ſuppoſita numero diſtincta. Ergo in diuinis non eſt ponendum diſcrimen reale inter generans, & genitum, tanquam inter duo ſuppoſita numero diſtincta.

Iſta concluſio Liceti negat diſtinctionem realem inter Patrem, & Filium: negat generantem Patrem, & Filium genitum eſſe duo ſuppoſita numero diſtincta; & conſequenter non remanent in diuinis tria ſuppoſita; quæ eſt intentio iudaiſmi.

Secundum ſemen Iudaiſmi.

IN pag. 100. Licetus numerat perfectiones generationis, ad Deum transferendas, reſectis imperfectionibus.

Pag. 100. lin. 15. "Secunda perfectio generationis eidem Ariſtoteli

(1. de Anima 34.35.) eſt, quod continuet, conſeruetque ſemper τὸ generatorum eſſe ſaltem in ſpecie." Ex hac Liceti propoſitione aufertur generatio à diuinis, & ex conſequenti generans, & genitum, quibus ſublatis, nec remanebit Spiritus ſanctus, qui ab eis procedit.

Argumentum ita colligo. Si generatio eſſet in diuinis, haberet iſtam perfectionem præcipuam, & finalem, quod continuet, conſeruetque ſpeciem, & eſſe generatorum in ſpecie. At iſte finis, ſiuè iſta perfectio eſt impoſſibilis in diuinis; Ergo in diuinis non eſt generatio, non generans, non genitum: Non Pater, non Filius. Ergo nec Spiritus ſanctus; quæ eſt intentio iudaiſmi nouelli. Probatur minor, natura ſpecifica, vel quaſi ſpecifica in diuinis eſt Deitas, quæ eſt ex ſe neceſſe eſſe, ex ſe incommutabilis, inuariabilis, incorruptibilis, inuertibilis. Hæc eadem Deitas per relationes originis, vel generantis, vel generati, ſiue per generationem nullam recipit, aut recipere poteſt continuationem, vel conſeruationem eſſendi. Imò omnem perfectionem eſſendi formaliter dat perſonis, & identicè relationibus: nil autem Deitas recipit perfectiónis à generatione. In nobis deſtruitur natura genitoris, & propter hoc, per generationem continuatur natura, conſeruaturque in genito: conſeruatur, inquam, quoad ſpeciem, non quoad ſingulare. Sed Deitas, quæ eſt natura diuina, non eſt in Patre corruptibilis, quare non indiget, imò nec poteſt per generationem conſeruari.

Denique, Pater æternus ex plenitudine perfectionis communicat ſuam eſſentiam, & ſuum eſſe ſimpliciter Filio, non vt conſeruationem eſſendi, vel continuationem, vel perfectionem acquirat. Cum ergo ſit impoſſibilis in Deo iſte finis ſecundum veritatem, tàm apud Iudæos, quàm apud Chriſtianos: & generatio ſecundùm Licetum habeat hanc perfectionem. Igitur generatio non poteſt eſſe in diuinis. Cui enim repugnat perfectio generationis, eidem repugnat generatio. Sed Deo repugnat hæc perfectio generationis. Ergo repugnat Deo generatio. Concluſio hæc gratiſſima Iudæis, Chriſtianis eſt odioſiſſima.

Tertium ſemen Iudaiſmi.

PAg. 101. lin. 23. Licetus ſcripſit. "Creatio ſimiliter complectens omnes perfectiones, abſque penitus vlla imperfectione, creationi propriè, ac vniuocè dictæ eſſentiali eſt illa, quæ fit ab vnico creante ſimpliciter, & abſolutè, ſine vlla pluralitatis ratione, producente creaturam, ſine creantis vlla mutatione pariter &c."

Licetus ponit tanquam eſſentialem imperfectionem in creatione,

ſi in creante ſit aliqua ratio pluralitatis, ſed requirit, vt ſit vnicum creans ſimpliciter, ſi debet eſſe ſine imperfectione. Sed Chriſtiani aſſerunt, in omni creatione ad extra adeſſe tres creantes, & rationem pluralitatis hypoſtaticæ, rationem pluralitatis realis, & diuiſæ in tribus. Quare ſi ad rationem creationis perfectam requiritur, vnicum creans, ſine vlla ratione pluralitatis: iam Chriſtiani ponendo creationem in Deo, includunt in Deo imperfectionem, quia pluralitatem includunt, & rationem pluralitatis: excludunt item rationem perfectionis in creante, quia non conſtituunt vnum creans, ſed tres creantes.

Tunc argumentor pro Iudaiſmo. Quod excludit perfectionē à Deo creante, & includit imperfectionem: omnino non eſt ponendum in Deo. At ponendo tres creantes, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, excluditur vnicum creans, quod dicit perfectionem: includuntur tres creantes cum ratione pluralitatis, quæ dicit imperfectionem: igitur tres creantes, Pater, Filius eſt Spiritus Sanctus, nullatenus ſunt ponendi in Deo. Hæc concluſio eſt Iudaiſmus nouellus.

Quartum ſemen Iudaiſmi.

FRequenter Licetus affirmat eſſe Arianam iſtam propoſitionem. *Verbum eſt ad intra productum.*

Pag. 65. lin. vlt. « Quæ non animaduertiſſe videtur Arius, nec noua opinio ponens hoc oraculum (Eccli. 24.) haberi de Verbo ad intra producto.» Igitur Arius aſſeruit Verbum eſſe productum ad intra. & dicit, quod Arius intellexit illud Eccli. 24. *Ante ſæcula creata ſum*, de Verbo ad intra producto.

Pag. 198. lin. 25. « Verumenimverò ſi dare voluerimus Ario ſimul, & opinioni nouæ Salomonem in eo loco Prouerb. agere de ſola productione verbi ad intra, non autem de conſtitutione Verbi in creatorem, vt vidimus (quod illis diſputationis ergo damus, non concedimus vllo pacto) habebimus nihilominus in ſacra pag. &c.

Repetit eſſe propoſitionem Arij Verbi productionem eſſe ad intra; & Arium de ſola productione Verbi ad intra intellexiſſe illud Salomonis dictum Prouerb. 8. *Dominus creauit me.*

Pag. 199. lin. 27. « Sic ergo conſtat apertiſſimè, Prouerb. oraculum allatum ab Ario pridem, & ab opinione noua recenter inculcatum ad ſuorum dogmatum confirmationem, nihil omnino fauere ſententijs eorum.»

Conſtituentium Filium Dei ad intra creatum eſſe propriè dicta creatione theologicè, quæ ſit eiuſdem Verbi diuini productio quantum ad eſſe ſimpliciter.

In iſta ſententia Liceti ponuntur duæ propoſitiones, tanquam Arianæ.

1 Filius Dei eſt ad intra creatus creatione propriè dicta; theologicè, eſt Arij dogma.

2 Creatio iſta popriè dicta theologicè eſt productio Verbi quantum ad eſſe ſimpliciter. Hæc ſecunda declarat mentem Liceti, ſcilicet, quod Verbum eſſe productum ad intra, & in eſſe ſimpliciter, ſit Arij dogma. quoniam iſtam productionem Verbi ad intra, & in eſſe ſimpliciter Arius creationem appellauit.

Pag.200. lin. 6. " Quare Verbum à Patre Deo genitum eſt non propriè creatum ante ſæcula, ſed impropriè, communiter, & abuſiuè. Nimirum non creatum ad intra quantum ad eſſe ſui, ſicuti voluit Arius olim, & opinio noua noſtræ tempeſtatis: ſed creatum Creator omnium creaturarum.

In hoc dicto Licetus diſtinguit eſſe Verbi, & eſſe creatoris, & Ario attribuit creationem Verbi ad intra quantum ad ſui eſſe, ſibi retinet creationem verbi quantum ad eſſe creatoris omnium. Sed eſſe Verbi, & eſſe creatoris ſunt duo prædicata eſſentialia, communia tribus; niſi fortè Licetus velit loqui non de ipſo eſſe ſimpliciter, quod Verbo in eſt, ſed de eſſe perſonali. Sed credo ex præcedentibus citationibus, Licetū loqui de ipſo eſſe ſimpliciter, & eſſentiali.

Pag.201. lin.12. " Itaque contra communem orthodoxorum Patrum ſententiam, concilij Niceni, catholicæque ſanctæ Matris Eccleſiæ ſanctionem, militant Arius, & opinio noua, dum ex allato prouerbiorum textu colligere conantur, Verbum diuinum ad intra, Filiumque Dei proprijſſimè creatum eſſe ſimpliciter; Arius quidem ex nihilo, noua verò opinio ex præſuppoſito principio permanente in Filio producto.,,

Si Licetus legiſſet ſanctionem concilij Niceni, & Eccleſiæ in concilio illo loquentis: diceret, in illo concilio nihil eſſe ſancitum de vocabulo *creationis*, nec fuiſſe de Verbo diuino affirmatum, vel negatum vocabulum *creatum*. Sed Licetus ſibi fingit concilia, & conciliorum ſanctiones, grandi cum peccato, impugnando veritatem agnitam, & à me illi indicatam. Sed nunc aliud agimus. Attribuit Ario, quòd poſuerit Verbum eſſe productum ad intra. Similiter in toto libro dum attribuit Ario, & mihi quaſi dixerimus Verbum eſſe creatum ad intra, intelligit eſſe productum ad intra, & ſignatè pagin. 18. Quando dicit meam opinionem eſſe prorſus contrariam concilio Niceno; ſed mea opinio continetur his duabus propoſitionibus. Filius Dei non eſt productus ex nihilo ſed eſt productus de ſubſtantia Patris præſuppoſita, & interna in Filio producto. Iſtæ duæ propoſitiones, quæ ſunt ipſius concilij Niceni, dicuntur à Liceto eſſe prorſus contrariæ Concilio Niceno, & omnino ~~commicantes~~ cum Ario. communicantes

Illud mirabile eſt, quod ex Liceto pag. 201. Concilium damnauerit

duo

duo contradictoria. *Eſſe productam ex nihilo*, eſſe productum ex aliquo præſuppoſito; ſiuè quòd damnauerit eſſe creatum ſeu *ex aliquo*, ſeu *ex nihilo*; quare apud Licetum neutrum contradictorium eſt verum, & vtrumque contradictorium eſt propriiſſimè dictum.

Veniamus ad iudaiſmum. Iſta propoſitio. *Verbum eſt productum ad intra*, damnatur vt Ariana. Similiter ei æquiualens, ex declaratione à Liceto facta, ſcilicet iſta: Verbum eſt creatum ad intra, ideſt productum de ſubſtantia Patris in eſſe ſimpliciter, damnata eſt vt Ariana.

Tunc formo demonſtrationem. Nullus Catholicus debet credere, vel confiteri propoſitiones Arij damnatas à concilio Niceno.

Sed iſta propoſitio. *Verbum eſt productum ad intra*, eſt propoſitio Arij damnata in concilio Niceno. Ergo nullus catholicus debet concedere, quòd Verbum ſit productum ad intra. Ita multi credunt Licetum dicere vera, & in iudaiſmum incidunt. Si enim Pater non producit Verbum ad intra, & Verbum non eſt productum ad intra in Deo: ergo in Deo non ſunt Pater, & Filius ad intra. Si Pater, & Filius non ſunt in Deo ad intra: ergo neque producunt Spiritum ſanctum ad intra. Itaque intra vnum Deum non ſunt Pater, Filius, Spiritus ſanctus, neque tres perſonæ, vt Chriſtiani volunt. Sed eſt vnus Deus, & non Trinus, ſicut aſſerit Iudaiſmus nouellus.

Quintum ſemen Iudaiſmi.

LIcetus ad placitum proprium diſtinguit vocabulum *creatio* in ſex ſignificata, quorum primum dicit eſſe, creationem alieniſſimè ſumptam, in pag. 36. lin. 25. de iſta ſignificatione creationis alieniſsimè tractat in toto cap. 5. eamque deſcribit in pagin. 38. lin. 1. Sic alieniſſima creationum differentia; ~~eamque pagin. 38. lin.~~. "Sumitur pro qualibet mutatione cuiuſque rei, etiam non eſſentiali, ſed accidentali quauis operatione." Verùm in pag. 39. lin. 30. iſtam creationem alieniſſimam ponit in Filio Dei ſub his verbis. "Sed & in ſacra pagina legitur conſimile teſtimonium eiuſdem alieniſſimæ creationis, quando Deus Pater *Filium ab ſe genitum creauit principium viarum ſuarum*, & in pag 41. aſſerit hanc creationem in Filio authoritate Cyrilli.

Pag. 202. lin. 12. " Iam prima concluſio deducitur ex antea demonſtratis: Filius Dei ad intra creatus eſt primo modo creationis alieniſſimæ, ſuperius oſtenſum abundè fuit, intelligi debere prouerbiorum oraculum: Dominus poſſedit me, ſiue creauit me initium viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio, quia Pater genitum ab æterno Filium, antequam quicquam in mundo faceret con-

conſtituit, atque creauit vna ſecum creatorem rerum omnium, atque ſic operum ſuorum principium effectiuum: quam concluſionem hauſimus ex D.D. Auguſtino, Nazianzeno,& Cyrillo.„

Proſequor argumentum. Creatio primo modo, & alieniſſima ſumitur pro qualibet mutatione cuiuſque rei, etiam non eſſentiali, ſed accidentali, ex pag.38. lin. 1. Sed Filius Dei eſt creatus, iuxta ſcripturam, & Patres citatos ad pag.202. & in cap.5. diffuſe hac creatione alieniſſima primo modo ſumpta: igitur Filius Dei eſt creatus, ex ſcriptura, & Patribus, creatione, quæ eſt mutatio eſſentialis, vel accidentalis.

Porrò, nullus Chriſtianus, nullus Iudæus concedet in Deo ad intra eſſe aliquam mutationem accidentalem, vel eſſentialem: neque concedet aliquid in Deo ad intra eſſe productum per mutationem: ergo nullus Chriſtianus, vel Iudæus concedet in Deo eſſe Filium productum ad intra; ſi autem Filius non eſt ad intra, nec Pater eſt, à correlatiuis; igitur in Deo non eſt Trinitas perſonarum, & rurſus Iudaiſmus enaſcitur.

Sextum ſemen Iudaiſmi.

PAg.140. Licetus diſtinguit eſſe eſſentiæ, & eſſe exiſtentiæ, quæ conueniunt omnibus rebus: & quæruntur per quæſtiones, quid eſt, & ſi eſt pag.140.lin.9.“ Hoc vtrumque eſſe ſimul quidem terminat integram, & perfectam productionem cuiuſque rei: namque productio eſt mutatio rei de non eſſe ad eſſe, tùm exiſtentiæ, tùm eſſentiæ, naturæque ſuæ propriæ„ Certè in diuinis reperitur eſſe eſſentiæ, & eſſe exiſtentiæ, & de Deo quoque mouentur quæſtiones ſi eſt, & quid eſt.

Argumentor pro Iudaiſmo ex iſto ſermone Liceti. In quocumque ponitur productio, in eodem ponitur definitio productionis. Sed in Deo ponitur productio Filij, & Spiritus Sancti perfecta, & integra, igitur in Deo ponitur definitio productionis.

Iam verò productio ſic definita eſt à Liceto. Productio eſt mutatio rei de non eſſe ad eſſe, tùm exiſtentiæ, tùm eſſentiæ. ergo in Deo eſt mutatio Filij, & Spiritus ſancti, de non eſse ad eſse, tum exiſtentiæ, tum eſſentiæ. At eſt ſimpliciter impoſſibile, vt in Deo ſit mutatio vel eſsentiæ, vel exiſtentiæ, vel cuiuſcunque formaliter exiſtentis in Deo. Igitur eſt ſimpliciter impoſſibile, in Deo reperiri productionem Filij, & Spiritus Sancti; quare impoſſibile eſt, reperiri Trinitatem perſonarum. Quam concluſionem progerminat Iudaiſmus nouellus.

Septimum ſemen Iudaiſmi.

PAg.160. lin.7. de Hilario ait. « Declarans nnmero quintam fidei definitionem, à Concilio promulgatam ait, Filium Dei æternum dici tum genitum à Patre, tùm etiam creatum ſed diſtinctis planè rationibus, genitum quidem, quatenus productus eſt ex ſubſtantia Patris, Creatum verò quatenus à Patre productus eſt abſque producentis vlla mutatione. „ Et infra.

Lin.26. «Vnde nihil magis abeſt à ſenſu Catholico Patrum orthodoxi concilij memoratorum, quàm dicere Filium æternum Dei creatum eſſe ex aliquo, quia productus ſit ex ſubſtantia Patris, cum hoc ad generationem Filij pertineat, quatenus contra diſtinguitur *eſſentialiter ab eius* creatione, quæ tota conſiſtit in ſola producentis immutabilitate. „ Non poterat Licetus ponere apertius pro Iudæis ſolutionem ad argumentum, quòd Apoſtoli, & Apoſtolici viri conſtruxerunt contra Iudæos, ex Prouerb.8. Dominus creauit me principium viarum ſuarum. Arguebant verò, quod Chriſti perſona ſit Deus, & quòd in Deo ſunt duæ perſonæ. Pater, qui creat, & Filius, qui creatur, ſic arguebant Apoſtoli in 5. Conſtit. Apoſt. cap. vltim. & item Clemens, Ignatius, Iuſtinus, Cyprianus.

Similia Licetus pag.106. lin.14. cõmunicatio naturæ non ſpectat ad eſſentiam creationis.

Reſpondet virtualiter Licetus, quòd creatio illa in Salomone dicta eſt eſſentialiter diſtincta à generatione, quo circa, & Filius tali creatione creatus, eſt res eſsẽtialiter diſtincta à Deo, & nõ eſt Deus. Quinimo nec Iudæi, nec Chriſtiani tolerabunt vnquam, vt in Deo dicantur eſſe aliqua diſtincta eſſentialiter, Quæcumque enim in Deo ſunt, ſunt vna eſſentia, ſunt vnum eſſentialiter. Si ergo ſapientia creata ex Prouerb.8. creatur creatione diuerſa eſſentialiter à generatione Filij; quia creatio paſſiua, & res creata ſunt idem; ideò & ſapientia creata in Prouerb.8. non eſt Deus, ſed res eſſentialiter diſtincta à Deo. Mirorque vehementer à Iudicibus fidei fuiſſe approbatum hunc librum, in quo Filius Dei dicitur eſſe productus duplici productione eſſentialiter diſtincta, quarum vtraque ex mente Liceti eſt ad intra. Dixi ex mente Liceti, quatenus verba ſonant, nam quatenus ad eius intentum ex iſtis ſeminibus Iudaiſmi ſpectatum, intendit ponere Filium Dei eſſe productum ad extra, non ad intra. Vnus eſt Deus eſſentialiter Deuter.6. & quæ ſunt vnum eſſentialiter in Deo ſunt ad intra, & extra Deum non eſt Deus, ſed omne aliud à Deo eſt extra 1. Reg.2. *Neque enim eſt alius extra te.* Iſaia 45. *Ego Dominus, & non eſt amplius: extra me non eſt Deus.* Igitur manifeſtè impietatis eſt ponere Deum aliquem, qui ſit extra vnum, & ſolum verum Deum eſſentialiter. At ſubiungent Iudæi. Chriſtiani ponunt eſſe Deum extra Deum, ſcilicet Filium Dei eſſentialiter diſtinctum, & creatione eſſentialiter diſtincta creatum à Deo.

Octauum

Octauum ſemen Iudaiſmi.

LIcetus diuerſis in locis ponit generationem, & creationem Filij habere ideam.

Pag. 108. lin. 18. "Ex quibus patet orientale concilium Orthodoxum, & ex eo D. Hilarium in productione Verbi ad intra generationis ideam cum eſſentia creationis minimè confundere,, Sic in pag. 27. lin. 24. ponit ideam creationis.

Pag. 160. lin. 20. "Qui ergo dicit, Filium æternum Dei creatum eſſe ex aliquo, quia productus eſt ex præſuppoſita ſubſtantia Patris, contra decreta concilij confundit rationem creationis cum idea generationis in Filio: quæ duo Patres illi Catholici voluerunt eſſe diſtincta.,,

Conſideremus rationem ideæ, & ideati. Idea, & ideatum diſtinguntur eſſentialiter, ſicut cauſa formalis exemplaris, & cauſatum formaliter exemplatum: forma enim duplex eſt, alia interna in cauſato formato, quæ tanquam pars eſſentialis conſtituit ipſum compoſitum. Alia eſt externa, ad cuius imitationem ipſum cauſatum formatur; quam diſtinctionem S. Bonauentura ſæpè recenſet 1. d. 19. num. 46. d. 34. num. 25. d. 35. num. 16. & in 3. d. 5. n. 2. Atqui patet ex doctrina communi de ideis in 1. d. 35. & 36. & S. Auguſtini 83. q. q. 46. Dubitant quidam, vtrum compoſitum formatum diſtinguatur eſſentialiter à forma internè conſtitutiua. Sed nemo dubitat, imò indubitanter conſtat, quod eſt formatum, & ideatum, eſſentialiter diſtinguitur à forma exemplari externa, quæ eſt idea. Ex iſto ſemine pro iudaiſmo contra chriſtianiſmum erumpit argumentum. Omne ideatum eſt eſſentialiter diſtinctum ab idea ſua. Sed generatio Filij Dei eſt ideata; habet enim ideam ſuam diſtinctam; Ergo generatio Filij Dei eſſentialiter diſtinguitur ab idea generationis. Ideæ verò omnium Ideatorum ſunt eſſentialiter in Deo, & Deus. Ergo generatio Filij non eſt in Deo, nec Deus, ſed eſſentialiter diſtinguitur à Deo.

Nonum ſemen Iudaiſmi.

LIranus ſuper 24. Eccli. argumentum contra Iudæos efficax format ex dicto: *Ego ex ore Altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam:* quare in Deo eſt perſona generans, & perſona genita, ideſt Pater, & Filius. Licetus calliditate ſumma vſus, tacito nomine Lirani, argumentum ſoluit, & ſoluendo exarmat chriſtianos, defendit Iudæos. Poſthac blandiens opinionem Lirani, quam confutauit, modo quodam proponit. Primò quidem authoritate irrefutabili (ſi vera eſſet citatio) oſtendit, particulam *Primogenita*

ante &c. non eſſe intelligendam de propria Filij Dei productione ad intra ſic.

Pag. 183. lin. 20. "Imò verò D. Paulus hic vocem primogenituræ ſumit, non pro Filij productione, ac origine; ſed pro dignitate, primatu principatus, atque dominij ſupra omnes creaturas. Ait enim Apoſtolus hunc locum Eccli. declarans. Cum gaudio gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filij dilectionis ſuæ; in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, redemptionem peccatorum, qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipſo condita ſunt vniuerſa, & in cœlis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt; & ipſe eſt ante omnia, & omnia in ipſo conſtant, & ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens. Itaque D. Paulus explicat Filium dici primogenitum omnis creaturæ, quia eſt primatum tenens, atque principium omnium creaturarum: quod attributum conuenit etiam Deo Patri, & Spiritui ſancto, quia tota Trinitas, Deus Trinus, & Vnus omnes creaturas condidit vt Dominus.

Qua ergo ratione Pater Deus dicitur eſſe primatum tenens omnium creaturarum abſque eo, quod inde colligi valeat, Patrem eſſe creatum; ita dicens Eccleſ. Filium eſſe principium, primatum tenens omnis creaturæ, nobis anſam non dedit aſſerendi, Filium eſſe creatum, neque creaturam vllo modo."

Obſeruatio 1. Licetus ſic arguit. Qua ratione Pater, primatum tenens, non poteſt dici creatus; ita nec Filius. Subſtitue pro voce, *creatus* vocem genitus; qua ratione Pater primatum tenens non poteſt colligi eſſe genitus; ita nec Filius colligi poteſt eſſe genitus. Sic Licetus excludit rationem, & concluſionem catholicam Lirani ſub authoritate S. Pauli ad Coloſſ. 1. Et tenens ſi ex primatu cauſalis primatus, non potes concludere tres perſonas, vel propria perſonarum. Quoniam primatus cauſalis ſpectat ad Deum, vt vnum, non vt Trinum. Imò ſi per impoſſibile in diuinis non eſſent tres perſonæ, ſed vna abſoluta: adhuc in Deo eſſet primatus cauſalis. De qua re S. Bonauentura in 3. d. 5. q. 4. & Scotus 3. d. 1. q. 1. & quolibet 8. Quam rem ſuper prima pagina Liceti amplè obſeruaui. Quoniam enim primatus cauſalis eſt communicabilis & indeterminatus ad tres perſonas: non concludit determinatam perſonam, aut proprium determinatæ perſonæ: neque concludit rationem geniti magis de Filio, quàm de Patre, vel de Spiritu Sancto. Soluta eſt ergo ratio Lirani contra Iudæos: reprobatus eſt Liranus authoritate S. Pauli incomparabiliter dignioris. Imò grauis accuſatio eſt,

quòd

quòd Licetus auſus ſit exponere primogenituram de generatione paſſiua Filij propria, & perſonali: cum S. Paulus expoſuerit de primatu cauſali, quod eſt prædicatum eſſentiale.

Obſeruatio 2. Eodem ſenſu, quo ſapientia Eccl. 24. dicitur primogenita, & Filius Coloſſ. 1. primogenitus: etiam Pater, & Spiritus dicuntur primogeniti à Liceto.

Animaduerto, quod Licetus rationem *primogeniti* æqualiter dat Patri, & Spiritui ſancto; & Pater affirmatur eſſe primogenitus authoritate S. Pauli. Patrem eſſe primogenitum eſt hæreſis horribilis, quam nec Ariani quidem dixere: imò ſolùm Patrem ingenitum eſſe dicebant, ſicuti teſtatur S. Cyrillus 11. Theſauri cap. 1. Diabolica excogitatio, ſi Pater eſt primogenitus, ergo & eſt genitus. Ergo ante Patrem datur aliquid generans Patrem, quia primogenitus de ſuâ ratione formali dicit affirmationem, & negationem; affirmationem relationis paſſiuæ geniti ad generantem: negationem prioris geniti; nam primum eſt, quod non habet prius, ſecundum illam rationem, ſecundum quam dicitur primum. Si ergo Pater eſt genitus, vel genitus eſt ab aliquo eſſentialiter diſtincto, vel genitus eſt ab aliquo perſonaliter diſtincto in eadem eſſentia Deitatis Patris. Si dicatur genitus ab alio eſſentialiter diſtincto. Ergo ante eſſentiam Deitatis, datur alia eſſentia prior, in qua ſubſiſtit principium generans Deum Patrem. Si genitus eſt ab alio diſtincto perſonaliter: Ergo ante Patrem genitum in Deo eſt alia perſona generans, quæ etiam eſt Pater, habebimuſque Patrem ante Patrem in infinitum, ſimulque numerus perſonarum trium exceditur, & omnibus modis læditur fides catholica, ſi Pater æternus aſſeratur primogenitus.

Obſeruatio 3.

Si Spiritus ſanctus eſt primogenitus, ergo Filius, & Spiritus ſanctus ſunt duo geniti; ſed quomodo vterque eſt primus? Filius ordine originis eſt prior Spiritu ſancto. Ergo Spiritus ſanctus eſt ſecundogenitus, & Spiritus ſanctus etiam erit Filius. Verè tamen Spiritus, nec eſt genitus, nec primogenitus, ſed hoc dicere eſt hæreſis.

Obſeruatio 4.

Confundit Licetus prædicatum proprium Filij, & notionale cum primatu eſſentiali, & cauſali communi tribus. Eſſe genitum, & genitum, antequam nullus eſt genitus, nullus productus, eſt proprium Filij; atque hoc dicitur in Eccl. 24. de ſapientia, primogenita ante omnem creaturam, & Coloſ. 1. Primogenitus omnis creaturæ. Si auferas hoc proprium Filij, ergo Filius non eſt. Si Filius non eſt, nec Pater eſt, nec Trinitas eſt: & Iudaiſmus fundatus eſt.

Obſeruatio 5.

Licetus confundit intentum finem ab Apoſtolo, & ea, quæ ad finem dicuntur. Concludit Apoſtolus de Filio, *vt in omnibus primatum teneat*: non ſimpliciter, ſed primatum fundatum in ratione *primogeniti*. Nec enim Filius habet primatum reſpectu Patris; ſed habet primatum reſpectu omnium productorum, ſiuè ad intra, ſiuè ad extra. Nam genitus eſt primus omnium in genere producti: vnde comparatio fit ratione ſuperlatiui *primus* ad ea, quæ ſunt eiuſdem generis, ſcilicet ad omnia producta. Secundo habet primatum in

omnibus rebus cauſatis, quia eſt principium efficiens per *quem* & in *quo* omnia creata ſunt. Tertiò, habet primatum in tota Eccleſia, cuius ipſe Filius incarnatus eſt principium. Quartò habet primatum in reſurgentibus, quia primus ex mortuis reſurrexit, tamquam principium reſurgendi ex mortuis. Vnde eſt comparatio primatus in omnibus productis, in omnibus cauſatis, in omnibus Eccleſiæ partibus, in omnibus reſurgentibus, & ſecundum varias rationes primatus eſt varia comparatio facienda iuxta rationem rectè comparationis; & aliquis primatus conuenit Filio præcisè in Deitate, aliquis Filio ſubſiſtenti in humanitate. Primatum ergo in omnibus tenet Filius, excepto Patre, quia Filius eſt origine poſterior, vt *imago* Patris, & vt *primogenitus* Patris.

Nec *primus*, & primatus ſunt nomina eiuſdem rationis; *Primus* eſt ſuperlatiuum, vndè poſtulat ſuperare in rebus eiuſdem generis. Ita genitus eſt primus inter omnia producta. Ita genitus ex mortuis eſt primus dignitate inter mortuos reſurgentes ad immortalitatem. Sed primatus non eſt ſuperlatiuum, & poteſt comparari ad res diuerſi generis, vt primatus cauſalis attenditur reſpectu cauſatorum, ſed primatum talem habens non eſt cauſatum; prima cauſa verè reſpicit cauſas, & eſt prima in genere cauſæ. Ita primatus Eccleſiæ ponit rationem ſuperioris reſpectu ſubditorum, ſed primatum habens eſt caput, & principium reſpectu ſubditorum, tanquam membrorum, ſed primus ſuperior; vel primum caput non comparatur, niſi in genere ſuperioris, vel capitis. Hæc ſint carptim dicta pro illis informibus argumentis Liceti; ex primatu non infertur ratio geniti, vel creati. A primogenito ex mortuis non ſequitur, Filium eſſe mortuum ab æterno. Naſcuntur inanes hæ rationes, quia attendit primatum cauſalem, non ſpeciales rationes primatus, vel *primitatis*. (Heu nouum Epitome grammaticaſtri) cum alia ratione ſit primus ex mortuis ſcilicet vt Filius eſt humanatus, alia ratione principium cauſale, & creatiuum omnium, nempe vt eſt Filius in diuinitate.

Denique poſtquam Licetus gloſſam Lirani ſub nomine Pauli falsò confutauit, deſcendit in pag. 184. lin. 21. ad gloſſam Lirani intelligentis vocem primogenita de generatione, quæ eſt propria Filio. Nimirum callidè prius iudaiſmum ſeminauit, poſterius iſto colore Chriſtiano iudaiſmum cooperit.

Si enim habere primogenituram eſt habere primatum, & primogenitum eſt primatus: quia primatus cauſalis eſt in tribus: primogenitura erit in tribus.

Decimum ſemen Iudaiſmi.

IN Concilio Romano ſub S. Dyoniſio, & in concilio Niceno ſub S. Siluestro Filius Dei aſſeritur genitus, non factus. Licetus mira calliditate contrarium ſemen Iudaiſmi iecit; noluit dicere genitum eſſe factum; ſed dixit productionem Filij, generationem, & creationem Filio tributam, eſſe *factam*. Imò noluit in præterito perfecto *factam* aſſerere, ſed in tempore præſenti. Generatio Filij *fit*, productio Filij *fit*, creatio Filij *fit*. Occultat ſe bifariam, ſed fruſtra; nam Filius, & generatio Filij ſunt idem à parte rei propter ſummam ſimplicitatem: differunt ſicut abſtractum, & concretum. Sic productio Filij, & Filius, ſed abſque controuerſia ſunt idem eſſentialiter productio paſſiua Filij cum Filio, generatio paſſiua Filij cum Filio. Dico etiam creationem paſſiuam non cum Ario, ſed cum Sanctis Euariſto, & Dionyſio acceptam. Secundò putat, ſe poſſe occultare per varietates temporum, præſentis, præteriti, & futuri, ſed fruſtra ſperat; quia in verbo actus ſignificatus ſemper eſt idem, licet tempus conſignificatum varietur. Vnde ſicut eſt hæretica hæc propoſitio: Filius Dei eſt factus. Sic ſunt hæreticæ iſtæ duæ: *Filius Dei fit: Filius Dei fiet*; nam actus fiendi paſſiuè, non poteſt competere vlli perſonæ diuinæ, ratione perſonæ, vel naturæ diuinæ; ſed ratione naturæ aſſumptæ aliter dicendum. Nunc ſermo eſt de Filio Dei ſubſiſtente in ſola natura diuina.

Hac præmonitione facta refero verba Liceti.

Pag. 26. lin. 18. "Productio Filij Dei ad intra Fit in iſtanti permanenti."

Pag. 101. lin. 19. "Porrò generatio continens omnes perfectiones phyſicæ generationis, excluſis omnibus imperfectionibus, eſt illa, quæ Fit ab vnico generante, ſine ſua immutatione totam ſuam ſubſtantiam genito communicante in æternitatis momento permanenti." Iſta eſt generatio Filij, quam Licetus ad arbitrium ſuum compoſuit.

Pag. eadem 101. lin. 24. "Creatio ſimiliter in ſe complectens omnes perfectiones abſque penitus vlla imperfectione, creationi propriæ, ac vniuocæ dictæ eſſentiali eſt illa, quæ Fit ab vnico creante ſimpliciter, & abſolutè, ſine vlla pluralitatis ratione, producente creaturam ſine creantis vlla mutatione &c. Creationem ita definitam Licetus attribuit Patri, vt creanti, & Filio vt creaturæ, & perperam Filium creaturam hic appellat, vt poſtea. Nam ex iſtis, & alijs pluribus ſimilibus locis Liceti argumentor ſic. Nihil quod fit, eſt Deus, ſiue formaliter, ſiue identicè. Sed omne, quod fit, eſt aliud eſſentialiter à Deo. Nunc autem ex Liceto productio Filij fit in æternitate, generatio fit, creatio Filij fit. Igitur productio, & generatio Filij non eſt Deus, aut formaliter, aut identi-

identicè, ſed aliud eſſentialiter à Deo. At verò Filius Dei eſt ſua productio, eſt ſua generatio, eſt ſua creatio, eo modo, quo dici poteſt creatus. Ergo Filius Dei non eſt Deus formaliter, vel identicè, ſed eſt eſſentialiter diuerſus à Deo. Quam quidem concluſionem prætendit Iudaiſmus.

In iſto loco citato pag. 101. Licetus conficit definitiones generationis, & creationis Filij, quaſi ad mentem concilij Orientalis, & Hilarij in libro de Synodis, ac dicit, quod creans, ſcilicet Pater producit creaturam, nempe Filium. Cum Filius non debeat dici creatura ſine determinatione præſcripta ſuper proœmio Liceti, iuxta regulam D. Thomæ 3. p. q. 16. art. 8.

Nec aduertit ad verba S. Hilarij, ſeu Concilij ad initium declarationis ſuper 5. Canone. Verba ſunt. "*Dicentibus creaturam, vel conditionem eſſe Filium Dei contra itur ratione ſubiecta.* Concilium contra dicentes Filium creaturam loquitur. Et Licetus nomine concilij loquens, Filium abſolutè creaturam vocat. Ad eundem ſenſum tendunt verba Liceti pag. 26. lin. 14. ſcribentis. "*Generationi, creationi, quin & ſpirationi à Deo patratæ.*" Generationem, & ſpirationem eſſe patratas, ſemen eſt iudaiſmi; quod enim patratum eſt, factum eſt, vt in Geneſ. 2. *Requieuit Deus ab vniuerſo opere, quod patrarat:* ergo generatio verbi, & ſpiratio Spiritus ſancti, ſunt res factæ à Deo & non Deus: patratæ enim ſunt & opera Dei. Eademque conſequentia Filius, & Spiritus ſanctus ſunt res patratæ, & opera Dei. Ita quidem Iudaiſmus vellet.

Vndecimum ſemen Iudaiſmi.

LIcetus in c. 3. pag. 30. & 31. & in cap. 10. cart. 188. & ſeq. & infra prolixè proponit hoc argumentum; Dominus creauit me principium viarum ſuarum: ergo Dominus creauit me. Attribuit mihi hoc argumentum, ſed falsò: de qua re in obſeruatione 96 et 97.

Iudicat Licetus hoc argumentum eſſe ſophiſma, & concluſionem eſſe falſam, atque Arianam; argumentumq; peccare contra regulas Logicæ à ſecundum quid, ad ſimpliciter.

S. Thomas in libro de fallacijs cap. 21. docet. Quando particula, quæ additur, non diminuit de ratione illius, cui additur, argumentum valet à ſecundum quid, ad ſimpliciter; quando diminuit, non valet; quæ doctrina eſt communis omnium, quos legi. Licetus autem aſſeueranter, frequenterque dicit, hoc argumentum non valere, ſed eſſe paralogiſmum: ergo iuxta Liceti doctrinam particula *principium viarum* addita ad particulam *me*, quæ demonſtrat Filium Dei, (etiam ex conſenſu Liceti) diminuit ex ratione Filij Dei. Quod autem diminuit de ratione Filij Dei, ſimpliciter repugnat Filio Dei; ergo

ergo iuxta intentionem Liceti eſſe principium viarum Dei, ſiue eſſe omnipotentem non conuenit Filio Dei, ſed repugnat. Tunc ſubſumo. Quod non eſt omnipotens, nec principium viarum Dei, non eſt Deus: ergo iuxta intentionem Liceti, hoc eſt Iudaiſmi nouelli, Filius Dei non eſt Deus.

Semen Duodecimum Iudaiſmi.

Licetus in pag. 148. lin. 2. ait " Pater enim in diuinis Filium non creat, ſed generat: cui communicat ſuam naturam, non tamen illi tribuit eſſe ſimpliciter, vt malè blaſphemabat Arius.."

Pag. 190. lin. 25. poſt citatum caput 8. Prouerb. Dominus creauit me ſcribit Licetus. " Quibus apertum eſt, Filium Dei nunc explicare nõ modo ſui productionem æternam ad intra, qua Pater eum in æternitatis momento generat quantum ad eſſe, vt malè cenſuit Arius, & poſt eum opinio noua.."

Arguo, quod non habet eſſe ſimpliciter, non eſt Deus. Sed Filius, qui eſt perſona ſecunda in Deo, non habet eſſe ſimpliciter à Patre, quia hæc eſt blaſphemia Arij, non habet eſſe ſimpliciter à ſe, quia Filius nihil habet à ſe, ſed quid quid habet, habet à Patre; ergo Filius non eſt Deus, & concluditur Iudaiſmus.

Cæterùm non eſt Arij error, ſed veritas catholica, quòd Pater communicet Filio eſſe ſimpliciter, quam veritatem ſcripſit B. Thomas 1. p. q. 37. art. 2. ad vltimum. (V. Bellar. li. 2. de Christo c. 6. col. 321. probantem, quod Filius per generationem accipit eſſe à Patre.)

Porrò Licetus errat in quatuor aſſertis Ario attributis.

1 Quòd Arius poſuerit productionem Filij ab æterno.

2 Quòd poſuerit productionem Filij ad intra.

3 Quòd poſuerit à Patre communicari Filio ſuam naturam.

4 Quod poſuerit à Patre tribui Filio eſſe ſimpliciter, aut eſſe Dei.

Cur autem Licetus iſta quatuor dicta catholica, tanquam Ariana dicta infamat? Licetus Ario attribuit iſta quatuor ad hunc finé; vt catholici negent iſta tanquam dicta Arij, & Arij blaſphemias: atque dicant cum Iudaiſmo iſta, quatuor per ordinem.

1 Filius non eſt productus productione æterna.

2 Non productione ad intra.

3 Pater non communicat ſuam eſſentiam Filio.

4 Non tribuit Filio eſſe ſimpliciter, quod eſt eſſe Dei.

Inde conſequitur, quod Filius non eſt Deus; ergo nec Pater eſt Deus; ergo nec Spiritus Sanctus eſt Deus, ergo cum Iudæis Deus eſt vnus, non Trinus. Sed væ illi catholico, qui Liceto aſſentietur: qui ſub titulo Arij quatuor veritates catholicas abnegauerit atque à Chriſtianiſmo in Iudaiſmum ceciderit.

Pag. 199. lin. 27. 28. " Conſtat apertiſſimè, Prouerbiorum oraculũ, allatum

latum ab Ario pridem, & ab opinione noua recenter, inculcatum ad ſuorum dogmatum confirmationem nihil omnino fauere ſententijs eorum, conſtituentium Filium Dei ad intra creatum eſſe propriè dicta creatione theologicè, quæ ſit eiuſdem Verbi diuini productio,quantum ad eſſe ſimpliciter.»

Tertiumdecimum ſemen Iudaiſmi.

Licetus in pag. 1.lin.15. Scribit. "Porrò creationem à Deo ſolo ſub ratione Trinitatis edi,certiſſimum eſt.„Quod confirmat falsò citando authoritatem D.Thomæ.

Ex iſto ſemine argumentor. Impoſſibile eſt, vt Deus vnus vnica creatione impartibili creet vnicum numero creabile, ſub tribus rationibus creandi. Sed à Chriſtianis ponitur,quòd Deus vnus vna creatione creet vnicum creabile numero ſub ratione Trinitatis, quæ ſunt tres rationes creandi; ergo Chriſtiani ponentes in Deo Trinitatem,ponunt rem impoſſibilem. Plura de hoc ſemine dicere ſuperſedeo, quoniam abundè dixi in obſeruatione ſexta, quæ ad hoc legenda eſt omnino.

Quartum decimum ſemen Iudaiſmi.

Licetus perfectiones generationis refert in Deum transferendas, Pag.100. lin.13. "Perfectio verò generationis eſt, quòd ſit productio rei, ſimilis generanti, Ariſtotele Doctore, (2. de anima 34.35.

Secunda perfectio generationis eidem eſt, quod continuet,conſeruetque ſemper τὸ generatorum eſſe ſaltem in ſpecie.

Tertia perfectio eſt,quod generans cõmunicet ſuam eſſentiã genito.„

Primo; citatio Ariſtotelis doloſa eſt, qui in 2. de anima 34. ſcribit. "*Facere aliud quale ipſum*, Ita quoque in 4.Meteororum ſumma 1. cap.4.„ Diſcipulus Ariſtotelis velat Ariſtotelis verba: non ponit *Facere*, ſed *producere*; nec enim quodcumque producere Licetus accipit, ſed illud producere ſui magiſtri Ariſtotelis, ſcilicet *Facere*. Igitur prima perfectio generationis eſt facere ſibi ſimile. Sed Deus hanc habet perfectionem generationis: Ergo Deus facit Filium ſibi ſimilem, facit quale ipſum, ſed factum eſſentialiter diſtinguitur à factore: Ergo, & Filius eſſentialiter diſtinguitur à Patre Deo. Iſtud conſequens Iudæi volunt patenter,quod in prima perfectione Liceti includitur latenter.

Aliter quoque excluſio Trinitatis concluditur ex hoc Liceti dicto. Si Pater diuinus in generatione habet duas perfectiones: primam

pro-

producere ſimile generanti: & ſecundam, communicare ſuam eſſentiam: cum Spiritus Sanctus non habeat iſtas duas perfectiones. Ergo Spiritus Sanctus non eſt æqualis perfectionis cum Patre. Sed neque Filius, quia Filius non generat, neque communicat genito ſuam eſſentiam, licet ſpirato communicet. Quòd ſi communicare ſpirato ſit perfectio, iam in Patre erunt duæ perfectiones reſpectu Filij. Pater quippe habet duas communicationes actiuas, ſcilicet generare, & ſpirare; Filius vnam; Spiritus Sanctus neutram. Igitur tres perſonæ diuinæ ſunt inæquales in perfectione. At hoc eſt impoſſibile, ergo impoſſibile eſt, eſſe in Deo tres perſonas.

Quintumdecimum ſemen Iudaiſmi.

PAgin. 140. Poſtquam Licetus diſtinxit eſſe eſſentiæ, & exiſtentiæ. Subdit ad lin. 9. « Hoc vtrumque eſſe ſimul quidem, terminat integram, & perfectam productionem cuiuſque rei. » Sed ex Liceto Pater non tribuit Filio ipſum eſſe, non tribuit ipſum eſſe ſimpliciter per generationem, vt patet pagin. 143. lin. 2. 190. lin. 25. Nec etiam Filius eſt creatus ad intra, quantum ad eſſe ſui. Ergo generatio Filij eſt imperfecta productio: creatio Filij eſt imperfecta productio, quia eſſe ſimpliciter, quod eſt eſſe exiſtentiæ, non terminat generationem, aut creationem; imò dicere, quod Pater tribuit Filio eſſe ſimpliciter, eſt mala Arij blaſphemia pag. 148. lin. 4. Tunc vltra nihil imperfectum eſt in Deo ad intra. Ergo in Deo ad intra non eſt generatio, non eſt creatio Filij.

Sextumdecimum ſemen Iudaiſmi.

CApit. vltimo, Licetus pagin. 202. lin. 13. « Prima concluſio deducitur ex antea demonſtratis: Filius Dei ad intra creatus eſt primò modo creationis alieniſſimæ. » Citat caput quintum, & 20. Et infra in eadem pagin. 202. ſcribit, de prima concluſione. « Quam concluſionem hauſimus ex Diuo Auguſtino, » Sic vtique in capit. 5. pagin. 38. lin. 22. citat prolixè locum Auguſtini in libro primo contra Aduerſarium legis, & prophetarum, capit. 23. vt creationem ſic acceptam, ſicuti Auguſtinus accipit, tribuat Filio Dei. Sed in capit. 17. pagin. 167. & 168. cum Sancto Auguſtino in eodem loco citato, explicat, quòd facere ſecundum Auguſtinum, eſt ex materia ad formam ſubſtantialem.

„ Creare propriè eſt conſtituere res aliquas actu præexiſtentes cum ſua forma ſubſtantiali, in aliquem ordinem, aut dignitatis, aut diſpoſitionis. „ Itaque creatio eſt ad formam accidentalem, vt patet ex diſcurſu Liceti in illo loco. His ita conſtitutis, ſemen Iudaiſmi aperiendum eſt. Creare apud Auguſtinum libro primo contra Aduerſarium legis, capit. 23. eſt præſuppoſita rei ſubſtantia, afferre aliquam formam accidentalem, vt dignitatis, diſpoſitionis; Sed iſtud creare attribuitur Filio Dei ad intra à Liceto in pagin. 202. Ergo in Filio Dei ad intra ponit formam accidentalem, ad quam ſit creatio. Sed eſt ſimpliciter impoſſibile, reperiri aliquod accidens in Deo ad intra, Ergo ſimpliciter impoſſibile eſt, ponere Filium creatum ad intra, eo modo, quo ponitur ab Auguſtino?

Decimumſeptimum ſemen Iudaiſmi.

Pagin. 42. inchoat Licetus Capitulum ſextum, in quo ponit ſecundum ſignificatum creationis coincidere cum generatione naturali, Sed in pagina 46. lin. vltim. omninò aufert generationem à Filio Dei, ſed aufert eam ſub nomine creationis ſecundo modo dictæ ſic. „ Creationem ſecundi modi, impropriè, & æquiuocè dictam, nulla ratione penitus aptari poſſe Verbo diuino. Quia in æterna generatione Filij Dei ad intra.

1 Nulla eſt cauſa ſecunda, quæ gubernetur à prima.
2 Nulla eſt cauſa communis æquiuoca.
3 Nulla eſt omninò materia.
4 Nullumque ſubiectum paſſiuum, diſpoſitum.
5 Nulla temporis ſucceſſio.
6 Nulla partis producentis producto communicatio.
7 Nulla denique producentis cauſæ mutatio. „

In hac parte, ſeptem rationibus à ſe excogitatis, excludit à Deo generationem naturalem, dum excludit nomen creationis. Ergo ex propria ſententia, & propria ratione negat generationem naturalem, ſiuè creationem ſecundo modo à Deo. In parte ſequenti ſine vlla ratione per ſolam narrationem ponit generationem Filij Dei talem, qualem Chriſtiani ponunt, ſcribens. „ Sed Filius Dei generatur in momento permanentis æternitatis, ex immateriali, & impaſſibili ſubſtantia Patris, qui totam ſuam naturam, atque ſubſtantiam Filio communicat, non partem in illa generatione. „ Sperat Licetus lectores plus eſſe credituros ſeptemplici rationi, quàm ſimplici narrationi: rationi pro Iudæis, quàm narrationi pro Chriſtianis?

Ad

Ad calliditatem hanc iudaicam detegendam, ac deſtruendam.

Interrogo an ſeptem conditiones dictæ ſint de per ſe ratione generationis naturalis, an per accidens illi annexæ?

Si per ſe dixerit. Arguo. In quocumque non poſſunt eſſe per ſe conditiones generationis, in eo non poteſt eſſe generatio naturalis.

Sed re vera in Deo non poſſunt eſſe ſeptem illæ conditiones, quæ ſupponuntur eſſe per ſe conditiones naturalis generationis. Ergo in Deo non poteſt eſſe generatio naturalis. At hoc hæreticum eſt quantum ad tres conditiones, vt minimum, quæ ſunt ſubſtantialitas, quia generatio terminatur ad ſubſtantiam: naturalitas, quia generatio eſt per modum naturæ: vniuocatio, quia generans generat ſimile ſibi in ſpecialiſſimo, quod eſt perfectæ generationis. Quas tres conditiones ponere debemus in Deo; nam Pater generans eſt ſubſtantia, Filius genitus eſt ſubſtantia, & generatio terminatur ad ſubſtantiam quiditatiuam, tamquam ad terminum communicatum: Pater generat naturaliter, Filius naturaliter generatur: Pater Deus generat Filium Deum. Sed Licetus in pagin. 46. auferta diuina generatione vniuocationem, & naturalitatem, quibus ablatis, in Deo non ſunt Pater, & Filius, non generans, non genitus, nec generatio, quæ ſunt quinque hæreſes exoſæ apud Chriſtianos, ſed gratiſſimæ veritates exiſtimatæ apud Iudæos, & Iudaiſmus eſt fundatus per ſeptem rationes, excludentes generationem à Deo.

Si conditiones illæ per accidens inſunt naturali generationi, noto, quòd conditiones per accidens ſunt poſteriores conditionibus per ſe, per 2. Phyſicor. 66. & 11. Metaph. ſumma 3. capit. vltim. Vnde conditiones per accidens habent rationem antecedentis, conditiones per ſe rationem conſequentis; taliſque erit virtus argumenti. Si per accidens conditiones inſunt alicui, ergo, & per ſe conditiones inſunt, & eſt bona conſequentia. At arguendo à negatione conditionum per accidens, ad negationem conditionum per ſe, eſt fallacia conſequentis ſic. Si alicui non inſunt conditiones per accidens generationis. Ergo nec per ſe conditiones. Et eſt fallacia conſequentis, procedens à negatione antecedentis. Sic Meliſſus arguebat. Si quod factum eſt, habet principium, ergo quod non eſt factum, non habet principium, quæ eſt ratio onerosa, reiecta ab Ariſtot. in 1. Phyſ. 23. & in 2. Elenc. capit. quinto. Talis eſt ratio Meliſſi, quam Licetus non percepit, dum in ſyllogiſmis à ſe deformatis, & mihi falsò aſcriptis pagin. 21. & pagin. 26. dicit, adeſſe rationem Meliſſi. Siquidem in Meliſſo, ſecunda propoſitio eſt negatiua: in illis ſyllogiſmis omnes propoſitiones ſunt affirmatiuæ: Non igitur valet argumentum Liceti, immò eſt Meliſſi ſophiſma; Si ſeptem

ptem conditiones per accidens generationis naturalis non inſunt in Deo. Ergo neque inſunt per ſe conditiones generationis, quæ ſunt productio ſubſtantiæ, ſimilis ex ſimili, viuentis à viuente per modum naturæ, ſcilicet *ſubſtantialitas, naturalitas, vniuocatio.* Ita detectum eſt ſemen Iudaiſmi, pariter & euulſum.

Dicet quiſpiam, Licetus pagin. 202. ex iſto capit. 6. Statuit ſecundam concluſionem, quod Filius Dei eſt creatus ad intra hoc ſecundo modo creationis, ſcilicet eſt genitus cum S. Euariſto, & cum communi ſenſu Eccleſiæ.

Reſpondetur. Licetus in toto capit. ſexto. negat creationem ſecundo modo, atque adeo generationem poſſe reperiri in Deo: in capi vltim. affirmat: Dicerem, quòd Licetus ſibi contradicit, & nihilominus, vt obſeruauit Valentia, generationem naturalem, & per ſe conditiones eius negauit, & negandó, fidem catholicam offendit. Sed verius exiſtimo, Licetum in cap. ſexto, pro Iudaiſmo ex propria ratione loqui, in capite autem vltimo ad ſe occultandum, loqui ſecundum opinionem popularem Eccleſiæ.

Decimumoctauum ſemen Iudaiſmi.

PAgin. 47. lin. 13. "Nec iſta creatio ſecundi modi, impropriè dicta, locum habet in alia productione Filij Dei, qua Verbum caro factum eſt. Quia licet eam generationem promouerit Virgo parens, tanquam vera, & naturalis mater Chriſti.,, Hic affirmat naturalem matrem, ſed in lin. 20. negat conditiones naturalis generationis, quia generatio Chriſti.

1 Non fuit facta in tempore cum ſucceſſione.
2 Mater non ſubminiſtrauit vniuerſam materiam naturaliter diſpoſitam, nam ſine ſemine maſculeo concepit.
3 Non fuit cauſa ſecunda partialis, ſed totalis.
4 Quia Chriſtus non ſolùm eſt homo, ſed Deus, propter iſtas cauſas negat, generationem Chriſti eſſe generationem naturalem. Et pagin. 63. lin. 24. "Quare productio Filij de Matre virgine ſine viri copula non eſt generatio phyſica, ſed propriè dicta creatio ſimpliciter.,,

Similiter arguo. Si conditiones iſtæ ſunt per ſe de ratione naturalis generationis: ergo Sanctiſſima Maria non eſt naturalis genetrix, nec naturalis Mater: & Chriſtus non eſt naturaliter genitus, nec naturalis Filius Mariæ: quoniam naturalis maternitas & naturalis filiatio in hominibus conſurgunt ex generatione naturali. At Chriſtus re vera eſt Filius naturalis Mariæ: ergo ſequitur cum Ebione Iudæo, & Iudaizantibus, quod Chriſtus ſit Filius

Filius naturalis, ex viro, & muliere genitus, & falſum eſt Chriſtianorum dictum, quòd ſit natus de Virgine. Iudaiſmuſque plantatus eſt ſuper quatuor rationibus, excludentibus naturalem generationem naturales maternitatem, & Filiationem.

Si quatuor conditiones ſunt accidentales generationi naturali, fallacia conſequentis eſt, & accidentis, & non cauſæ propter eas negare naturalem generationem: Vtile eſt notare diſcrimina inter generationem humanam Chriſti, & aliorum hominum; ſed non eſt vtile negare, generationem illam habere per ſe conditiones generationis naturalis, requiſitas ad naturalem Matrem, & Filium.

Decimumnonum ſemen Iudaiſmi.

PAg.5.lin.18. Licetus Deum ponit in cœlo, vt in loco puro, in loco pacis: negat eſſe in terra, ac in regione elementari; nec enim eſt in regione turbida in mundo elementari, qui eſt malum à Deo creatum ex Iſaia 45. Palliat ſe callidè ſub nomine Ariſtotelis; ſed exponere Iſaiam vtiliter ad ſententiam Ariſtotelis, eſt ex Liceti mente. Rurſus ex propria, & Ariſtotelis doctrina in pag.228. ponit omnia in Deo, Deum in omnibus intimum, ſed intimum in ratione cauſæ *conſeruantis, & non aliter*. Veritas catholica eſt, Deum eſſe generaliter in omnibus rebus, & locis, per eſſentiam, per præſentiam, per potentiam. Licetus confitetur tertium modum, quòd Deus per potentiam efficientem, & conſeruantem eſt in omnibus, negat alios modos, per præſentiam, per eſſentiam. De his tribus modis lege Magiſtrum ſent.1.diſt.37. ſpecialiter verò Deus eſt in cœlo ratione effectuum præſtantiſſimorum. Illic enim ſe beatificè oſtendit regulariter, atque glorificat, & glorificatur perfectè à creaturis intellectualibus, & liberis. Item per cæleſtia corpora, & Cæleſtes habitatores cætera omnia regit. Antiqua hæreſis Iudæorum fuit, Deum eſſe in cœlo, non in terra, niſi in templo iudaico. Nupera hæreſis Conradi Vorſtij Caluiniſtæ eſt, Deum ſecundum eſſentiam non eſſe vbiq; hoc ſemen Iudaiſmi, & Caluiniſmi inſtaurat Licetus.

Vigeſimum ſemen Iudaiſmi.

LIcetus, Ariſtotelem, vt iudaiſmum illuſtraret, finxit eſſe iudæum circa finem vitæ. Indeque virtute iudaiſmi certam ſalutem animæ Ariſtotelis mordicus aſſerit; ita vt in hoc libro pag.250. lin.7. ſcribat. "Quare iam nullus ambigas de ſummi Philoſo-

loſophi ſalute. „ Ex profeſſione Iudaicæ legis certa ſalus, etiam à priuato poteſt aſſecurari. Ex profeſſione Chriſtianæ legis, etiam innocenter, & piè viuenti, nec non cum fide, & Sacramentis defuncto, non poteſt aſſecurari. Longè fauorabilior eſt iudaiſmi, quàm Chriſtianiſmi lex, ſtatus, conditio apud Licetum. Hoc ſemen iudaiſmi eſt Chriſtiano ſcandalum, vt authoritate viri, prout creditur, doctiſſimi, decidat in iudaiſmum, nec audiat Apoſtolum ſcribentem ad Hebreos, *nihil ad perfectum adduxit lex.*

Laus Deo, Gloria Sanctis.

Sub pedibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.

LIBER QVINTVS

DVBIA VEL ERRORES COLLECTI EX LIBRO FORTVNII LICETI, de ſeptimo quæſitis.

PRIMVS error. Licetus pag.1. lin.15. " *Creationem à Deo ſolo ſub ratione Trinitatis edi certiſſimum eſt.* " Error.

Pag.194.lin.8. " *Creatio rerum ad extra eſt communis tribus perſonis, conueniens vni Deo, vt Trino.* "

Error. quia tres perſonæ creant, non vt tres, neque ſub ratione Trinitatis: ſed ſub ratione vnius omnipotentiæ eſſentialis communis tribus. Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus ſanctus, & tamen non tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens. Vnica eſt ratio creandi, non tres, neque tres creant, vt tres, ſed vt vnus Deus. Deus creat, vt trinus, & ſub ratione Trinitatis.

Nec Deus creat, vt Trinus, vel ſub ratione Trinitatis, ſed vt vnus, & ſub vna ratione omnipotentiæ. Neque relationes perſonales ſunt rationes creandi ad extra ſiue Deo, vt Deo, ſiue tribus perſonis. Cauſalia omnia, inquit D. Dionyſius de diuinis nominibus cap.2. ſunt communia toti Deitati, & ſpectant ad Theologiam coniunctam. Vide obſeruationem 6.

2 Error. Licetus pag.1.lin.19. " *Creaturæ ſimpliciter vniuerſæ quaternario numero comprehenduntur: duæ incorporeæ, Angelus, & anima rationalis: duæ corporeæ, mundus cæleſtis, & ſub cæleſtis.* " Homo non eſt creatura Dei.

Eſt contra Concilium Lateranenſe de Summa Trinitate, & fid.cathol. cap. *firmiter*, atque contra Patres catholicos. Licetus excludit hominem à numero creaturarum. Homo enim non eſt purè incorporeus, nec pure corporeus, ſed ex corpore, & ſpiritu. Vide obſeruationem ſeptimam.

3 Error. Licetus pag.2. lin.19. " *Sed à creatione ſtatim omnes Angeli nomine lucis in Sacra ſcriptura nominari conſueuerunt.* " Omnes Angeli à creatione ſunt beati.

Per lucem intelligit beatitudinem, & ad hoc Licetus violenter trahit S. Dionyſium, & Auguſt. quorum authoritates de cæleſti Hierarchia, & de angelis conuerſis ad Deum, atque beatis violenter trahit ad probandum, quòd omnes angeli ſunt lux. Quo dato, ſequitur, vel quòd nullus angelus eſt damnatus, vel quòd angeli, etiam beati peccauerunt. Conſule obſeruationem 11. Intellectus animæ eſt Angel[illegible]

4 Error. Licetus pag.3.lin.23. & 24. *Intellectus in actu poſitus ab Ariſtotele 3. de anima 18. eſt natura angelica.*

Error fuit Judæorum,& Ariſtotelis, atque Auerrois quòd Dei eſſentia non eſſet in omnibus rebus,& locis. Fuit error Manichæorum ponentium Deum bonum, in ſola regione lucis. Nuper Vorſtius Caluiniſta hanc hæreſim publicauit, quòd Deus non ſit vbique.

8. Error Pag.6. lin.3. dictum Iſaiæ; *Ego Dominus creans* malum, exponit, vt videtur, de malo naturæ, de malo culpæ, de malo pœnæ. Sed apertiſſimè ait. "*Vocabulo mali ſignificauit orbem terrarum, ſiue mundum elementarem.*

Deus creat malũ naturæ, vel culpæ.

Hæreſis Florianorũ fuit, Manichæorum,& Marcioniſtarum quòd ſubſtantia corporum creata à Deo, eſſet mala. Mundus elementaris non eſt capax culpæ & pœnæ, quæ ſunt mala moris: ergo mala natura, ponitur à Deo creata. Gen.1. Videt Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.

Obſeruat.31.

Itẽ ſi malũ culpæ dicit à Deo creatũ, eſt hæreſis Caluini ac Bezæ & fuit hæreſis antiqua Simonis Magi & ſequaciũ. Vt obſeruat.32. legẽdum.

9 Error Licetus Pag.6. lin.5. de Mundo elementari ſcribit. "*In quo ſemper vnius ob materiæ contagionem, & cacodæmonum pugnam aſſiduam viget omne malum tàm pœnæ, quàm culpæ.*

Malũ culpę oritur ex materia,& dæmone.

Primus Error in iſtis eſt. Cauſa mali culpæ eſt materia & dæmon. Ita dicebant Manichei apud Prateolum. Vera cauſa mali culpæ eſt liberum arbitrium finitum, quod poteſt deficere, & peccare. Licetus cauſam culpæ cum hæreticis exprimit. Cauſam veram à catholicis poſitam ſilentio opprimit.

Obſeruat.33.

Secundus. Quia cauſam pœnæ, & culpæ æqualiter refert in materiam, & dæmonem. Si intelligit, quòd Deus non ſit author mali pœnæ, vt ſupremus Legiſlator, & ſupremus iudex, tenet contra catholicos, qui exponunt locum *Creans malum* de malo pœnæ, quod non ſit culpa; tunc Licetus eſt in hæreſi Coluthi negantis, Deum eſſe creatorem pœnæ. Aut ergo vtrumque malum pœnæ & culpæ refert in Deum vt creatorem,& eſt in hæreſi Caluini; aut vtrumque negat à Deo authore,& eſt in hæreſi Coluthi. Non voluit enim diſtinguere Licetus clarè, quòd Deus ſit cauſa mali pœnæ, non mali culpæ. Scripſit confusè, ne detegantur errores.

Deus nõ eſt author mali pœnæ. Inſpice obſeruat. 32.& 33.

10 Error. pag.6. lin.7. "*Viget omne malum tàm pœnæ, quàm culpæ, quarum nulla poteſt habere locum in regione cœleſti*".

Licetus tractat de prima rerum conditione,& de quatuor creaturis primis, à ſe ipſo numeratis, & eſt prima hæreſis contra Scripturam; *In Cælo non poteſt eſſe malum culpæ.* Imò peccata angelorum,& prima ſecundum Originem,& grauiſſima ſecundum deformitatem in cælo perpetrata ſunt. Expendatur obſeru.34.

In cœlo nõ poteſt eſſe pœna, vel culpa in prima rerum conditione.

Secunda. Quia pœnæ angelorum malorum perſonales in cælo cæperunt; vt priuatio gratiæ in æternum, priuatio æternæ gloriæ, exilium à loco cæleſti, ac triſtitia acerbiſſima de iſtis malis.

Inſuper, damna communitatis angelorum nondum ſunt prorſus re-

parata, ſed reparantur.

Tertia. De animabus beatis ſimile quippiam dicendum videtur: quòd nullam habēt pęnam perſonalem, vel purgatoriam: nullum debitum talis pęnæ; ſed pęna communitatis humanæ propter peccatum Adæ, adhuc viget aliquo modo. Etenim animæ beatæ ſunt beatæ quoad primam ſtolam. At propter peccatum Adæ commune ſunt ſeparatæ à corpore, & ſine ſtola ſecunda vſque ad communem reſurrectionem.

In cœlo non fuit pugna angelorū. Obſeru. 35.

11 Error. Pag. 5. & 6. Licetus *in cęlo pacem, pugnam ſub cęlo ponit*. Sic enim Deus erit in regione pacis, non in regione pugnæ ac turbulentiæ.

At Apocalipſis 12. primum omnium præliorum factum eſt in cęlo inter Michaelem archangelum, & Draconem. ex quo prælio pugnæ omnes inter angelos, & homines conſequutæ ſunt: hoc non conſiderauit Licetus. Sanè creaturarum pugnæ nihil turbant æternam quietem creatoris Dei ſiue in cęlo, ſiue ſub cęlo.

Intellectus diuinus producit Verbum. in obſer. 45.

12 Error. Pag. 12. lin. penult. "*Aeternæ mentis Verbum, quod intellectus diuinus intimè ſemetipſum comprehendens, in æternitatis momento ſtabili producit.*"

Hic duo ſunt errores. primus de principio producente ſic.

Intellectus diuinus producit Verbum æternum.

Secundus de obiecto comprehenſo.

Intellectus diuinus ſemetipſum comprehendens producit Verbum.

Eſſentia non eſt obiectū in productione Verbi.

Veritas eſt. Pater eſt principium *quod* producit Verbum: intellectus diuinus non eſt principium *quod* producit. Sed eſt principium *quo* in ratione potentiæ cum eſſentia diuina in ratione obiecti virtualis, & primarij: ex quibus vt ex cognoſcente, & cognito à Patre paritur notitia, quæ eſt Verbum.

Molin. 1. p. q. 32. art. 2.

Ex primo errore abſurdum ſequitur, quia producens, & productum diſtinguuntur realiter. ergo ſi per Licetum intellectus eſt producens Verbum, Verbum realiter diſtingueretur ab intellectu, & eſſentialia re diſtinguerentur à perſona, eademque perſona Filij eſſet genita à duobus generantibus, à Patre incommunicabili, & ab intellectu communi tribus.

Ex ſecundo errore. Verbum eſt, vel cognitio comprehenſiua ſolius eſſentiæ, vel ex cognitione comprehenſiua eſſentiæ, perſonarum, & creaturarum ex communi ſententia Theologorum. Tunc ergo in diuinis erit duplex Verbum: vnum ex eſſentia vt obiecto primario: alterum ex intellectu vt obiecto ſecundario, ſed comprehenſo.

Iſti duo errores frequenter ſunt in hoc libro vt pag. 26. lin. 23. pag. 72. lin. 1. pag. 104. lin. 14. pag. 191. lin. 2. pag. 193. lin. 27.

Melius eſt credere ſolùm

13 Error. Pag. 13. lin. 2. *Generatio filij fide potius, ac ſilentio veneranda foret, quam diſputationibus, & argumentis indaganda.*

Si melius eſt credere, & ſilere, quàm argumentis, & diſputationibus

indagare generationem Verbi; cum ſcholaſtici Patres conſtantiſſimè diſputent de generatione Verbi, ſcholaſtici deteriorem partem elegerunt. Patres Sancti tàm multa de generatione Verbi differentes, pro catholicis & contra hæreticos arguentes, deteriorem partem elegerunt. Hæreſis Vuicleffi eſt, damnans ſtudia generalia, & ſcholaſtica de rebus ſacris.

quàm credere, & diſputare de Verbo. In obſer. 46.

14 Pag.15.lin.6. "*Filij Dei ab æterno geniti, non creati propriè.* Citat Athanaſium in ſymbolo.

Error duplex. Primus addere particulam *propriè*. Secundus, malè intelligere; quia Licetus creare propriè diſtinguit per *propriè ſecundum quid* vt in cap.7. & *propriè ſimpliciter* vt in cap.8. iſtius libri. Sed in vtroque modo proprietatis creatio eſt ex principio materiali, & paſſiuo; in quo ſignificato nec Arius affirmauit, Filium eſſe creatum: nec Athanaſius negauit. Similiter quando mihi, vel meis offenſoribus tribuit, nos loqui de creatione propriè: falsò nobis imponit talem ſignificationem, nam nec offenſores, neque Ego in hanc amentiam deſcendimus, vt dicamus Filium Dei eſſe productum de materia, vel de principio paſſiuo.

Symboli Athanaſij additione violat.

15 Error. Pag.16. lin.10. "*Nouam opinionem de creatione Filij Dei ad intra coacti ſumus expendere.*"

In tota epiſtola, & in libro damnat nouitatis opinionem iſtam de creatione filij Dei ad intra.

Primò errat, quia in cap. vltimo concluſione 1.2. & 6. pag.202. 203. ex antiquis Patribus à me allatis, Licetus aſſerit Filium Dei eſſe creatum ad intra; ergo damnat ſe ipſum nouitatis, & antiquos Patres.

Secundò. vocabulum *creari*, & in ſcriptura, & ex traditione Filio Dei tributum eſt: incipiendo ab Apoſtolis, & à S. Petro primò Pontifice, à S. Euariſto Papa, à Sancto Dionyſio Papa cum concilio Romano, & rurſus à concilio Orientali cum Sanctis Hilario, & Thoma; non ergo creatio, attributa filio eſt noua, ſed falſa intelligentia Arij tribuentis filio *creationem* ad extra, *noua* & hæretica eſt.

Aſſertio de creatione Filij ſecundum ſcripturã, & traditionem dãnantur, vt noua.

16 Error. Pag.18. lin.30. de me ait. "*Conſentiens cum orthodoxis Patribus in concilio Niceno catholicam Eccleſiam conſtituentibus. Eodem ferè tempore contrariam prorſus opinionem induit animo de creatione Filij Dei ad intra, communicans omnino verbis cum Ario, ſtatuens Verbum ad intra creatum eſſe.*

Primus Error eſt in his dictis, frequentiſſimè in hoc libro iteratus talis. *Concilium Nicenum decreuit, quòd Filius Dei non eſt creatus ad intra.* In 1. tom. Concil. Venetæ impreſſionis 1585. car.532. recitatur ſymbolum Nicenum, & Anathematiſmus, in quibus vox *creatum* non adeſt. Vide obſer.61.

Concilium Nicenũ falsò citatur.

Secundus

cat in forma ; ſed in materia tantùm aſſumens propoſitionem fal-ſam, creatio ſimpliciter omnis eſt productio ex non extantibus ; adeo-que ex nihilo . cæterùm ſeruat logicæ regulas. Idem de ſyllogiſmo Arij dicit pag.154. lin.10. & pag.156.lin.1. " *Arius infeſtabat Eccle-ſiam illo ſuo ſyllogiſmo . Creatio eſt factio ex nihilo : Filius Dei crea-tus, aſſeritur, in proxerbijs; ergo eſt factus ex nihilo.* Et infra ait, argu-mentum Arij peccare in ſola materia falſæ propoſitionis.

Arij ſo-phiſma defendit, quòd n̄n peccat in forma.

Laudat argumentum Arij citatum, quòd ſit in forma, cuius tamen ma-ior eſt indefinita, minor ſingularis ; medius terminus ſemel abſtra-ctus, ſemel concretus ; & ideò in quatuor terminis. Item medius terminus eſt æquiuocus, quia confeſſione Liceti in pag.156. à lin.4. maior Arij eſt vera de creatione propriſſimè dicta quinti modi, minor de creatione alieniſſima primi modi. Itaque ſyllogiſmus cum medio æquiuoco non peccat in forma apud Licetum. Laudat ſyllogiſmum hæretici vt meum enthymema vituperet; quod autem meum enthymema non peccet in forma, patet in epiſtola ad Bal-dum pag.43. & 44.

Ex ꝑtis particula ribus, in definitis, ſingulari bus eſt ſyllogiſ-mus.

19 Error. pag.29.lin.10. " *Diuus autem Paulus abutitur nomine creationis in ampliori, minuſque propria ſignificatione, metaphoricè loquens, dum ait.* " *Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum ideſt huius creationis.* vbi Li-cetus negat, quod cōſtructio artefactorum theologicè dicatur crea-tio vt in lin.8. & 9.

Primus Error eſt. Id, quod in Sacra ſcriptura eſt dictum, non eſse di-ctum theologicum; cum omnes aſsertiones reuelatæ ſint in primo gradu propoſitionū de fide apud Pegnā in director.Inquiſit.car.233.

Aſſertū in ſcrip-tura non eſt theo-logicum; & ſcrip-tura non eſt Theo-logia.

Secundus error. Quod Paulus *abutitur* nomine creationis : abutitur in ſignificatione *minus propria*, abutitur *metaphoricè loquendo*, Bellarmi-nus tom.2. col.719. B. ſcribit. *Non oportet figuras quærere , ſed pro-prietatem verborum tenere .* Quando autem ſermo ſit figuratus, vel non, dixi in epiſtola ad Baldum pag.66.

Tertius error eſt. quòd Licetus mutilauit particulam negatiuam *non*, & Apoſtolum fecit ex negante affirmantem *huius creationis*, quaſi cælum ſit manufactum. Propterea Licetus hoc fecit, vt propter hoc vox creationis debeat intelligi metaphoricè.

Apoſto-lus in lo-quēdo re prehendi tur.

20 Error. pag.30. lin.6. " *Iam videamus alias duas rationes de creatione Verbi diuini ad intra, quas opinio noua communes habet cum Arianis* "

Error ſupranotatus. Arianis tribuit, quòd Filium dixerint ad intra creatum, ideſt ad intra productum, vt ſe exponit pag.66. ac ſæpius; & patet, quia vult contradicere mihi dicenti, Filium eſse produ-ctum ad intra, nempè in eadem eſsentia ; cum Ariani aliam eſsen-tiam in Patre, aliam extraneam in Filio ponerent. Vult Licetus iu-dicare de fide & hæreſi: & vt videtur ignotat hæreſim, atque fidem catholicam illi oppoſitam.

Error.

Dictum ſcripturæ, & declarationem Pontificum, vt Arianam damnat.

21 Error. Pag. 36. lin. 23. " Hóc enthymema tamquam Arij, & meum proponit " *Dominus creauit filium principium viarum ſuarum: ergo Dominus creauit filium.*

Iſtud conſequens tanquam Arianum, & hæreticum colligit & multipliciter verſat in pag. 30. & 31.

Iſtud conſequens *Dominus creauit me*, eſt in Eccl. 24. *Qui creauit me, requieuit, &c.* à Summis Pontificibus S. Euariſto, & Ioanne ſecundo applicatur ad Filium, & explicatur *creauit* per *genuit*; quare Licetus Sacram ſcripturam, & applicationem pontificiam damnat, vt Arianam.

Deinde arguo. Quòd determinatum eſt à Summo Pontifice cum concilio in materia de fide, de fide tenendum eſt, & oppoſitum aſſerere eſt hæreſis: ex Pegna in direct. car. 234. Sed à S. Dionyſio Papa cum concilio Romano determinatum eſt in materia de fide, quòd *Dominus creauit filium* in initio viarum ſuarum, ſed *creauit* non *eſt fecit*, eſt enim præfecit; ergo Licetus negans de Filio, quòd Filius ſit creatus, & negans, quòd Dominus creauit Filium, in hæreſim labitur.

Quod autem Licetus diſtinguit de creatione *abſolutè*, & *cum addito* nihil facit; tùm quia iuxta lectionem Papæ, & Concilij, atque Vulgatæ legitur *in initio*, non autem *principium*.

Tum quia, ſi concedas Ario, Filium eſſe creatum hoc, vel illo modo: ſtatim inferet, ergo eſt factum ex nihilo; quare iſta diſtinctio, creauit *abſolutè*, & creauit *cum addito*, vera eſt; ſed adhuc in ſenſu catholico vtraque eſt vera: in ſenſu Arij vtraque eſt falſa, vt enim ait S. Hilarius lib 2. de Trinit. ſenſus, non ſermo fit crimen.

Ad obſeru. 98.

22 Error Pag. 31. lin. 16. " Illud enim *principium viarum Dei* attributum eſt contra diſtinctum à ſimplici natura filij, ac illi iam genito conceſsum à Patre, vt infra cum Cyrillo oſtendemus.,,

Pater æternus non communicauit Filio omnipotentiam, vel principiũ effectiuũ per generationẽ.

Diſtinguit Licetus inter naturam Filij, & rationem principij effectiui: atque aſserit, quòd Pater per generationem tribuit filio naturam, non rationem principij effectiui, ſed tribuit hanc per creationem vt pag. 191. Vide errorem 117. Hoc eſt contra Concilium Florent. in litteris Sanctæ vnionis, vbi dicitur, quòd filius naſcendo accepit omnia, quæ habet Pater, & ipſe Pater omnia, quæ Patris ſunt, filio ſuo *gignendo* dedit, præter eſse Patrem, &c.

" Sed hic error Liceti ponentis filium produci duabus productionibus, quarum vna ſit generatio, altera creatio, frequentiſſimè, ac diffuſiſſimè in hac epiſtola tractatur.

23 Error. Pag. 31. lin. 22. & latè cap. 19. " Ario applicat Eccl. 24. in illis verbis, *ab initio, & ante ſæcula, creata ſum.* falsò id quidem, quoniam Arius nunquam eſt vſus iſto textu eccl. Sed quare Licetus hoc Ario applicat? Quia in pag. 33. lin. 11. ſcribit de iſto textu Eccl. à verſ. 12. vſque ad 18. " Quæ ſingula, & omnia attributa non reſpiciunt

ciunt vlla ratione Filium Dei ad intra, ſed conueniunt ſoli Verbo incarnato, &c. Idem repetit pag.65. pag.180. pag.203.

Error quia S.Euariſtus expoſuit illum locum, *qui creauit me* de generatione Filij ad intra, prout etiam ipſe Licetus teſtatur intelligi ab Euariſto cum communi ſenſu Eccleſiæ: ergo Licetus ſciens, & volens tàm multis locis reprobat Papæ declarationem. Sed & S.Thomas 1.p.q.41. art.3. ad vltimum & 4. contra gentes cap.8.& Bellarminus libro 1. de Chriſto cap.18. de Filio Dei in æterna generatione hoc dictum Eccli. intelligit: ſicut & Albertinus de agnoſcendis aſſertionibus q.22. num.49. car.97. fac.2. Ad pag. 202.

24 Error. pag.32. Ad oſtendendum, quòd iſta propoſitio ſit falſa. *Omne creatum ab initio, & ante ſæcula eſt theologicè creatum ad intra*; aſſerit Licetus, quòd Virgo Mater eſt ordinata, poſſeſſa, & creata ab initio, & ante ſæcula, & tamen non eſt creata ad intra. Solus Deus nō fuit ab æterno actu exiſtens. Æternitas creaturis actu datur.

Error certiſſimus eſt, ponere aliquid extra Deum fuiſſe ab æterno actu exiſtens, actu poſſeſſum, actu creatum. Eſt error Ariſtotelicorum, Albanenſium, & Vuicleſſi.

25 Error. pag.37. in fine ponit, quòd "Creatio alieniſſima ſumitur *pro qualibet mutatione cuiuſque rei, etiam non eſſentiali, ſed accidentali quanis operatione.* Sed in pag.39. lin.31. alieniſſimam creationem hanc ponit in Filio Dei, *quando Deus Pater Filium à ſe genitum creauit principium viarum ſuarum. Deditque illi primogenito poteſtatem omnem.* Filius Dei eſt productus per mutationem.

Error in fide, quòd Filius Dei ſit creatus creatione, quæ ſit mutatio, ſiuè ſubſtantialis, ſiuè accidentalis. Error damnatus in 4. parte anathematiſmi Niceni; dicentes, Mutabilem, aut conuertibilem Filium Dei, hos anathematizat. Verè in tota epiſtola Licetus vel millies repetit Deum creantem in creatione Filij eſſe immutabilem; ſed ne ſemel quidem obſeruaui dictum, quòd Filius à Patre creatus ſit immutabilis; ſic ad iudaiſmum conducit mutabilitas Filij, nam ſi eſt mutabilis non eſt verus Deus.

Violenter Auguſtinum in libro 1. contra Aduerſarium legis cap.23. trahit ad hoc genus creationis ponendum in Verbo. Trahit Nazianzenum pag.41. Sed non citat locum Nazianzeni. Trahit Cyrillum Alexandrinum in 4. de Trinitate. Eoſdem authores ad car. 202. citat pro alieniſſima creatione in Filio ponenda ad lin.22. Cum Sancti citati nullatenus voluerint ponere mutationem in Filio Dei.

26 Error. pag.39. lin.32. incipit oſtendere, quòd in Verbo prior ſit generatio, poſterior creatio, & extorquet ad hoc Gloſam, Nazianzenum, Cyrillum diffuſè. pag.40. 41.42. concludit in iſta pagin. 42. lin.10. *quomodocumque igitur attribuatur Filio Dei creatio paſſiua ſecundum hunc primum modum communiſſimum, & alieniſſi-* Filius Dei eſt genitus prius poſterius

S f *mum,*

c. eatus ab æterno.

mum, nunquam coincidet cum eius æterna generatione, ſed ſemper illam præſupponet, & ab ipſa contra diſtinguetur origine, aliter ac ponit opinio noua."

Me vocat opinionem nouam,& benè dicit *aliter*; quia ego pono generationem Filij Dei eſſe productionem ex aliquo. Sed creationem, quæ ſit mutatio ponere in Filio Dei eſt impietatis Arianæ, & Iudaicæ, non opinio mea.

Item,quòd generatio,& creatio attributæ Filio Dei à Patribus vt Cyrillo, Athanaſio, & alijs diſtinguantur ratione, aſſentio; ſed diſtingui realiter, formaliter, eſſentialiter Licetus dicit, non ego. Neque ſunt duæ origines ipſius filij, vna prior, altera poſterior; ſed ſicut generatio, & productio ex aliquo in filio ſe habent, ſicut magis commune, & minus commune,nec ponunt in numerum. Sic generatio, & creatio. Licetus diſputat ad nomen contra regulas logicas, ſed ſi iuxta 2.Top. loco 3. pro nomine ponatur definitio creationis, omnis diſparet fraus. Creatio cum apud me eſt productio ex aliquo. Quod ergo dicitur de productione ex aliquo, hoc dicendum eſt de creatione ſecundum opinionem meam, quæ falsò dicitur noua.

Hæreticum eſt dicere, quòd generatio Filij ſit creatio, in ſenſu Pontificum.

27 Error. pag.39. lin.16. "*Quam Auguſtini notam inuſtam hæretico, contra quem diſſerit, euitare non poteſt, quiſquis ſectator fuerit opinionis nouæ,non diſcernentis generationem æternam Filij Dei à creatione. Hæc* maledicentia non poteſt percipi, niſi audiatur Auguſtinus dicens contra hæreticum. "Hinc enim exiſtimat Deum generatorem malorum, quia dictum eſt creans mala: putans quod & Ariani putauerunt, in ſcripturis illis nihil intereſſe,vtrum generari dicatur aliquid, an creari. "Idem accuſat Licetus contra me, pag.13. à lin.11. pag. 109. à lin.20. pag.162. lin.26.

Error eſt proponere Auguſtini verba nuda, & ſenſum veritati contrarium relinquere.

Primò. Sanctus Euariſtus Papa, & Ioannes Secundus Papa dictum Eccl.24. *Qui creauit me* exponunt per *genuit*; & fatetur Licetus in pag.202. hanc declarationem eſſe cum communi ſenſu Eccleſiæ: ergo in Filio Dei creari,& generari ſunt idem. An putas, quòd Auguſtinus voluerit damnare vt Arianos iſtos Pontifices, & Eccleſiam? Abſit.

Secundò. Bellarminus lib.1.de Chriſto cap.18. ex Athanaſio, & Cyrillo notat in ſcripturis generare, & creare accipi aliquando vt idem; vnde & filium dici *creatum* pro eo quod eſt *genitum*. Num Auguguſtinus damnauit Ariani erroris Athanaſium, & Cyrillum? abſit.

Aut ergo vniuerſaliter aſſeritur, nihil differre in ſacris litteris generari & creari: genitum & creatum, & hoc eſt Ariani erroris. Aut in aliquo coincidere generari & creari; idque aliquando in ſcripturis repe-

reperiri docent Athanaſius,& Cyrillus,& patet Gen.2. 4. "Iſtæ ſunt generationes cæli & terræ,quando creata ſunt,in die,qua fecit Dominus cælum, & terram.„ Sic in Verbo creatum eſſe,& genitum eſſe coincidunt. In rebus ad extra generari, & creari, frequenter diſtinguuntur: ſed quæ diſperſa ſunt in cauſatis,vnita ſunt iu Filio Dei, in quo ex declaratione Pontificum ſummorum *creauit* me eſt *genuit me*.

Ergo primus error Liceti eſt in iſta citatione, quòd generatio filij æterna,& creatio filij æterna ſint diſtinctæ formalitate reali, & eſſentialiter contra dicta Pontificum, & ſanctorum.

Secundus error, quòd titulum Arrianorum attribuit Pontificibus & ſanctis,dum dicunt,quòd creari filium eſt generari, & creatum eſſe eſt eſſe genitum.

Tertius,quòd Auguſtini reprehenſionem contra Arianos & Marcioniſtam ponit eſſe repugnantem & ſacris litteris,& Pontificibus, & Sanctis.Ita ſi dicam homo & animal coincidunt in aliquo,vt in Petro & Paulo verum eſt; at ſi dicam ſemper coincidunt, vel nunquam, falſum eſt,nec enim animal,& homo coincidunt in Aſino. Sic Ariani putabant ſemper eſſe idem creatum,& genitum in ſacris litteris,& nihil in ſacris litteris differre,quod Auguſtinus meritò reprehendit; at quod in aliquo,& aliquando coincidant,eſt conſentaneum.

28 Error. pag.44. lin.8. "In phyſica mutatione duo ſunt agentia phyſicè, primum, ac vltimum,„&c. vbi diffusè cum Ariſtotele contendit, quod Deus phyſicè agat ad extra. Deus agit ad extra naturaliter. Ergo nō liberè, & contingentes.

Pag.53. lin.23. Deus phyſicè cooperatur cum cauſis ſecundis.

Pag.69. lin.29. Deus phyſicè cooperatur etiam in generatione Chriſti.

Pag.185. Deus dicitur Pater per generationem phyſicam rerum omnium,ad quam promendam, promouendamque cum cauſis particularibus,& ſecundis concurrit Ariſtotelis obſeruatu,tanquam cauſa prima,& vniuerſalis phyſicè mouens immobilis.

Idem in pag.99.lin.10.pag.142.lin.2.& ſæpè alibi tenet cum Ariſtotele in 2.phyſ.73.quòd Deus phyſicè,„ ideſt naturali neceſſitate (ſic enim Ariſtoteles intelligit) agit ad extra.

Error eſt, nam Deus agit ad extra liberè,& conſequenter voluntariè non naturaliter,dicente ſcriptura: *Omnia quæcumque voluit, fecit*; & ſubeſt tibi cum volueris poſſe. Sap.12.18.& Apocalypſis 4.Propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt. Pſ.113. Sap.12. Apoc.4.

Sed Molina in 1.p.q.14.art.13.car.151.col.2.C. ſcribit de hoc errore ſic. " Nicolaus Sanderus lib.7.de viſibili & Eccleſiaſt.hierarchia heresi 148. ex Gabriele Prateolo refert (Petrum Abailardum) aſſeruiſſe,Deū agere ex neceſſitate naturæ,„Hunc errorem renouat Licetus, ex Ariſtotele in Theologiam errorē transferens,& ad hoc textū 73.

2. phyſ. vel tricies citans in hoc libro. Ex quo errore alter natus eſt, vt notabimus in 113. errore, videlicet, quòd Deus per phyſicam generationem ſit Pater naturalis hominum.

In homine ſunt plures animæ,

29 Error. pag.45. à lin.10. In homine Licetus ponit tres animas: vna pars animæ humanæ eſt anima rationalis, quæ pars à ſolo Deo per creationem ex nihilo producitur; reliquæ partes animæ producuntur generatione phyſica, & à Deo phyſicè mouente, & ab homine generante.

Toletus ſuper libros de Anima ante expoſitionem ponit errores in fide cauendos, & in eis errorem de pluribus animabus in homine. Falsò tuentur ſe quidam errantes ſub nomine Scoti: nam Scotus, & Scotiſtæ tenent vnam tantùm animam eſſe formaliter in homine, quæ tamen virtualiter continet operationes vegetales, & ſenſuales; legatur Fauentinus Theoremate 72.

Concurſus cauſæ primæ cũ ſecunda tractatur in cõtemptũ Papæ. Et de auxilijs.

30 Error. pag.46. tractat de concurſu cauſæ primæ cum ſecunda, & hoc ſæpè facit in hac prima epiſtola de creatione, & in epiſtola ſecunda tota. Error contra decretum Summi Pontificis, ne vllus Theologus; vel philoſophus tractet de auxilijs, & ſpecialiter ſub pęna excommunicationis latæ ſententiæ & reſeruata, ne tractat de concurſu Dei cum cauſa ſecunda.

Licetus obedire Pontifici non curat, imò etiam in libro de quinto quæſitis in prima epiſtola tractat de præſcientia, & prædiffinitione, quomodo ſtent cum libertate noſtra.

Deus mẽſuratur tempore.

31 Error. pag.46. lin.5. de cauſa prima, & ſecunda ſcribit " *Tum quia vtriuſque cauſæ operatio menſuratur tempore, licet actio primæ cauſæ non dependeat à tempore, quo menſuratur, vt actio ſecundæ.* Et pag. 58. 14. *Deus operatur in tempore.*

Deus eſt ſua actio, vt S. Bonauentura in 2.d.1.q.2.num.23. Sicut ergo Deus menſuratur æternitate, non tempore, ſic & actio, quæ Deus eſt. Si autem Licetus per operationem, vel actionem Dei intelligat æquiuocè aliquem effectum in rebus naturaliter genitis, non eſt, cur neget effectum Dei naturalem dependere à tempore, à quo menſuratur.

Generare naturaliter ponit in creaturis, non in Deo.

32 Error. pag.46. more ſolito Licetus ex quibuſdam conditionibus particularibus in generatione naturali repertis negat generationem naturalem tranſcedentem, & ex conſequenti negat Filium Dei ad intra generari generatione phyſica, ac naturali. De hac re plura inter ſemina Iudaiſmi. Nunc video in pag.44. & 46. poni, quòd cauſa prima, & ſecunda generant phyſicè in generatione naturali ſed in pag.47. lin.8. Ponitur. " *Filius Dei generatur in momento permanentis æternitatis ex immateriali, & impaſſibili ſubſtantia Patris, qui totam ſuam naturam, atque ſubſtantiam filio communicat, non partem in illa generatione*; Callidè omiſit, *naturaliter*, ſiuè *per modum naturæ* cum tamen iſta conditio ſit per ſe de ratione formali generationis,

diſtin-

diſti nguens eam à ſpiratione: certè Spiritus ſanctus ſpiratur inmomento æternitatis ex ſubſtantia Patris tota, non parte; quare etiam ſpiratio erit generatio, quod eſt erroneum. Error exurgit, quoniam omiſſa eſt particula formaliter diſtinctiua: generatio enim eſt per modum naturæ, ſpiratio per modum voluntatis.

33 Error Pag.47.à lin.13. affirmat, *Beatam Virginem eſſe veram & naturalem Matrem Chriſti*, ſed negat, quòd generatio Chriſti fuerit generatio phyſica, ſeu naturalis? Negat propter plures conditiones: ſed noto duas, primam, quia ſine maſculo, & maſculi ſemine concepit; ſecundam, quia Chriſtus non ſolùm eſt Filius hominis, ſed etiam Filius Dei. Quæ duæ poſitiones, quòd ſit naturaliter mater, & non genuerit naturaliter, ſibi inuicem aduerſantur. Maria nō eſt genitrix naturalis Chriſti.

Aut enim ex parte Matris fuit vera, & naturalis generatio cum ſuis per ſe conditionibus, aut non fuit?

Si Licetus neget in Beata Maria generationem naturalem cum conditionibus, arguo. Vera, & naturalis maternitas & correlatiua filiatio vera, & naturalis, conſurgit ex vera & naturali generatione, iuxta doctrinam 5 *Metaph*.20. de relatione ſecundi modi. Sed per Licetum in Beata Maria non eſt vera, & naturalis generatio cum per ſe conditionibus: ergo Beata Maria non habet veram maternitatem naturalem, nec Filius filiationem naturalem.

Concluſio eſt Anabaptiſtarum, & Neſtorianorum, quòd Beata Virgo non ſit vera, & naturalis Chriſti aut Dei genitrix, aut mater quodque Chriſtus non ſit Filius verus, & naturalis Mariæ.

Si Licetus affirmat conditiones iſtas veræ & naturalis generationis in Sanctiſſima mulierum: ergo concepit ex viro & ſemine viri, eiuſque Filius eſt purus homo. Quæ concluſio eſt Iudaiſmus nouellus reſtituens hæreſim Ebionis. Chriſtus factus eſt homo.

Veritas eſt, quòd gratia perficit naturam: ideò & in Dei para ipſa gratia. non deſtruit naturalem generationem ex parte Matris requiſitam, ſed eam mirabiliter perficit. 1. tom. concil. car.882.

34 Error pag.48. lin.2. "*Quia Chriſtus factus homo, non ſolum eſt eiuſdem ſpeciei cum ſua cauſa ſecunda Filius hominis, ſed etiam vnum cum prima cauſa Filius Dei.*

Ad hanc partem citat Ioan.10.30. Ego & Pater vnum ſumus.

Loquutio Neſtoriana eſt iſta *Chriſtus factus eſt homo*; præſupponit Chriſtum, ante quàm ſit homo: Cum prius intelligamus Deum, & hominem vniri, & in tali vnione conſiſtere Chriſtum, dicente Athanaſio: Deus & homo vnus eſt Chriſtus. Verbum ergo factum eſt homo, ſed Chriſtus non eſt factus homo.

Loquutio illa, *Chriſtus Filius Dei eſt vnum cum prima cauſa*, non placet. Probat ex dicto Saluatoris, *Ego & Pater vnum ſumus*. Non enim Pater reſpectu Filij habet rationem primæ cauſæ ſed in dicta authoritate Filius Dei comparatur ad Patrem.

Dei Verbum non per ſe, ſed per diſpenſatoriā copulā ac mirabili modo humanæ naturæ vnitū, Chriſtus eſſe cognoſcitur.

Si

Si autem comparetur ad primam cauſam, cõparatur etiam ad ſe ipſum, & ad Spiritum ſanctum, nam tota Trinitas eſt vna prima cauſa etiam in efficienda incarnatione: Ergo Filius non eſt Filius primæ cauſæ; ſed ſolius Dei Patris, & ſolius Virginis Matris.

Deſideraſſem dictum; quod Filius Dei, & Filius hominis, non ſint duo filij, ſed vnus filius ſubſiſtens in diuinitate, & humanitate.

Æternitas műdi introducitur.

35 Error. pag. 49. lin. 28. *In perpetuo illo, quod ſurſum eſt corpore.*

Pag. 50. lin. 27. de fluuio aquarum ſurſum, & deorſum fluente. "*Et hoc perenne vult fieri ſecundum ordinem.*"

Pag. 51. lin. 8. "*Athera appellauerunt ſupremum locum à currendo ſemper ſempiterno tempore ponentes ipſi denominationem;* & eadem pag. lin. 14. *Origine verò huius vocabuli inde ducta, quod ſemper æther currat motu circumductili.*

Et lin. 18. *Aetheris nomen ab æterna circulatione deducit, quam eſſe communem cælo, & ignis elemento teſtatur.* Frequenter doctrinam de motu eterno inculcat Licetus: propter hoc ponebat Deum ad extra agere phyſicè, nam ex hoc principio poſito ſequitur motus æternus; propter hoc in Cathedra publica roborauit argumenta pro motu æterno, nec ea ſoluit.

Voce contra Anaxagoram agit pag. 51. re contra Scripturam, quæ & primum, & vltimum diem Mundi prædicat.

Deipara, & feminæ, & maſculi efficientiam habuit generando Chriſtũ. Ergo B. M. eſt mater, & pater Chriſti, atque Chriſtus Patrẽ habet in terra, ſ. viriliter efficiẽs Chriſtum hominem.

36 Error pag. 56. lin. 28. "*Virginem Matrem actiuè concurriſſe certum eſt in formatione corporis, vt aliæ veræ naturaleſque matres concurrunt; quin & vlterius vt eleuatam obtinens à Deo ſuam vim generatiuam ad Poteſtatem Virilis Efficentiæ.*

Duo errores hic ſunt. Primus aſſerit tamquam certum quòd mater actiue concurrat in generanda prole: cum hoc inter Doctorem angelicum & ſubtilem ſit in controuerſia: quare & incertum.

Secundus. quod Diua Virgo præter Maternam actiuitatem *habuerit virilem efficientiam.* Facit enim Chriſti Matrem eſſe Hermaphroditam, ideſt habere actionem fœminæ, & maſculi. Sed efficientia maſculi eſt producere ſemen virile, & mediante ſemine diſponere ſanguines maternos ad formam corporis organici; nam neque Angelicus Doctor, neque ſubtilis concedunt ſemini virili efficientiam immediatam reſpectu formæ ſubſtantialis.

Dicere autem à B. Virgine diffuſum eſſe ſemen virile & ſuſceptum, magnæ eſt infidelitatis, & inſipientiæ.

Deipara ergo præciſè præſtat ea, quæ feminæ ſunt: quæ autem ſpectant ad virilem efficientiam non adfuernnt in conceptu Chriſti, nam quod poteſt cauſa prima cum ſecunda, poteſt prima ſe ſola.

Eandem rem Licetus, ſed callidè dixit pag. 47. lin. 32. quòd *Beata Vir-*

Virgo non fuit ex ſe cauſa ſecunda partialis viro cooperans in generatione filij ſui. Sed ſupernaturaliter eleuata virtute Spiritus ſancti ad ſecundam cauſam totalem.„ Secunda cauſa totalis conſtat ex viro, & muliere cooperantibus: ergo & Deipara fuit eleuata, vt eſſet mulier, & vir, atque exerceret efficientiam, muliebrem, & virilem in generando Chriſtum. — At hoc abſurdũ eſt.

37 Error. pag. 57. lin. 1. "*In productione Chriſti voluntas, & conſenſus Virginis Matris locum principalem habuit ſe ſe conformans voluntati Dei.*„ — Cauſa ſecunda eſt principalis, concurrens cum prima.

Cum duplex ſit cauſa, primaria & ſecundaria: ſi conſenſus *M*atris fuit cauſa principalis in conceptione Chriſti, Deus Trinus fuit cauſa ſecundaria, vel inſtrumentalis.

38 Error. pag 61. lin. 10. "*Quotieſcumque Deus abſque concurſu cauſæ ſecunda coagentis producit ex materia non vltimò diſpoſita quippiam, huius rei productio non eſt verè generatio phyſica, ſed propriè dicta creatio ſimpliciter.* — Creatio propriè ſimpliciter eſt ex materia indiſpoſita.

Nullus ſcholaſticus conſentiet, apud quem creatio ſimpliciter propriè dicta eſt factio alicuius entis ex nihilo immediatè, non autem ex materia.

Nullus ſcripturalis conſentiet in accipiendis conditionibus de negato concurſu cauſæ ſecundæ, & de non vltima diſpoſitione. Nouitia hæc doctrina voluntaria eſt ex proprio capite. nam creatio ſcripturalis, vel eſt productio vt ſic, vel productio ex eo, quod eſt: vt in reſponſiua ad Baldum pag. 48. A Liceto cætera ſunt excogitata ad rem obſcurandam.

39 Error. pag. 6. lin. 16. "*Communiter omnes orthodoxi Patres, & nos cum eis aſſerimus Chriſtum Dominum propriè creatum ſimpliciter fuiſſe à Deo ex materia non vltimo diſpoſita.*„ — Creatio ſecũdum nullos Patres, & ſecundũ omnes Patres.

Vtinam Licetus vnum Patrem orthodoxum adduceret, qui creationem hoc modo acceptam vocaret creationem ſimpliciter propriè dictam; ſed Liceti voluntas eſt omnes orthodoxi Patres. Certè Patres non poterant naturaliter coniectari, quòd Licetus eſſet ſic terminos impoſiturus.

40 Error. pag. 63. lin. 15. "*Productio filij de Matre Virgine ſine viri copula non eſt generatio phyſica, ſed propriè dicta creatio ſimpliciter.* Sic pag. 64. lin. 4. & 15. pag. 69. lin. 1. — S. Maria nõ eſt naturalis genitrix Dei, nec Dei mater, neq; Chriſti.

Hic negat generationem naturalem in Chriſti conceptione, vnde Sancta *M*aria non erit *M*ater naturalis Chriſti, neque Chriſtus Filius naturalis Mariæ; quo circa Ioan. 2. "*Dicit Mater Ieſu ad eum*, & Ioan. 19. *Stabant autem iuxta crucem Ieſu, Mater eius*, Non erit intelligendus de Matre naturali, ſed putatiua, vel per nuncupationẽ, Vide errorẽ 33.

41 Error. pag. 63. lin. 28. "*Quòd Virgo ſciens, dum audiſſet ab Angelo ſe concepturam in vtero, parituramque filium rectè dubitauit, quomodo fieri poſſet iſtud, &c.*„ — S. Maria dubitauit de

Error

potentia Dei, quo modo fieri poſſet iſtud.

Error eſt ponere in matre fidei noſtræ dubitationem de potentia Dei.

Error eſt violare euangelium, & verba fideliſſimæ Matris. Illa interrogat *de modo fiendi, quomodo fiet iſtud?* Licetus peruertit, vt ſit dubitatio de poſſibilitate ipſius fieri *quomodo fieri poſſet iſtud?* Qui modus loquendi eſt infidelitatis, vt Ioan. 3. Nicodemus dubitauit, ac dixit: *quomodo poſſunt hæc fieri?*

Duo ſunt modi incredulitatis, primus eſt diſſentire à propoſitione reuelata. Secundus dubitare de reuelata propoſitione iuxta caput 1. extra de hæreticis. *Dubius in fide, infidelis eſt:* Super quo capitulo legantur Pegna, & Doctores ab eo citati ſuper director. Inquiſit. car. 80. Licetus hunc ſecundum modum infidelitatis tribuit Deiparæ: contra verba Spiritus ſancti Lucæ. 1. *Beata, quæ credidiſti.*

Ioannes Carthagena de Sacris Arcanis Deiparæ lib. 5. Homil. 11. car. 429. ex impreſſione Veneta 1612. aſſerit Hæreticorum eſſe ponere in Deipara dubitationem: quod fusè, ac doctè proſequitur. dicitque cum Alberto ſuper *Miſſus eſt*.

" Ex hoc, quod *Maria* quæſiuit, non ſequitur aliqua dubitatio, nec de facto, nec de modo. Patet ex hoc, quòd non omnis quæſtio eſt propter dubitationem. Dominus enim in Euangelio ſæpe plura quæſiuit, & tamen de nullis vnquam dubitauit. " Coccius in Theſauro cathol. to. 1. lib. 3. pag. 263. Rodolphi Gualteri hereſim, & blaſphemiam affert, Sanctam *Mariam* non minus malignè reſtrinxiſſe Dei potentiam, quàm antea Zachariam; ſed Licetus introducit dubitationem reſtringentem Dei potentiam, *Quomodo poſſet fieri?*

Barradius in Euangelicam hiſtoriam lib. 7. cap. 8. ex impreſsione Veneta 1613. car. 627. col. 1. negat dubitationem in Virgine, & Patres orthodoxos citat.

Ambroſ. lib. 1. in Luc. " *Non de effectu Virgo dubitauit, ſed qualitatem ipſius quæſiuit,* " & ibi plura copiosè.

Beda in cap. 1. Lucæ. " *Non ait, quomodo hoc ſciam? Sed quomodo fiet? ordinem videlicet, cui ſubdatur, inquirens, non autem ſignum, cui credat, flagitans, nec enim decebat electam generando* Deo Virginem dubiam diffidentia, ſed prudentia cautam exiſtere.

Auguſt. to. 4. car. 81. q. 19. in Numer.

Auguſtinus q. 19. in lib. Num. "*Modum quæſiuit, non de virtute Dei dubitauit.* "

Bernard. Hom. 4. Super Miſſus eſt. "*Non dubitat Virgo de facto, ſed modum requirit, & ordinem.* "

Theophilat. "*Non quaſi diſcredens Virgo dixit. quomodo fiet iſtud? ſed vt prudens, & intelligens, vt diſcat modum inquirit.* "

Hæretici dubitationem de potentia Dei ponunt in Beata Virgine, Patres orthodoxi negant. Si quis autem dixit Virginem dubitauiſſe ex antiquis, & modernis, cauendus eſt & piè exponendus, vt notant Carthagena, & Barradius.

Interea

Intereà ſtatus Virginis fideliſſimæ cōparatur, vel ad oraculū angelicū de re, *Ecce concipies in vtero & paries.* & Virgo indubitanter credidit illud. Vel ad modum fiendi. Quia verò prudentiſſimè ſciebat, Deum poſſe multis modis hoc facere, & Angelum non explicauiſſe modum fiendi; non eſt auſa ipſa determinare modum. Sed præ humilitate ſumma poſtulat à Deo determinationem: vt qui determinauit rem, determinet modum. Quibus cognitis ipſa humillimè reſpondit: *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum.*

Quæſtio igitur Deiparæ aliquid præſupponit cognitum, ſcilicet rem nuntiatam: aliquid incognitum quærit, nempe modum rei nunciatæ. Cognoſcebat Virgo Deo non deeſſe multos modos, ſed cognoſcebat in vniuerſali. Cognoſcebat in particulari ſibi eſſe vetitum complexum virilem, eò quòd, reuelante Deo, votum virginitatis emiſerat: modum alium in particulari Deo placitum neſciebat. ideo quærit, *quomodo fiet iſtud?* In qua interrogatione nec vmbra quidem dubitationis adeſt, ſed pura fides de dictis, de dicendis: pura humilitas, pura obedientia, qua ſacratiſſima mulier ſe totam Deo commiſit & in re, & in modo. Dicat S. Ambroſius lib. 2. in Luc. "Vbi audiuit hoc Maria, non quaſi incredula de oraculo, nec quaſi incerta de nuntio, nec quaſi dubitans de exemplo, ſed quaſi læta pro voto, religioſa pro officio, feſtina pro gaudia, in montana perrexit.

Idem docet S. Anſelmus de excellentia Virginis cap. 3.

S. Petrus Chryſologus ſerm. 142. car. 125. col. 2. A.

Euſeb. Emiſſen. ſerm. 4. ante dominicā ſecundā Aduētus, & alij apud Carthagenā loco relato lib. 5 Hom. 11. car. 431. de Arcanis Deiparæ. Vide

Buſtis in Mariali car. 178. col. 3.

Tolet. in Lucam. 1. annot. 92. & 93.

Suarez in 3. p. diſp. 4. ſect. 3. car. 53.

Barad. in hiſtor. Euangel. lib. 7. cap. 8. car. 627.

S. Tho. 3. p. q. 27. art. 4. & q. 30. art. 4.

S. Bonauent. 3. d. 3. q. 6. num. 38.

42 Error. Pag. 65. lin. 8. "*Similiter explicantes Orthodoxi Patres illud oraculum* Eccl. *Ego ex ore Altiſſimi, &c.* vſque ad lin. 19. *Et apud Bellarminum* 1. *de Chriſto, cap.* 18. *Athanaſius ſermone* 3. *contra Arianos, Nazianzenus orat.* 4. *de theologia, Cyrillus* 5. *Theſauri cap.* 4. 5. 6. 7. & *Auguſtinus lib.* 1. *de Trinit. cap.* 12. *admonent quoad verba illa, Creauit me, Chriſti naturam humanam explicare.*

Pat falsò tat, eis tribuit hæreticu ſenſum

Primo. Licetus à meo manuſcripto didicit iſtos Patres, & Bellarminum; meumque laborem ſibi aſſumit.

Secundò. Bellarminus veraciter citat, & ait iſtos Patres locis relatis explicare locum ex prouerb. 8. *Dominus creauit me principium viarum ſuarum.* Licetus falsò citat & Bellarminum & Patres, quaſi explicauerint locum Eccli. 24. de quo nihil Patres locis relatis.

Tertio. Coccius in theſauro Catholico tom. 1. libro 6. pag. 680. ſcri-

bit. "Melito Sardenſis, Gregorius Nazianzenus, & Amphilochius texentes catalogum ſacrarum Scripturarum; libri Eccl. nullam mentionem faciunt," Cum his pone Baſilium, vt patet lib.2. in Eunomium. Si ergo Nazianzenus non accipiebat Eccl. vt ſcripturam, non declarauit illam ſcripturam, vt Licetus falsò ei tribuit.

Nec eſt par ratio de textu Prouerb. & Eccl. quia Licetus ferociter contra me ait, prouerbia poſuiſſe Filij Dei creationem, ſed cum addito *creauit me principium.* Deinde reprehendit & Arium & me, quia colligimus creationem abſolutè, *Dominus creauit me:* quam concluſionem falſam, & Arianam eſſe contendit. Si ergo creatio cum addito, & creatio abſolutè tantam habent differentiam, quantam propoſitio catholica, & hæretica; non eſt par, aut iuſtum Patres explicantes creationem conditionatam & catholicam, traducere ad propoſitionem hæreticam explicandam, vt eam eſſe talem Licetus tenet.

Scripturam exponit cõtra Pontificem.

43 Error. pag.65. lin.26. "*Et re vera locus iſte non poteſt intelligi de Filio Dei ad intra ſed ſolùm de Chriſto Filio Dei humanato.*" Sic ait de loco Eccl.24. Qui creauit me requieuit, &c."

Sed Sanctus Euariſtus Papa, & Ioan.2. Papa, expoſuerunt de Filio Dei ad intra. *Qui creauit me* exponendo qui genuit me. Ita Sanctus Thomas 1.p.q.41. art.3. in 3. reſponſione ad locum Eccl. Liranus in Eccl.24. cum multis Doctoribus. Bellarminus primo de Chriſto cap. 18. & Albertinus de agnoſcendis aſſertionibus q.22. num.49. Sed Licetus dicit non poſſe intelligi id, quod Pontifices & Patres, atque Doctores intellexerunt.

Verbum produci ad intra, Arianũ

44 Error. pag.66. lin.1. "*Quæ non animaduertiſſe videtur Arius neque opinio noua ponens hoc oraculum, haberi de Verbo ad intra producto.*"

Primo Error eſt. Hæc propoſitio, Verbum eſt productum ad intra, eſt propoſitio Arij. Error grauiſſimus mouens catholicos ad negandam productionem Verbi ad intra, ſicuti negant Sabelliani, & Iudæi. Cum tamen hæc propoſitio verè ſit catholica vt obſeru.68.

Secundus error, diſſimulare, quòd Arius poſuit Filium Dei productum ad extra, ideſt in aliena eſſentia, & diuerſa ab eſſentia Dei.

Tertius error, aſſerere text. Eccl.24. fuiſſe ab Ario vſurpatum, quod falſum eſt.

B. Virgo ſemen fudit in cõceptione Chriſti.

45 Error. pag.69. lin.23. "*Materia Virginei ſanguinis, ac ſeminis non fuit ſecundum totum indiſpoſita, ſed obtinuit proximas diſpoſitiones ad humanitatem producendam.*"

Sanctus Ioannes Damaſcenus relatus à Liceto pag.65. lin.4. ait "Copulauit ſibi ipſe ex ſanctiſſimis, & puriſſimis ipſius Virginis ſanguinibus noſtræ antiquæ conſperſionis carnem animatam anima rationali & intellectiua: *non ſeminans*, ſed per Spiritum ſanctum creans," Damaſcenus ponit pro materia Corporis Chriſti *ſanguines puriſſi-*

puriſſimos ex parte Matris, non ponit ſemen neque ex parte Matris, neque ex parte Spiritus ſancti. Cum neque certum ſit apud Ariſtotelem, & D. Thomam, an cæteræ matres ſemen habeant. Ideò in hac materia oportet habere labia munda, nec adhibere vocabulum ſeminis, niſi metonymicè pro Filijs: ſicut Dauid ait *nec ſemen eius quærens panem*: & Deus, *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*. Præſertim ſi Virginitas, & aureola Virginitatis perdatur per corruptionem ſanguinis in ſemen.

46 Error. in cap. 6. Incipiens à pag. 47. & ſæpè probat Licetus, quòd *generatio Chriſti ex parte matris, non eſt generatio phyſica, ideſt naturalis*.,, Chriſtus à matre non eſt naturaliter genitus.

Pag. 69. aſſerit, quòd *generatio Chriſti ſit generatio phyſica, ideſt naturalis*.

Ars Liceto conſueta occultare vnum contradictorium ſub altero: nunc per vnum contradictorium ludit cum Iudæis, per alterum illudit Chriſtianis.

47 Error. pag. 70. lin. 4. Productionem humanitatis Chriſti ait. " *Actionem mediam conſurgentem ex propriè dicta creatione ſimplici reſpectu Dei, & ex naturali generatione reſpectu Virginis Matris à prima cauſa gubernatæ in ſuo conceptu, ſicut aliæ mulieres; quam ſententiam profitetur Diuus Thomas*. Citat 3. p. q. 16. art. 8. ad 3. & 10. ad tertium. D. Tho. falsò citatur.

Fiducialiter citat D. Thomam: ait enim intra ſe Licetus. Quis Lector erit tàm diligens, & patiens, vt conferat dictum meum cum libro D. Thomæ? Interim ego gloriam comparabo de Diuo Thoma citato, de theologo confictato.

48 Error. Pag. 70. lin. 8. " *Quod autem attinet ad æternam illam Filij Dei productionem ad intra, num ille conueniat ratio creationis huius propria ſimpliciter appellata, nec ne: controuerſa res eſt, vt optimè ſcis inter theologos æui noſtri. Recens opinio, hactenus inaudita partem affirmatiuam ſuſtinet ex allatis antea Moſis authoritatibus, & alijs*. Calumnia hæreticalis contra Theologos.

Calumnia hæreticalis contra theologos æui noſtri; quia nec aduerſarijs meis, nec mihi venit in mentem hæc conficta Liceti definitio quam vocat, creationis ſimpliciter propriè, dictæ & ſic deſcribit pag. 58. "*Creatio propriè & ſimpliciter non æquiuocè, ſed ad ſummum analogicè dicta pendet ab agente primo ſolùm, eoque ſuper naturaliter operante, ſine motu, in inſtanti, circa patiens non vltimò diſpoſitum, materiamque non omnino phyſicè præparatam*.

Si quæras de offenſoribus meis, quid intelligant per creationem ſimpliciter propriè dictam? dicent creationem eſſe factionem ex nihilo immediatè, & per ly *ex nihilo* intelligunt negationem omnis partis, & negationem omnis ſubiecti præſuppoſiti: & falsò Licetus illis attribuit patiens non vltimè diſpoſitum, materiamque non omnino phyſicè præparatam requiri in creatione.

Si quæras de me, quid intelligam per creationem theologicè hoc eſt

Tt 2 ſcri-

ſcripturaliter acceptam, quòd Licetus mihi imponit; negabo prorſus. Sic deſcripſi "Creatio theologicè eſt productio entis ex aliquo principio præſuppoſito, & interno ipſi producto; quæ definitio mea, eſt declaratio definitionis datæ ab Auguſtino talis: "*Creare eſt ex eo, quod iam erat, ordinando aliquid conſtituere.*

Primò. falsò Licetus attribuit dependentiam dicens, quòd creatio pẽdet, quia productio poteſt ſtare, & ſtat in Deo ſine dependentia. Aſſerere autem aliquid in Deo *pendere*, hæreticum eſt.

Secundò. Addit Licetus *ab agente primo ſolo*. S. Auguſtinus non poſuit agens in definitione ſcripturalis creationis. S. Thomas. 1. p. q. 45. art. 1. non poſuit in definitione creationis ſiue ſcholaſticæ, ſiue ſcripturalis. Ego volui ſanctos iſtos imitari. Item S. Auguſtinus ſuum creare etiã in homine creatore vrbis, & creatore magiſtratuũ & creatore filiorum ponit, & refertur à Liceto pag. 38. Ideò Licetus & cõtra me, & cõtra S. Auguſtinũ in definitione adiũgit, *ab agente primo ſolùm.*

Tertiò. Licetus falsò adiungit *ſupernaturaliter agente*. nam creator vrbis, & creator magiſtratus non agunt ſupernaturaliter; & ad Hebreos 9. Tabernaculum manufactum creatum eſt ab artificibus, nec tamen ſupernaturaliter à ſolo Deo.

Quartò. Non poſui in mea definitione particulas *ſine motu, in inſtanti.* quia creatio ſcripturalis poteſt exerceri etiam cum motu, & in tempore, vt patet in exemplis Auguſtini & patet in 1. ad Timot. 4. de cibis creatis in vſum fidelium, de vino creato Eccl. 31.

Quinto. Falſiſſimum eſt in mea definitione reperiri *patiens non vltimo diſpoſitum, & materiam non vltimo præparatam*; Calumnia hæreticalis eſt dicere, quòd iſtam conditionem applicauerim Verbo diuino: aut quòd dixerim, Verbum creatum propriè ſimpliciter, præſertim ſecundum iſtas conditiones Liceticas; quod ſi ipſe non poteſt conſiderare rationem principij *de quo* in communi ad Deum, & creaturas, diſtat à Scoto in 1. d. 5. q. 2. & à Caetano 1. p. q. 41. art. 3.

Sexto. Dicit opinionem meam eſſe recentem & hactenus inauditam. Si creatio accipiatur ſecundum has Liceti conditiones, non eſt mea opinio. Inaudita eſt definitio creationis datæ à Liceto, inaudita & hæreticalis applicatio talis creationis ad Verbum diuinum. Sed ad euitandam omnem fraudem cum Ariſtotele in 2. Top. loco 3. relicto nomine accipiamus definitionem, & quæramus, an definitio creationis à me data conueniat generationi ipſius Verbi in abſtracto, & ipſi Verbo in concreto.

Sit prima propoſitio. Generatio Verbi diuini eſt productio entis ex aliquo principio præſuppoſito, & interno ipſi producto. Hæc propoſitio eſt de fide, nec poteſt aliqua particula negari à generatione Verbi à catholico.

Secunda propoſitio. Verbum eſt ens productum ex aliquo principio præſuppoſito, & interno ipſi Verbo. Hæc propoſitio eſt de fide, vt

conſtat

conſtat in reſponſiua ad Baldum pag. 56. & 57. Pro iſtis propoſitionibus, quæ de fide ſunt, Licetus hanc hæreſum plenam mihi tribuit, " Generatio Verbi pendet ab agente primo ſolùm, eoque ſupernaturaliter operante, ſine motu, in inſtanti; circa patiens non vltimo diſpoſitum, materiamque nó omnino phyſicè præparatam.,, Quis homo iuſtus, & pius non deteſtetur calumnias tàm horribiles contra catholicam fidem, & catholicum doctorem propoſitas, aſſeueratas, & centies, imò amplius inculcatas?

Hæreſes in illa definitione Liceti attributæ Verbo diuino, & generationi eius ſunt.

1 *Pendet*, hæreſis eſt, quod Filius Dei, vel eius generatio pendeat.

2 *Ab agente primo*. Agens primum eſt tota Trinitas. Hæreſis eſt quòd generatio Filij ſit à tota Trinitate.

3 *Supernaturaliter operante*. Filius Deus naturaliter generatur à Patre Deo: neque natura, aut potentia generatiua Patris eſt ſuperior ad naturam & potentiam generabilis Filij, & hæreſis eſt dicere; quòd Filius non generetur naturaliter.

4 *Circa patiens non vltimò diſpoſitum, & circa materiam non omnino phyſicè præparatam*. Hæreſis eſt ponere, quòd Filius Dei generetur ex materia, ſiuè diſpoſita, ſiuè indiſpoſita.

Hæ ſunt atrociſſimæ hæreſes, quas publicus hic calumniator hæreticalis mihi attribuit, quæ in ipſum recidunt.

49 Error. pag. 70. ad 76. Impugnat definitionem creationis ſcripturalis à me datam, & eædem impugnationes ſunt contra definitionem datam à S. Auguſtino. Impugnatur S. Auguſt. & ſcriptura, cui Auguſtinus.

Impugnationes procedunt à negatione conditionum vnius particularis creationis, & conditionum particularium eius, ad negationem alterius particularis, & ad negationem ipſius communis. Vt Socrates eſt homo doctus, Therſites non eſt homo doctus: ergo Terſites non eſt Socrates: ergo Terſites non eſt homo. Ita Licetus, creatio plantæ eſt ex materia productio; Verbi non eſt ex materia: ergo productio Verbi non eſt creatio plantæ. Ergo productio Verbi non eſt creatio theologicè deſcripta. Sic omnia illius argumenta procedunt cum fallacia accidentis, & conſequentis.

Breuibus Creatio ſcripturalis in cõmuni habet conditiones cõmunes.

1 Eſt *Productio*. ergo adeſt principium producens *à quo*, & terminus productus vt *quod*, vel qui producitur.

2 *Ex aliquo*. ergo adeſt principium, *de quo*.

3 *Interno in producto*, & hoc ſemper: non ſemper principium, *de quo* eſt internum in producente, ſed quandoquè eſt, vt cum quis generat filium de ſemetipſo; quandoque non eſt, vt cum creat magiſtratus, vel vrbes, & quæcumque alia, quæ non exeunt de gignente, ſed forinſecus fiũt: vt quãdo de terra gignitur rana, de ligno gignitur ignis. Sic Auguſtinus l. 1. contra aduerſariũ legis, & Prophetarũ cap. 23.

dum

dum exempla præbet creationis iuxta loquutionem humanam: & ſimilia circa creationem ſcripturalem ſub propria ratione.

Contra Pōtificē Cōcil. Ecclesiā loquitur ſimpliciter.

50 Error. pag. 74. lin. 16. " *ſacrarum Scripturarum authoritate, Conciliorum, & S. Matris Eccleſiæ decretis, omne propriè creatum ſimpliciter eſt verè factum.* ,,

Error. Imponere vocabula ad placitum proprium & illa tribuere ſcripturis, Concilijs, Eccleſiæ.

Secundò S. Dionyſius Papa cum concilio Romano, recepto ab Eccleſia vniuerſali, & ab Eccleſia Romana, decernit, quòd *creauit non eſt fecit*: quod in prouerbijs 8. *creauit me, non eſt fecit me*. in Deuter. 32. *Creauit* te non eſt *fecit* te, quia facere & creare differunt & argumentor.

Quod eſt decretum à Pontifice Romano cum concilio Romano receptum ab Eccleſia Romana, & Eccleſia vniuerſale: illud eſt ſimpliciter dicendum tanquam de fide, & contradictoriam eſt reijciendum tanquam contrariam fidei.

Sed S. Dionyſius Pontifex Romanus cum concilio Romano in decreto de fide & declarando ſcripturas, quæ ſunt materia de fide, determinat, quòd *creauit* non eſt *fecit* in iſtis ſcripturis, & conuertendo actiuum in paſſiuum per regulas grammaticæ, creatum non eſt factum. quod decretum Sancti Dionyſij Papæ receptum eſt ab Eccleſia Romana ſine dubio: receptum eſt ab Eccleſia orientali & occidentali, vt ſatis cognoſcitur ex D. Athanaſio in epiſtola de decretis Nicenis; & patet ab euentu. Etenim determinatio illa facta eſt contra Sabellium pro Dionyſio Alexandrino. Vide Baronium ad annum 263. & ſemper poſtea ab vtraque Eccleſia Sabellius eſt habitus pro hæretico. Dionyſius Alexandrinus honoratur pro catholico, & Sancto; ex quibus habetur & minor propoſitio & probatio eius.

Reſtat concluſio, Igitur debemus dicere cum Scriptura, concilio, Eccleſia, quòd creatum non eſt factum, ideſt non omne creatum eſt factum, non omne creare eſt facere. Quam doctrinam ſequitur D. Athanaſius, tùm loco citato de decretis Nicenis, tùm in ſermone 3. contra Arianos Licetus iactat Concilia, & Patres; ſed contra concilia & Patres loquitur frequenter, ſicuti & nunc facit.

Cōtra S. Dionyſium Papam, omne creare eſt facere.

51 Error. Sed frequens in epiſtola Liceti pag. 75. lin. 14. " *dicuntur iſta duo facta, & creata de iiſdem, vel quia ſynonyma ſint apud Sacram ſcripturam, vt magis Auguſtino placuiſſe videbimus infra. vel quia factum ſit magis vniuerſale, quàm creatum, vt animal vniuerſalius eſt quam homo.* ,,

Duæ ſunt propoſitiones Liceti. prima, Creare & facere ſunt ſynonyma. Secundum hanc propoſitionem, omne creare eſt facere. Omne facere eſt creare, At hoc contra S. Dionyſium Papam eſt, cuius verba ſunt *Differunt facere & creare*: poterat ne Licetus clarius contradicere Papæ, & concilio?

Secun-

Secunda propoſitio. Facere eſt magis commune, quàm creare, ſicut animal homine; ex hac ſequitur, quòd omne creare eſt facere. Hæc propoſitio contradicit S. Dionyſio Papæ & concilio dicentibus, quòd creauit non eſt fecit, in duobus ſcripturæ locis, & eadem eſt ratio de multis alijs: in quibus creari tribuitur ſapientiæ perſonali in Deo: lege in epiſtola ad Baldum pag. 18. 19.

52 Error. pag. 75. lin. 26. " *Omne productum ſit, vel factum vel creatum, vel genitum.*

Hæc propoſitio Liceti maior in ſuo paralogiſmo ſapit hæreſim; nam ex Albertino de agnoſcendis aſſertionibus catholicis, & hæreticis q. 6. num. 2. Illa propoſitio ſapit hæreſim, ex qua cum alio verò notorio, quod negari non poteſt, Concluditur manifeſta hæreſis. Fiat ergo ſyllogiſmus ex maiori Liceti ſic. Propoſitio Liceti ſapit hæreſim.

Omne productum eſt vel factum, vel creatum, vel genitum.
Sed Spiritus ſanctus non eſt factus, nec creatus, nec genitus.
Ergo Spiritus ſanctus non eſt productus.

Concluſio hæc eſt Sabelliana, negans in Deo ad intra reperiri aliquid productum: imò eſt & Ariana & Iudaica, vt in ea deliteſcat ſemen Iudaiſmi.

Minor propoſitio eſt in ſymbolo Athanaſij expreſſa. *Spiritus ſanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus.*

53 Error. pag. 75. lin. 31. "Sic argumentum colligitur. Vitiat ſymbolũ Athanaſij, & ſenſum Eccleſiæ.

Omne propriè ſimpliciter creatum eſt factum.
Verbum æternum non eſt factum.
Ergo Verbum æternum propriè ſimpliciter creatum non eſt. ,,

Maior æquiuoca eſt. *creare propriè ſimpliciter* ſecundum ſcholaſticos eſt facere aliquid ex nihilo immediatè. Secundum Licetum eſt facere circa patiens non vltimo diſpoſitum materiamque non omnino phyſicè præparatam: ergo & ſyllogiſmus in quatuor terminis.

In eadem pag. Licetus vult, quòd Eccleſia ex Athanaſij ſymbolo legens, *Filius à ſolo Patre eſt non factus, nec creatus, ſed genitus*: accipiat vocem creatus pro eo quod eſt *propriè ſimpliciter creatum*, nempè ex materia, & patiente non diſpoſito phyſicè cum cæteris conditionibus à Liceto poſitis pag. 58. lin. 16. qui ſenſus tàm longe diſtat ab Athanaſio, & Eccleſia recipiente Athanaſium, quàm diſtāt nihil, & aliquid. Athanaſius quippe loquens contra Arium negabat creatum, & factum eo modo, quo affirmabatur ab Ario; Arius autem affirmabat, Filium Dei eſſe creatum: & omne creatum eſſe factum ex nihilo, quare & Filium Dei eſſe factum ex nihilo.

Denique nihil concluditur in hoc paralogiſmo: quia non ſolùm aliquando datur creatum, quod eſt factum: ſed etiam datur creatum, quod non eſt factum, teſte Athanaſio de decretis Nicenis ex authoritate S. Dionyſij Papæ & concilij Romani. Si ergo quòd creatum eſt ex materia non diſpoſita phyſicè, eſt factum: non ſequi-

ſequitur, ergo omne creatum eſt factum; imò Dominus creauit Filium ex concilio Romano, ſed non fecit.

54 Error. pag.75. lin.4. in ſymbolo. "*Niceni concilij magno Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem factorem cæli & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium.*"

Falſificat Concil. Nicenũ.

Licetus, vt ei ſolemne eſt, citat concilia, quæ non legit. In primo tomo concil. Venetæ impreſsionis 1585. pag.532. recitatur ſymbolum concilij Niceni ſic. "Credimus in vnum Deum, Patrem omnipotentem, omnium viſibilium, & inuiſibilium factorem," eodem modo recitatur in 3.4.5. ſynodis, & à Ruffino lib.1. hiſtor. cap.7. atque alijs hiſtoricis, & Patribus. Verba illa, *factorem cæli & terræ* Licetus falsò attribuit concilio Niceno, ſunt enim addita in concilio Conſtantinopolitano primo.

Omnes Patres, & Concilia cõtraria concilia, & Patres multos.

55 Error. pag.76. lin.10. "*Quintus verò modus creationis eſt propriiſſimus, vniuocè dictus, & celeberrimus apud omnes Patres orthodoxos in concilijs Eccleſiam conſtituentes & apud eorum ſingulos, quæ quidem creatio ad propoſitarum omnium differentiam eſt productio entis ex nihilo.*"

Licetus fertiliſsimus eſt in citandis concilijs, ac Patribus in vniuerſali. Sed ſteriliſsimus citando in particulari. Certè concilium orientale præcipit ſub anathemate, vt intelligamus de Filio, illud, *Dominus creauit me* Prouerb.8. Sed concilium non vult, quod Filius ſit factus de nihilo, aut productus de nihilo. Concilium Romanum ſub S. Dionyſio decernit, Dominus *creauit me*, intelligi de Filio: ſed *creauit me, non eſt fecit me.* At quod non eſt factum, non eſt ex nihilo. Concilium Apoſtolorum dicit in perſona Chriſti eſſe ſcriptum à Salomone: *Dominus creauit me.* At perſona Chriſti non eſt facta de nihilo; ergo in his tribus concilijs Orientali, Romano, Apoſtolico creatum eſſe non eſt eſſe factum ex nihilo.

Licetus nullum concilium citat, nullum Patrem: cito ego S.Iuſtinum in oratione ad gentes, & S. Auguſtinum in lib.de moribus Manichæorum cap.7. & in libro primo contra aduerſarium legis cap.23. qui docent condere, ſeu creare apud ſcripturam eſſe ex *eo quod eſt*: non ergo ex nihilo. Profectò in concilio Niceno primo nulla mentio habita eſt de voce *creatum* in determinatione de fide. Quod in diſputatione dictum eſt, nos non obligat, ſicut dixi in obſeruatione 61. Neque de ſignificato creationis eſt habita diſputatio, quoniam Euſebius Pamphili, occultus Arianorum fautor, noluit reſpondere ſecundum traditiones Patrum: nam ſi ſecundum eas reſpondiſſet, creationem eſſe productionem, & non ex nihilo dixiſſet. Sicut & Scriptura, *Creauit orbem terrarum ex materia* Sap.11. *Et* Eccl.33. *omnes homines de ſolo, & ex terra, vbi creatus eſt Adam.* Ex terra, ex materia inquit ſcriptura. Cõcilia & Patres non loquuntur contra Scripturam quamuis nihil vetet pro oportunitate accipere vocabula æquiuocè hoc eſt in alio ſignificato, prout creare eſt facere ex nihilo.

Error.

56 Error pag.76. lin.vlt. "*Sæpius in ſacris litteris creationem ex nihilo legi certum eſt, ac expreſsè.* (Falſificatio ſcripturarũ de creatione.)

Licetus in cap.9. rationes 18. & in cap.13. rationes octo eaſdem conficit: citatque loca ſcripturarum ſupra viginti ad oſtendendum, quòd in Scriptura Dei *expreſſe* reperiatur *creatio ex nihilo*. Sed quoties citat Scripturam, toties falsò citat; in nulla enim ex ſcripturis citatis vox creandi conſtruitur cum particula *ex nihilo*. Quod eſt additum ad ſcripturam, ſacrilegum eſt dicere, eſſe ſcripturam: ad quam nec verbulum addere, vel auferre licet. Quare expoſitiones Liceti, rationes, propoſitiones, non ſunt expreſſa ſcriptura, nec aliquid ad punctum difficultatis faciunt. Nam quod extra ſcripturam detur creatio ex nihilo, & ego concedo. Sed quòd ſit in ſcriptura expreſsè, hoc nego. At Licetus ſua dicta obtrudit, tanquam expreſſas Scripturas.

57 Error.pag.77.lin.19. *Ex nihilo nati ſumus;* "concludit Licetus, ergo *creatio eſt productio ex nihilo.*

Tres errores ſunt. Primus, quia Licetus pag.13. lin.15. pag.109. à lin. 20. pag.162. lin.26. pag.39. lin.12. reprehendit me, ſed falsò, quòd confundam generationem cum creatione, genitum cum creato. contra S. Auguſtinum reprehendentem hoc in Arianis. Sed Licetus in iſta pag.77. *natum ex nihilo & creatum ex nihilo* confundit. Idem enim ſunt natum, & genitum. Sicuti ſymbolum Nicenum, alij transferunt, *natum non factum*, alij, *genitum non factum*. (Natũ, & creatum ex nihilo ſunt idem cũ Arianis.)

Secundus. Scriptura integrè Sap.2. ſic habet. *Dixerunt impij cogitantes apud ſe non rectè: Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ: & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt qui agnitus ſit, reuerſus ab inferis; quia ex nihilo nati ſumus, & poſthac erimus, tanquam non fuerimus;* "Spiritus ſanctus ait, voces iſtas eſſe impiorum, non rectè cogitantium: & Licetus contra teſtimonium Spiritus ſancti, affirmat impios rectè dicere, pag.78. lin. 13. cum aiunt, *ex nihilo nati ſumus*. Dicere homines eſſe natos ex nihilo eſt Anabaptiſtarum & Pelagianorum, negantium peccatum originale in natis ex Adamo & Eua, quia nihil trahunt ex parentibus. Sed & contra ſenſibilem experientiam eſt, quòd homines non generentur ex ſanguinibus parentum proximè, & contra Scripturam, quòd non ſint creati de terra remotè, Eccli.33. (Contra Spiritũ ſanctum ſcripturam accipit.) (Homines naſci ex nihilo pro Anabaptiſtis.)

Denique Verbum *naſcor*, & verbum *Creo* diuerſa ſunt. Verbum *naſcor* conſtruitur in ſcriptura cum particula *ex nihilo*: verbum *Creo* vel *creor* minimè: & eſt tertius error falſæ citationis.

58 Error car.78. lin.18. *De terra, quæ tamen in principio Mundi creata fuit ex nihilo.*

Error contra Scripturam immediatè Sap.11. *Creauit orbem terrarum ex materia inuiſa, ſiue informi.* Exponit Liranus de materia prima, (Contra ſcripturam directè.)

& Auguſtinus de fide,& ſymbolo cap.2. Scriptura dicit de materia, Licetus de nihilo.

Quod non eſt de fide, ponit de fide, & incertũ, vt certũ.

59 Error. pag.83. à lin.20. Angelos eſſe creatos ex diuina Scriptura dicit: ſed addit, tanquam Scripturam „*Angelorum enim natura ſpiritualis cum de ſubſtantia Dei facta non ſit, neque de corporali vlla materia, neceſſariò de nihilo facta eſt, & creata.*„

Si hæc dicta eſſent ſacra Scriptura expreſsè: in Scriptura diceretur, Angelus eſſe creatus ex nihilo. Sed ſacrilegium eſt dicere, Liceti dicta eſse Scripturam ſacram.

Atqui neque inter Theologos eſt certum de angelorum materia. Doctor Angelicus tenet, Angelos eſse immateriales cum Ariſtotele, 2. d.3. q.1. S.Bonauentura 2.d.3. q.1.& 2. tenet angelos eſse creatos ex materia cum S.Auguſt. lib.1.de mirab.ſacr.ſcript. cap.1.& 12. Confeſſionum cap.20.S.Bonauenturam ſequuntur Scotus, Aureolus, Ricardus, atque vt ait Martinengus tom.1. Gloſ. car.211. omnes Cęſiani: Rem tàm incertam inter ſcholaſticos, tanquam Scripturam Dei Licetus citat.

Duæ naturæ angelorũ, eſt nouitas in Theologia.

60 Error. pag.86. lin.30. ad 87. lin.10. ponit Licetus duas Angelorum naturas. Alij aſſiſtunt orbibus. Alij miniſtrant; aſſiſtentes ait eſse creatos cum cælo & terra. Alios angelos miniſtrantes ait creatos cum luce corporali.

Nouitas in Theologia eſt, duas angelorum naturas ponere: & duas creationes diſtinctas, primam in opere creationis, ſecundam in opere diſtinctionis. Profectò S. Athanaſius in ſermone 3. contra Arianos tenet, omnes angelos eſse ſimul creatos, ſicut tenent S.Auguſtinus, S.Bonauentura,& ſcholaſtici omnes, quos viderim.

Circa naturas angelorum. S.Thomas tenet, tot eſse naturas ſpecificas angelorum, quot ſunt angeli. S.Bonauentura omnes eſse vnius ſpeciei. Alij tot ſpecies ponunt angelorum, quot ſunt chori. Licetus Ariſtotelem habet pro duce Theologiæ, & ponit angelos orbium, & angelos alios. Quærendum de primo Angelo malo, ſi eſt inter motores, iam angeli mali mouent cęlos, & ſunt in cęlo. Si eſt inter miniſtrantes, qui ſunt *lux* per conuerſionem ad Deum, vt Licetus in pag.3. ergo angelus malus non peccauit; ſi in neutra natura eſt, ergo nulli angeli peccarunt.

Hæreticum pro S Auguſtino citat.

61 Error. pag.92. lin.9. profert Auguſtinum tom.4. quæſt. *veteris teſtamenti*.

Liber ille non eſt S.Auguſtini, ſed alicuius hæretici: qui habet plura & contra fidem & contra Auguſtinum, prout notauit Bellarminus tom.4. col.11.& in cenſura operum Auguſtini validè probat: cui aſtipulatur Poſſeuinus in apparatu. Authores hæreticos citat pro catholicis Licetus. Nec poteſt cauſare inſcientiam profeſſor omnis ſcientiæ, qui ſe tanquam Gorgias, vel Hippias ad omnia reſponſurum offert.

Vide S. Bonau. 3. d.3. q.6. tom.38.

62 Error. Pag. 92. lin.24. *appellat in ſapientia Philo materiam inuiſam.*

Librum Sapiētiæ Philoni tribuit cōtra Patres, & Pontifices.

Coccius in tom.1. Theſauri lib.6. art.9. car.632. oſtendit S. Clementem primum, imo & S.Paulum citauiſſe librum Sapientiæ. Citauit & S.Dionifius Areopagita, quibus Philo vel æqualis, vel poſterior fuit. Iſti quidem non citauiſſent tanquam librum diuinum librum Philonis. Chlicthoueus in 4.Damaſceni probat librum eſſe à Salomone conſcriptum. Sed præſtat adſcribere Melchioris Cani ſententiam lib.2.de locis car.87." Nam, inquit, librum quidem Sapientiæ nomine Salomonis citat Tertullianus de præſcriptionibus hæreticorum: Origenes ſuper Epiſt.ad Rom. lib.8. Cyprianus ſerm.4. de immortalitate. Baſilius lib.5. contra Eunomium, Ambroſius ſerm.8. in pſal. Beati immaculati & lib.3. Exameron. cap.15. & 4. lib. de fid. cap.6.& Euſeb.11. lib. præparationis Euangelicæ cap.5. quin Euſebius ipſe lib.4. hiſtor.cap.22. aſſerit Egeſippum, Irenæum, & omnes antiquos librum ſapientiæ Salomoni tribuiſſe. Tribuerunt certè Euariſtus in epiſtola ad Epiſcopos Africanos, Felix primus ad omnes Epiſcopos Galliæ, Felix ſecundus ad Athanaſium & cæteros Epiſcopos Ægypti, Epiphanius hæreſi 76. Anomæorum, Damaſcenus ſuæ theologiæ lib.4 ubi Iodocus Chlicthoueus multis argumentis cōtendit librum illum non fuiſſe Philonis, ſed Salomonis. In quibus illud maximum eſt, quòd verba, quæ author cap.9. eiuſdem libri de ſe dicit, non alij, quàm Salomoni congruere poſſunt.,,

Ecce Licetus qui ex pag.76. legit omnes, & ſingulos Patres orthodoxos; tot Patribus contradicit. Moyſes eſt, Patres ſunt Aarones Liceto, qui vult docere Patres, non diſcere ab eis: non vult vt Patres dicant, quod dicunt: ſed vt dicant, quod Licetus docet eos.

63 Error. pag.97. lin.5." *Arius quidem opinatus eſt Verbum à Patre fuiſſe creatum ex nihilo, quam hæreſim damnauit ſancta ſynodus Nicena.,,*

Niceni Concilij decretū falsò citat pertinaciter.

Arius dicebat iſtam concluſionem, *filius eſt factus ex nihilo*, ſeu *ex non ſubſtantibus*; iſtam damnauit Concilium Nicenum in ſecunda parte anathematiſmi.

De voce *creatum*, eſt pertinax falſa citatio Liceti. Nam acta ſex conciliorum generalium referunt fidem Nicenam, hoc eſt *ſymbolum, & anathematiſmum:* nec tamen vox *creatum* in anathematiſmo refertur. Lege obſeruationem 61.

64 Error. pag.97. lin.27. " Eſſentia creationis in ſexto ſignificato eſt. "*Ommiſſis omnibus eius imperfectionibus nullum habet attributum, quo propriè, penituſque contra diſtinguatur eſſentialiter à generatione propriè generatim ſuis in conditionibus eſſentialibus*; Licetus in toto capite 10. iſtam creationem ponit in Filio Dei ex concilio Orientali, atque ideò generatio, & creatio in Filio Dei, nullum habent attributum, quo diſtinguantur eſſentialiter: igitur creationem, & generationem vt ſynonymas ponit in Filio Dei. Legatur Licetus pag.39.

Generationē, & creationem confundit cū Arianis.

Vu 2 cum

cum damnat ex Auguſtino non diſcementesgenerationem æternam Filij Dei à creatione.

Legatur Licetus pag 160. lin. 31. vbi diſtinguit eſſentialiter in Filio Dei generationem, & creationem. Sibi ergo contradicit.

65 Error. pag. 102. generationem, & creationem à ſe declaratas dicit. *Conuenire in vnam numero productionem vnius & eiuſdem ſimul & geniti ſupernaturaliter, & creati communiter æquiuocè; tamen adeò differunt inter ſe, vt vna de altera prædicari minime valeat.* "

Probat, quia ſicut perſonæ diuinæ conueniunt in vnum numero Deum, nec tamen vna perſona prædicari poteſt de altera; ita generatio & creatio conueniunt in vna numero productione, nec tamen vna poteſt prædicari de altera.

Filius Dei duplici productione adæquata producitur. Communicabile, & incommunicabile in Deo non diſcernit.

Error duplex. Primus, perſona Filij eſt producta duplici productione adæquata, & perfecta (nihil enim eſt imperfectum in Deo) Secundus; non facere differentiam inter communicabile, & incommunicabile. Deus vnus eſt communicabilis, ideò perſonæ, quæ conueniunt in vno Deo, non prædicantur de ſe inuicem propter fallaciam accidentis, & conſequentis.

Sed productio Verbi eſt incommunicabilis, & ſi duo conueniunt in aliquo incommunicabili, conueniunt inter ſe per regulam de communicatione idiomatum ex 3. ſent. diſt. 7. quam niſi Licetus deſtruere velit, concedere debet, quòd ſi generatio, & creatio conueniunt in vna numero productione filij, ſed productione incommunicabili; iam in Filio generatio eſt creatio, & è contra.

Denique per rationem communicabilis, & incommunicabilis conſtat non eſſe ſimile de vno Deo, & vna productione Filij v...

Pater duplici productione producit ſecũdam perſonã: & ſecunda bis producitur. Vide Auerſ. 1. p. q. 27. ſect. 2. ca. 581.

66 Error. pag. 103. lin. 1. In Patre ponit generationem actiuam, & creationem actiuam reſpectu filij, quæ generatio & creatio. " *Differunt formaliter, quia generationis author eſt prima perſona; ſed ſub ratione Patris, quia Patris ſolius formaliter eſt generare Filium; & Creationis huius author eſt prima perſona, ſed ſub ratione Creatoris.* "

Error in Patre vt principio *quod* ponere duas productiones actiuas reſpectu ſecundæ perſonæ: Error in ſecunda perſona ponere duas productiones paſſiuas in reſpectu ad primam, quod eſt contra ſummam ſimplicitatem ſingulæ perſonæ & contra perfectionem generationis. Certè Scotus quolibet 4. N. vnicam, & ſolam productionem ponit in filio, ſola ratione per intellectum diſtinguibilem.

Verbũ eſt creatura.

67 Error. pag. 102. lin. 27. Definit creationem, quam ponit in filio ſic. "*Creatio communiter æquiuocè definienda ſit productio creaturæ in æternitatis momento à Creatore immutabili.*

Error eſt. Vocare Filium Dei abſolutè *creaturam*; vt ſæpè facit Licetus,

non

non attendens ad loquutiones Patrum relatas in reſponſiua ad Baldum pag. 79. Adde, concilium Toletanum 3. canone 5. "*Quicumque Filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & Spiritum ſanctum a Patre minorem aſſeruerit, & gradibus ſeparauerit, creaturamque eſſe dixerit, anathema ſit.* „ Non debuit ergo Licetus iactator conciliorum, & Patrum contra concilia, & Patres filium appellare creaturam, niſi cum determinatione diſtrahente, quam non apposuit.

68 Error. pag. 103. lin. 5. " Differunt item (ſcilicet generatio, & creatio Filij) quia prima perſona vt creator eſt, principium eſt immutabile; quod attributum non conuenit primæ perſonæ, qua Pater eſt proprius & ad lin. 20. *Attributum immobilitatis, ac immutabilitatis conuenire formaliter non Patri ac generanti proprio, qua tale eſt, ſed primo mouenti quatenus eſt omnium primum efficiens, iam vidimus apud Ariſtotelem: quare prima perſona, non qua Pater eſt proprius ac generans proximè eſt principium immutabile, ſed qua Creator eſt, vt ex Hilario notat Diuus Thomas non vno in loco.* „ citat D. Thomam. 1. p. quæſt. 45. 3. ad 4. ſed falsò citat.

Pater vt generans Filium Dei, non eſt immutabilis. Filius, vt Filius, ~~eſt~~ no immutabilis.

Error eſt, quòd Pater æternus, quà Pater non ſit principium immutabile; nam à quo remouetur negatio, illi tribuitur affirmatio, de quolibet enim verum eſt affirmare, vel negare. Sed à Patre, vt Patre remouetur negatio mutabilitatis in generatione æterna: ergo Patri æterno in generatione tribuitur mutabilitas, quæ eſt hæreſis manifeſta; ſed conſentiens cum capitulo 5. Liceti, in quo ponebat, filium creari per mutationem. Theologi ponunt in diuinis generationem, vt eſt productio, non vt eſt mutatio. Sed etiam in rebus ad extra, generatio productio realiter differt à generatione mutatione per Scotum. 1. d. 5. q. 2. Tribuere oppoſitum D. Thomæ & D. Hilario, falſum eſt in Deo ad intra.

Si imutabile vt primũ efficiens: ergo in productione factorem imutabilis nõ in productione Filii, & Spiritus ſancti.

69 Error. pag. 104. probat, quòd creari negatur communiter à Patre, Filio, Spiritu ſancto, dicente Athanaſio Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus ſanctus; Filius à Patre ſolo eſt non factus, nec creatus ſed genitus; E contra ipſe Licetus concedit Filium creari à Patre, ſed non vt filium ex errore 66. Contradicit Symbolo Athanaſij, cum Symbolo ponit non creari, cum Thoma & Hilario ponit Filium creari, & contradictionem non ſoluit. Sic latenter pro Iudæis oſtendit, Catholicos de Filio ponere duo contradictoria.

Filius eſt creatus, & nõ creatus ſecũdũ Chriſtianos.

70 Error. pag. 104. Citat concilium Nicenum lin. 8. quaſi concilium dicat Filium non eſſe creatum; ita confundit concilium cum Athanaſio; cum concilium de voce *creatum* nihil decreuerit, prout obſeruat. 61. liquet.

Se-

Creatum & factum idem. Contra Concil. Rom. Contra S. Euariſtũ, & Ioannem ſecũdũ ſcripturã exponit.

Secundo Licetus confundit creatum, & factum, quod eſt contra decretum concilij Romani, maximè obſeruandum in loquendo de Filio Dei, *Creauit enim,* inquit concilium, *non eſt fecit*; ergo creatum non eſt factum contra Sabellianos, & Arianos.

71 Error. pag 103. lin. vlt. *Verbum ad intra, ſi conſideretur ſub formali ratione filij, in relatione ad Patrem ei competit ſola generatio, non item creatio.*

Ad lin. 12. *Si verò ſumatur Verbum ſub ratione producibilis in relatione ad Patrem ſiuè ad primam perſonam, intellectumque diuinum ſub ratione producentis, tunc ei conuenit abſolutè productio paſſiua, quæ reſpectu diuerſorum ſimul eſt & generatio, & creatio vna quidem re, ac numero, ſed duplici formalitate diſtincta.*

1 Error primus, quia S. Euariſtus & Ioannes ſecundus generationem, & creationem filij, vt vnum ponunt. Item contra concilium orientale, in quo de generatione, & creatione legimus "*Fitque vtrumque vnum, & vnum vtrumque perfectum: dum & Filius ex Deo, ac ſine demutatione Dei natus eſt, ſic & ex Patre naſcitur, vt creetur, & indemutabilis ex ſe, at naturalis Filio Pater ſic Filium condit, vt generet?*

Condere, & creare ſunt ſynonyma apud Hilarium de ſynodis canon. 5. & ex iſto citato textu, primò apparet, quòd *creauit* & *genuit* ſunt perfectè vnum in re: ſi differunt; ratione ex creaturis accepta, differunt. Secundò apparet, quòd ordo à Liceto poſitus, vt prior ſit generatio, poſterior creatio filij, eſt ſine fundamento; nam ſemel Hilarius prius ponit *naſci* "Ex Patre *naſcitur, vt creetur*: ſemel prius ponit, *condit: Sic Filium condit, vt generet.*

Secundus Error, vt eadem perſona tanquam principium *quod* reſpectu eiuſdem perſonæ habeat duas productiones reales formaliter diſtinctas, imò & eſſentialiter diſtinctas. Item vt Intellectus tanquam principium *quo* ſit elicitiuum duplicis productionis perfectæ, & adæquatæ, quarum vna ſit generatio, altera creatio.

Vna perſona, vt quod producit vnam duplici productiones. Sic & idem principium quo hẽt duas productiones.

72 Error pag. 104. ad 107. Licetus affert verba Sanctorum Thomæ, & Hilarij ad probandum, quòd vna productio filij ſit duæ productiones, ideſt generatio, & creatio. Idem repetit car. 109. & fortè centies in hac epiſtola: Errat in citandis Patribus, & Concilijs. Licetus facit vim in vocabulo productionis, & productionem diuidit in duas formaliter ex pag. 104. & eſſentialiter ex pag. 160. At S. Thomas nec vocabulum productionis, nec diuiſionem ponit loco cit. Sed modum diuinæ generationis ad intra exponit, per generationem, & creationem rerum ad extra. Generatio, & creatio, in rebus extra diſtinguuntur re, ſed vnica in re generatio eſt in Deo, cuius modus eſt conſubſtantialitas, eſt immutabilitas; ſed neque conſubſtantialitas accepta à generatione extra, neque immutabilitas accepta ex creatione extra, ponit diuerſas rationes formales, ſed vnicam prorſus in generatione. Si autem generatio, & communicatio naturæ gene-

generantis diſtinguerentur à parte rei: iam generatio, vt generatio, non communicaret naturam generantis; quare nec eſſet generatio in viuentibus. Si diſtingueretur ab immutabilitate, non eſſet diuina generatio. Ergo generatio diuina eſt vnica formalitas in re notificata: ratione diſtinguitur in comparatione ad res extra, per quas notificatur.

S. Hilarius non habet vocabulum productionis, ſed *natiuitatem* Filij Dei docet declarari, per generationem, & creationem in rebus diuerſis à Deo. In Deo autem eſſe perfectè vnum, quòd eſt natiuitas habens perfectiones ſine imperfectionibus creationis, & generationis: quæ en im ſunt diſperſa in rebus ad extra, vniuntur in Deo ad intra, exceptis relatiuè oppoſitis. Bellarminus autem, intelligendus eſt eſſe conformis authoribus, quos citat.

73 Error. pag. 106. lin. 14. "*Conſtat item communicationem naturæ producentis nihil attinere prorſus ad creationis eſſentiam, ſed illi penitus extraneam eſſe*. Idem leges cart. 108. lin. 27. Licetus loquitur de generatione, & creatione, quas ponit in Filio Dei, atque dat aliam eſſentiam generationi, aliam eſſentiam creationi, ſed extraneam à generatione. Loquutio hæc reprehenditur à S. Hilario 7. de Trinit. in Iudæis & Arianis. Profectò in diuinis non eſt, niſi vnica eſſentia, non vna extranea ab altera.

In Deo eſt alia, & alia eſſentia.

74 Error. pag. 106. lin. 16. ait. " *Creationem definiri non poſſe per principium præexiſtens permanens in creatura, quum id ſit attributum proprium generationis, quo hæc à Creatione contra diſtinguitur*.

Sic pag. 108. lin. 27. *Communicatio naturæ generantis eſt attributum proprium generationis, &c.*

Hæc doctrina ſapit hæreſim, & accipio vnam propoſitionem manifeſtè veram. Quod eſt proprium generationis, non conuenit ſpirationi diuinæ. Sed communicatio naturæ per Licetum, eſt proprium generationis diuinæ. Ergo, communicatio naturæ, non conuenit ſpirationi diuinæ.

Sapit hæreſim. Cõmunicare naturam, proprium generationis.

Sic dico de ſpirantibus. Concluſio eſt hæretica, & maior propoſitio eſt vera: ergo minor Liceti ſapit hæreſim iuxta definitionem propoſitionis, quæ ſapit hæreſim, quam definitionem ſuperius attuli ex Albertino. de Aſſert. q. 6. numero 2.

Secundò accepta eadem maiori, arguo: quod eſt proprium generationis diuinæ, non conuenit ſpirationi. Sed eſſe ex principio præexiſtente, & permanente in producto eſt proprium generationis diuinæ per Licetum. ergo ſpirationi diuinæ non conuenit eſſe ex principio præexiſtente, & inexiſtente in Spiritu ſancto producto; quam ob rem Spiritus ſanctus non erit ex ſubſtantia Patris, & Filij præexiſtente in illis ordine originis, & inexiſtente in Spiritu ſancto. Concluſio eſt hæretica, & maior eſt manifeſtè vera. Ergo minor Liceti ſapit hæreſim.

Secundus

Secundus error in verbis Liceti relatis eſt,quòd in creatione non adſit principium,ex quo præexiſtens,& inexiſtens producto: qui error eſt duplex,ſcilicet in creatione ad extra, quam ponit ſcriptura, & in creatione ad intra,quam ponit Licetus. In creatione ſcripturali ad extra; Sap.11. *Creauit orbem terrarum ex materia inuiſa:* Eccl.17. *Creauit hominem de terra;* & infra. *Creauit ex ipſo adiutorium*. Eccl.33. *Omnes homines,& Adam ex terra creatus.* Geneſis 1. *Creati ſunt piſces* ex aqua.

In ſcriptura non eſt creatio ex aliquo.

In creatione,quam Licetus ponit in Deo ex pag.191. Prima perſona creauit ſecundam,non in eſſe ſimpliciter,ſed creauit *creatorem, condominium,omnipotentem.* Quæro, an prima perſona creando ſecundam in eſſe omnipotentis communicet ſecundæ eandem omnipotentiam, quæ eſt in prima perſona, aut aliam omnipotentiam. Si eandem, ergo in creatione,quâ prima perſona creat ſecundam in eſſe omnipotentis,eſt productio de omnipotentia præexiſtente in prima perſona,& permanente in ſecunda.Idem dico de domino,& de creatore. Quare Licetus negat in creatione ad intra id,quod neceſſariò in ea reperitur. Si prima perſona communicet ſecundæ aliam omnipotentiam,ergo in duabus perſonis erunt duæ omnipotentiæ, duo dominia, duo creatores,quæ eſt hæreſis manifeſta.

Pater creauit Filiũ omnipotentem, non ex omnipotentia præſuppoſita.

75 Error pag.106.lin.20. " *Creatio confert id ſolùm Filio Dei vt producatur à principio immutabili;* Hæc propoſitio in hac epiſtola eſt repetita fortè ſexcentis locis,& fortè pluribus & eam repetit tanquam dictam à S.Hilario,& à S.Thoma ex concilio orientali catholico. Quia verò locus à Concilijs & à Patribus eſt de fide: ideò eſt diligenter expendendus. Dupliciter poſſumus conſiderare creationem illam, de qua concilium, & hi Patres loquuntur; primò ex natura rei,ſecundò ex dictis eorum. Loquuntur autem de creatione ex nihilo,quam Ariani opponebant, vt ex ea etiam oſtenderent, qua ratione Filius Dei,qui genitus eſt, poſſit dici creatus in prouerb.8.

Multas perfectiones creationis aufert à generatione Filij contra Cõcilium Orientale.

Perfectiones ex natura rei repertas in creatione ex nihilo Licetus pag. 99. lin.28. incipit ponere.

1 Quòd principium productiuum eius ſit actu, vel in actu.
2 Quòd momento fiat vniuerſa ſimul.
3 Quod omnino careat materia,& principio paſſiuo.
4 Quòd non neceſſariò ponat compoſitionem phyſicam, realem in eſſentia creaturæ,,

Cæterùm hæ quatuor perfectiones notatæ in creatione ex nihilo, adſunt in productione Filij Dei. Nam principium productiuum filij eſt purus actus: in productione filij nulla adeſt materia, vel principium paſſiuum: filius non eſt compoſitus,aut componibilis. Secunda conditio ſola eſt limitanda, quia creatio rei ad extra communiter momento peragitur: quod momentum raptim tranſit; id

quod

quod eſt imperfectionis: momentum autem, quo Filius Dei producitur, eſt impartibile, ſed æternum. Igitur ex natura rei loquendo, à creatione ex nihilo poſſumus accipere plures conditiones, non autem ſolam immutabilitatem producentis.

Nunc ad Hilarium, & Concilium vertamur. Ab eis.

1 Ponitur principium, *à quo*, ſcilicet *Parens*, qui creat Filium.

2 Principium *ex quo*, ſcilicet *ex ſe ipſo*.

3 Natura Parentis, quæ communicatur à parente proli ponitur incommutabilis.

4 Parens, indemutabilis dicitur.

5 Vnitas in principio *quod*, quia non ſunt duo ſexus.

6 Natura creantis impartibilis.

7 Conſortium creationis cum generatione.

8 Excluſio omnis paſſionis corporalis.

9 Notificatio natiuitatis per generationem, & creationem noſtrâtes.

10 Ordo inter generationem, & creationem ad intra excluſus.

1 Prima conditio illic indicatur. "*Creationem referens ad parentis indemutabilem naturam*", & infra, "*indemutabilem Patris naturam,*" Hic Parens, & principium, *à quo* indicantur.

2 Conditio, de parentis natura ait. "*Creauit ex ſe ipſa, quod genuit*. ergo *ex ipſa natura parẽtis*, vt principio *ex quo* creatio geniti explicatur.

3 Conditio, naturæ Patris, *natura indemutabilis*.

4 Conditio Patris, *Sine demutatione* Dei natus eſt. *Et indemutabilis ex ſe, ac naturalis Filio Pater, ſic Filium condit*.

5 Conditio, "*Filius Dei non corporalis partitudinis eſt genitus exemplo*.

6 Conditio, *Extra humani partus ſpeciem, & conſuetudinem ſine imminutione aliqua*. In generatione humana, ſubſtantia parentis imminuitur, quia partem dat, partem retinet; ſed in creante impartibilis natura eſt etiam reſpectu creationis ad extra; quare & in creatione ad intra tota ſubſtantia Patris ſine imminutione cõmunicatur filio. *Creantis opus non hẽt paſſionẽ aut permiſſionis, aut partus.*

7 Conditio. *Sapientia itaque, quæ ſe dixit creatam, eadem in conſequentibus ſe dixit & genitam*.

8 Conditio. *Idcirco ait creatam ſe eſſe ſapientia, omnes in generatione ſua corporales paſſiones excludens*.

9 Conditio. *Per duo nomina hoc eſt condidit me, & genuit me, &c. Sicut tradidit ſapientia ex duobus pium intellectum.* Amplius. *Vt cum creatam ſe & genitam confitetur, abſolutam Natiuitatis ſuæ intelligentiam præſtaret*.

10 Conditio: *Ex Patre naſcitur, vt creetur, & indemutabilis ex ſe, ac naturalis Filio Pater ſic Filium condit, vt generet*. prius naſcitur, vt creetur: poſterius conditur, vt generetur.

Hæc mihi ſint collecta ex Hilario. Alius perſpicacior plura etiã colliget. Sed Licetus dicet: D. Thomas ſolam immutabilitatem ponit.

Reſpõdeo, aliud eſt actus narrãtis, aliud res narrata. Vt Matt. 28. Narrat

de Madgalena,& altera quòd iuerint ad ſepulchrũ Saluatoris,nõ narrat alias mulieres, negatio eſt in actu narrantis; ſed in re narrata, & Marcus, & Lucas,vterque cap.vltimo, teſtantur, alias quoque mulieres plures ad ſepulchrum profectas. Ita B. Thomas narrat ex creatione immutabilitatem ſumi ad generationem diuinam indicandam, non narrat alias conditiones, vt negatio ſit in actu narrantis. Verum & ex natura rei,& ex Hilario,atque Concilio,aliæ conditiones erui poſſunt ad notificandam Filij Dei generationem,& modum eius.

Deprauatur concilii Orientale.

76 Error.pag.107.lin.5. allato Canone 5. Concilij orientalis ait „ *Ex qua concilij definitione conſtat damnari poſitionem dicentium creationem,& generationem Filij Dei, eſſe ſynonyma.*

Verbique generationem formaliter eſſe creationem propriè. Error eſt attribuere concilio,quod in concilio non eſt.Concilium nihil de ſynonymis; ſed damnat eum, qui per *condidit me & genuit me conditionem tantummodo dicens, & nequaquam filium*; Erant enim duæ claſſes Arianorum: vna,quæ ſolam creationem ex nihilo tribuebat Filio Dei, ſed generationem omnino negabat à filio. Altera affirmabat de filio & *creauit*,& *genuit*; ſed per vocem *genuit*, nihil aliud volebat intelligere, niſi creationem ex nihilo, & filium eſſe creatum ex nihilo: non genitum ex ſubſtantia Patris,nec verè filium. Iſti ſecundi deprimebant generationem ad creationem ex nihilo, & contra iſtos loquitur Canon Concilij. Sic.

„ *Si quis condidit,vel creauit me, & genuit me, ab eodem audiens, hoc genuit me,non tamen ex ſimilitudine eſſentiæ intelligat, ſed idem eſſe dicat genuit me, & condidit me, quaſi non dicens filium de Deo perfectum ex duobus nominibus ſignificatum filium: ſed per duo nomina hoc eſt condidit me,& genuit, cõditionem tãtummodo dicens & nequaquam filium ſicut tradidit ſapientia, ex duobus pium intellectum: anathema ſit.* Qui ergo deprimunt generationem, vt ſit creatio ex nihilo, & negant veram generationem à Filio Dei,illi damnantur. Qui autem creationem ab imperfectionibus expurgant, & eam cum generatione compoſſibilem faciunt, hi cũm concilio,& Patribus, Thoma atque Hilario laborant.

Quod in vltimo addit Licetus damnari dicentes, Verbi generationem eſſe creationem propriè, eſt Liceti excogitatio: creatio *propriè* ſecundum Licetum eſt ex materia & principio paſſiuo vt in capitibus 7.& 8. Sed in illo concilio nullus fuit,qui diceret Filium Dei eſſe creatum ex materia,& principio paſſiuo. Hæretici creatum ex nihilo, catholici creatum ex ſubſtantia Patris aſſerebant ſicut Hilarius, ſiue concilium ait de perſona Patris. *Creauit ex ſe ipſa, quod genuit.* Sed materia nemini tunc in mentem venit.

Generatio Filij eſt opus.

77 Error.pag.108.lin.22." *Generatio ſit opus naturæ Paternæ. Creatio ſit opus omnipotentiæ paternæ; quæ duæ ſunt attributa diſtincta.*

Duo

Duo falſa. primus error eſt, quod generatio Filij Dei ſit opus. nam à S. Dionyſio Papa cum concilio Romano damnantur dicentes, *Filium Dei eſſe opus*; non enim eſt opus, ſed principium operum. Generatio autem Filij, & Filius ſunt idem in re, differunt ſicut concretũ, & abſtractum: ergo nec generatio Filij eſt opus.

Secundus, quia creatio, qua creatur filius (eo modo quo creatus dicitur cum Scriptura, & traditione) non eſt opus omnipotentiæ. Omnipotentia enim non eſt ratio producendi ad intra, ſed ad extra; & per eamdem omnipotentiam communem tribus tres perſonæ creant ad extra, nec per omnipotentiam aliquid agit Pater, quod non agant Filius, & Spiritus ſanctus vt vnum omnipotens. Quod ſi Pater per omnipotentiam produceret Filium, etiam Filius produceret Filium, ſunt enim tres perſonæ vnum omnipotens. Filius eſt opus omnipotentiæ.

78 Error. pag. 109. lin. 18. "*Quibus anathemate plectitur omnis quicumque per duo nomina generationis, & creationis tanquam per ſynonyma productionem Verbi deſignauit, illius generationem aſſerens eſſe verè creationem.* Anathematizat Pontifices, & eorum dicta.

Repetit eadem, quæ in pag. 106. & 107. de ſynonymis. Repetit anathemate plecti dicentes, quòd generatio filij ſit creatio verè.

Mirabilis homo. S. Euariſtus Papa & Ioan. Secundus Papa *creauit* in Eccl. 24. explicauere per *genuit*; poſt quos plurimi Doctores catholici per creationem dixerè intelligendam eſſe generationem Filij. vti demonſtratum eſt in diſputat. Domini Gaſparis. Horum nullam rationem habet Licetus. Sed canonem concilij paulò ante declaraui in errore 76.

79 Error pag. 109. lin. 27. "Quamuis autem anathema fulminatum feriat Arianos dicentes, generationem filij fuiſſe creationem ex nihilo.

Tangere tamen etiam nouam opinionem videtur, quæ dicit generationem filij eſſe creationem ex aliquo. Quoniam & iſta non diſcernit generationem à ſua creatione, productionemque filij, non ex duobus nominibus varias proprietates indicantibus, vt per duo nomina prorſus eamdem rem ſignificantia declarat."

Primus error eſt, aſſumere authoritatem legiſlatoris, & pœnam inflictam tenenti vnum contradictorium extendere ad tenentes alterum contradictorium: vt ſi anathema dicatur aſſerentibus, quòd bruta ſint rationalia, & cum intellectu: extendatur etiam ad aſſerentes, quod ſint non rationalia & ſine intellectu. Vſurpat authoritatem legiſlatoris extendendo pœnas.

Secundus. Licetus anathemate plectit ponentes filium eſſe creatum creatione ex aliquo. Sed Concilium, & Hilarius ſcribunt de Patris perſona, *creauit ex ſe ipſa, quod genuit* ergo Licetus anathemate plectis concilium, & Hilarium.

Tertius. creatio, & generatio extra Deum ſunt diuerſæ, ſed ſi refectis imperfectionibus perfectiones ad Deum referantur: in Deo ſunt per- Diſpe-ſi in cre-tin

ris, ſunt diſperſa in Deo. Pater nō ex ſeipſo creat Filium, contra concilium Orientale.

fectè vnum. ergo cum concilio dicimus, quòd generatio eſt creatio, & creatio eſt generatio: vnū quippe de ſe ipſo verè prædicatur. Dixi autem verè, quia veritas eſt in propoſitione affirmatiua, etiam ſi aliqua diſtinctio terminorum ſeruetur: vt hæc propoſitio, homo eſt riſibilis, vera eſt, quia termini ſunt vnū re, licet formaliter differāt.
Quòd verò ait de me, quòd generatio Verbi ſit formaliter creatio, verum eſt: ſed Licetus ad nomen arguit, non ad rem; nam creatio, ideſt productio ex aliquo; non eſt idem prorſus cum generatione, ſed *generatio, & productio ex aliquo* ſe habent, ſicut ſuperius & inferius, quæ ſunt partim idem, partim diuerſa; omnis enim generatio eſt productio ex aliquo, ſed non è cōtra; etenim productio ex aliquo prædicatur de ſpiratione Spiritus ſancti, de productione terræ ex materia, de productione tabernaculi legalis ex oblationibus: vnde argumentum Liceti continet fallaciam accidentis, à partiali identitate ad totalem.

1 Error. pag. 11. lin. 12. "*Natura diuinæ communis Patri, & Filio, à Patre Filio communicatur non per actum creationis,*
2 *At ſolūmodo per actū generationis, prout hæc à creatione contradiſtinguitur.*
3 *Etenim creationis ratio ſolum reſpicit immutabilitatem Patris, non autem communicationem naturæ præſuppoſitæ.*
4 *Quod illico declaraſſe vidimus B. Hilarium his verbis quæ repetenda ſunt in re maximi momenti ad conuellendam opinionem falſam circa dogma fidei, quam poſſet authoritas celebris theologi perſuadere nonnullis cum inſigni veritatis, ac fidei detrimento.*

Hilarij verba.

"*Sed quia Dei Filius non corporalis partitudinis eſt genitus exemplo, ſed ex perfecto Deo, perfectus Deus natus eſt; idcirco ait, Creatam ſe eſſe ſapientia, omnes in generatione ſua corporales paſſiones excludens. At verò vt oſtenderet non creationis in ſe, ſed natiuitatis naturam eſſe ſubiecit & genitam, vt cum creatam ſe, & genitam confitetur: abſolutam natiuitatis ſuæ intelligentiam præſtaret: dum & indemutabilem Patris naturam in creatione ſignificat, & legitimam, ac propriam ex Deo Patre genitæ naturæ ſuæ oſtendit eſſe ſubſtantiam.*"

Pater nō ex ſeipſo creat Filiū, contra concilium Orientale. Pater naturalis ex ſe condit filiū, vt generet.

Primus error eſt. *natura diuina à Patre non communicatur filio per actum creationis.* Si Licetus hoc non diceret ex authoritate concilij, & Hilarij eſſet aliquo modo tolerabile. At intolerabile eſt prætendere verba concilij, & concilij verba negare. Verba ſunt iſta de Perſona Patris. *Creauit ex ſe ipſa, quod genuit.* ergo per actum creationis filius eſt ex ſubſtantia Patris. Et infra. *indemutabilis ex ſe, ac naturalis Filio Pater ſic filium condit, ut generet.* ergo condere, eſt quaſi via ad ipſum generare, vel potius quaſi genus ad generare: ſcilicet per creationem habet vt producatur ex aliquo, ſed per generationem vt producatur *naturaliter* ex natura interna Patris. In hoc enim diſcernuntur creare ſcripturale, & generare, quòd creare eſt ex aliquo, ſiuè principium, *ex quo*, ſit internum, ſiue non inter-

num producenti; ſed generare in viuentibus eſt determinatum, vt principium *ex quo* ſit producenti internum. Rurſus creare poteſt eſſe, & per modum naturæ, & per modum voluntatis: ſed generare eſt determinatum per modum naturæ. Itaque generare & creare ſunt proportionalia ad ſpeciem, & genus, nam in Deo non eſt genus, nec ſpecies.

Secundus error, in ſecunda particula, *quod natura communicetur à Patre Filio per actum generationis, prout hæc à creatione contra diſtinguitur.* Error, quia ſpecies vel quaſi ſpecies non excludit genus; Si natura communicatur per actum generationis, non ſequitur, ergo non per actum productionis: imò & per actum productionis incluſum vt ſuperius in generatione. Creatio autem in iſtis ſcripturis idem eſt, quod productio, vel productio ex aliquo vt in epiſtola ad Baldum pag. 20.

Secunda perſona duabus productionibus contradictis producitur.

Neque vera eſt illa reduplicatio, *prout hæc à creatione contra diſtinguitur;* quia talis reduplicatio Liceti eſt, non Hilarij; & quia falſa eſt, generare enim, & creare in filio ſunt ſubordinata, non contradiſtincta; loquendo etenim de creatione ex nihilo, in ea continentur *factio, & productio* ad modum generis; aſcendendo ad Deum, relinquitur *factio*, quæ dicit imperfectionem, retinetur productio paſſiua, quæ non dicit imperfectionem. Aſcendendo ex parte differentiæ adeſt *ex nihilo*, quæ particula expreſsè à S. Hilario vt impia, & hæretica reijcitur. Negato vno contradictorio à productione, neceſſario *ponitur* alterum: ergo remanebit in Deo creatio, vt eſt *productio ex aliquo*, atque hoc pacto euadit idem re perfectè, ſed ratione differens à generatione, ſicut ſuperiùs, & compoſſibile cum omni perfectione generationis diuinæ.

In tertia particula repetit errorē, quòd ratio creationis apud cōcilium orientale reſpiciat ſolā immutabilitatem, quem in errore 75. reieci.

Sola immutabilitas in creatione Filii eſt.

In quarta particula, quòd meam opinionem vocat falſam circa dogma fidei, & allaturám inſigne detrimentum veritatis, & fidei, ad maledicentiam ſpectat; quia tamen mea opinio, fundatur ſuper decreto concilij Romani, quòd Pater creauit filium, ſed *creauit* non eſt *fecit*: fundatur ſuper decreto Euatiſti, & Ioan. Pontificum, quòd *creauit* eſt *genuit* atque adeò & produxit: inde eſt, quòd mea opinio eſt de fide, & oppoſita Liceti eſt contraria fidei catholicæ. Ego dico, Filium eſſe productum ex ſubſtantia Patris interna Filio, vnde ſequitur, quòd Filius eſt productus ad intra. Licetus contra aſſerit hanc eſſe doctrinam Arij, & penitus contrariam concilio Niceno; qua in re mea doctrina eſt concilij Niceni: Liceti doctrina eſt iudaiſmi reſtitutio, ac Arianiſmi.

In quinta particula recitat verba concilij, aut Hilarij, quæ vera ſunt: ſed ex eis ſæpius repetitis nihil concluditur pro Liceto, qui ponit conſequentias, nec probat.

Sextò

Generatio Filii eſt mutatio Pater generãs eſt mutabilis. Productio S ſpiritus ſancti eſt mutatio.

Sextò reuertor ad tertiam particulam, in qua negat immutabilitatem generationi Filij,& dat creationi. vnde cum Pater generat Filium formaliter, & hoc prius origine ex Liceto, quàm creet Filium, tunc Pater non eſt immutabilis in generando, imò generatio eius eſt mutatio. Ità dum Pater,& Filius ſpirant Spiritum ſanctum,non creãt, Pater,& Filius ſunt mutabiles,ac Spiritus ſanctus mutabilis,eiuſque ſpiratio mutatio, quia productio Filij ex ſola creatione habet immutabilitatem. Sic productio Spiritus ſancti,cum non dicatur creatio per Licetum,non erit immutabilis.

81 Error pag.113. lin.15. "*Argumentum nobis efficaciſſimum exhibet aduerſus hanc opinionem nouam, quæ creationis Filij Dei ſpecificam differentiam ponit naturam diuinam præſuppoſitam eſſe, ex qua Filius Dei creationem habeat.*

2 *Etenim ita dicendum eſſet in productione Filij ſolam creationem locum habere, non item naturalem generationem.*

3 *Quod cum Arij coincidit errore, licet ille, de alia creatione loquatur, quæ fit ex nihilo. noua opinio de creatione ex præſuppoſito principio permanente in creato.*

4 *Nam vterque ſic ſolam creationem Filio Dei tribuit, non item naturalem generationem, quod non minus à verò diſtare diceret Hilarius.*

5 *Quia ſi genus creationis eſt productio, ſpecifica verò differentia eſt ex præſuppoſito principio permanente in re creata.*

Adductionis impotentia.

6 *Quum ſpecifica differentia creationis non poſſit vlla ratione conuenire generationi.*

7 *Neceſſario productio Filij ex ſubſtantia Patris præſuppoſita permanente in Filio foret pura creatio, & non vera naturaliſque generatio.*

Tàm multa ſunt errata, vt opus eſſet ſingulas lineas notare. Prima propoſitio falsò imponit mihi, quòd creationis differentiam ſpecificam poſuerim eſſe naturam diuinam præſuppoſitam *ex qua* creatio fit in Filio Dei. Aliud eſt creatio in communi, & differentia conſtituens eam; aliud differentia diuidens commune,& ſpecificans ſpeciem inferiorem. Rationale enim non eſt differentia ſpecifica animalis,ſed hominis,quia conſtituit ſpeciem hominis. Sic in definitione creationis in communi ponitur principium *præſuppoſitum ex quo*, quæ eſt differentia conſtitutiua creationis in communi; & hæc poteſt contrahi, vt ſit vel ad intra in Deo, vel ad extra. Ad intra principium præſuppoſitum eſt natura diuina, in qua communitate creatio poteſt contrahi ad generationem, vt S.Euariſtus poſuit Filium *creari*, ideſt *generari*: & ad ſpirationem, quemadmodum S.Irenæus dixit Spiritum ſanctum creari. Poteſt & iſte gradus ſpecificari per rationem *principij interni* in producente,& per rationem *modi naturalis*, tunc enim creatio ad intra per iſtam differentiam quaſi ſpecificam,erit generatio. Quod autem ratio communis prædicati, vt generis auferat, vel differentias ſpecificantes, vel

ſpe-

ſpecies eſt inopinabilis aſſertio Liceti, quaſi ſubſtantia in communi non poſſit ſtare cum rationalitate in homine. Maneat nunc quòd prima particula Liceti falsò mihi imponat creationis differentiam ſpecificam eſſe *naturam diuinam*. Natura diuina eſt differentia quaſi diuidens creationem, non conſtituens.

In ſecunda particula eſt manifeſtus error Liceti contra fidem: quia dicit ex natura diuina præſuppoſita ſequi in Filio ſolam creationem, non item naturalem generationem. ergo vult, quòd ratio naturæ diuinæ præſuppoſitæ non ſtet cum naturali generatione; nam ſi ſtat cum illa, iam erit & creatio, & generatio ſimul.

Communicatio naturæ præſuppoſitę nō ſtat cum generatione naturali.

In tertia particula error eſt, idem iudicans de creatione ex nihilo, & de creatione ex aliquo: de creatione, quæ non poteſt ſtare cum generatione, talis enim eſt creatio ex nihilo, & de creatione, quæ poteſt ſtare, & ſtat cum generatione, & generatione Filij Dei, dicente concilio orientali de Patris perſona, *Creauit ex ſe ipſa, quod genuit*, ergo creatio ex aliquo ſtat cum generatione vera ex decreto concilij; nam ſi addideris creauit ex ſe ipſa, ſed per *modum naturæ*, iam ipſum *creauit* eſt genuit, ſicut animal iunctum rationali eſt homo.

Idem iudiciū eſt de creatione ex aliquo, & de creatione ex nihilo.

Quarta particula eſt merè falſitas pro ſecunda parte; quoniam creatio ex aliquo ſtat cum generatione vera, vt concilium dixit. Vnde qui ponit communicationem *naturæ* producentis, & per modum naturæ, iam ponit generationem vt Hilarius ipſe docuit: cuius dictum *creauit ex ſe ipſa, quod genuit*, nunquam Licetus conſiderare voluit.

Creatio ex aliquo non ſtat cum generatione.

In quinta particula ponitur differentia ſpecifica creationis in communi, ſed illa communis poteſt coniungi cum differentia ſpecifica creationis ex aliquo.

Sexta particula continet propoſitionem erroneam contra concilium Orientale, & Hilarium: nam ipſa creatio ex aliquo conuenit neceſſariò generationi, & non è contra: ſed Licetus voce creationis æquiuoca vtitur callidè. Siquidem creatio ex nihilo non poteſt ſtare cum generatione: ſed creatio ex aliquo poteſt ſtare cum vera generatione & ad intra, & ad extra.

Creatio ex aliquo non conuenit generationi Filii.

Vltima propoſitio falſa eſt, nam ad conſtituendam perſonam Filij non ſufficit ratio creationis communis, non ſufficit ratio creationis ad intra, ſed requiritur vt principium internum in creante communicetur per modum naturæ. quam conditionem ſpecificam generationis, nunquam Licetus poſuit in hac ſua epiſtola, quantum memini. Ideò putauit ad productionem Filij ſufficere *communicationem naturæ diuinæ*: quod falſum eſt: nam hoc dato, etiam Spiritus ſanctus eſſet Filius, quoniam Spiritui ſancto communicata eſt natura diuina. Denique error eſt ex ratione communi poſita ſola, habere ſpeciem, vel quaſi ſpeciem. Creatio ad intra eſt quaſi genus, in qua principium præſuppoſitum eſt natura diuina. Licetus exiſtimat

Ad generationē non req̄ritur modus naturæ.

mat hoc ſolùm ſufficere ad eſse Filij. ideò atguit: ſi creatio eſt talis, ergo ſola creatio eſſet in Filio. Non aduertit per hanc rationem communem Spiritui ſancto, quòd Spiritus ſanctus eſſet Filius. Non aduertit, quòd præter rationem communem creationis, & rationem creationis ad intra minus communem, requiritur differentia ſpecifica generationis ad conſtitutionem Filij & generationis eius.

Violat Symbolũ Apoſtolicum, & Nicenũ.

82 Error pag.113. lin.31. " *Quod contra ſymbolum & Apoſtolorum, & Nicenum & Athanaſij eſt, vbi legitur Verbum genitum non factum, neque creatum.* "

Error contra fidem, & fidei confeſſionem eſt tanta cum negligentia attendere ad ſymbola fidei, quæ ſumma cum diligentia ſunt ab Apoſtolis, Concilijs, & Patribus compoſita.

In ſymbolo Apoſtolorum nulla eſt ex iſtis quatuor dictionibus. *Verbum, Genitum, Non factum, neque Creatum.* Sed fortè Licetus nunquam recitat Symbolum Apoſtolorum. In Symbolo Niceno non adeſt vox *Verbum,* neque vox creatum.

In Symbolo Athanaſij non adeſt vox *Verbum.* Ita nullum Symbolum eſt exactè citatum; quaſi nihil referat hoc, vel illo modo dicere, ſed Symbolum ſit mutandum ad voluntatem Liceti. Propter vnum vocabulum *filioque* inter Græcam, & Latinam Eccleſiam, ab octingentis annis litigium eſt: quid fieret, ſi tot dictiones inuerterentur?

Generationis definitio datur cõueniens Spiritui ſancto.

83 Error.pag.114.lin.7. " *In productione Verbi duo tantummodo ponant, attributa immutabilitatem, ſeu impaſſibilitatem producentis, in qua conſtituunt rationem creationis, & communicationem naturæ producentis ipſi producto Verbo, &c.* Hoc dicit referri ad generationem pag. 112.lin.29. " *Proprium eſt generationis Fieri ex ſubſtantia generantis idque non eſt attribuendum Creationi.*

Generatio conſiſtit in ſola cõmunicatione naturæ.

Pag.114. lin.27. *Communicationem naturæ ponit tanquam differentiam ſpecificam generationis.*

Et pag.116.lin.39. " *Quia creatio conſiſtit in ſola immutabilitate producentis, generatio verò in ſola communicatione naturæ.*

Repetit eumdem errorem frequenter, quòd generatio conſiſtit in ſola communicatione naturæ producentis. Sed Spiritui ſancto communicatur natura producentium Patris & Filij: ergo in ſpiritu ſancto eſt differentia ſpecifica generationis, atque generatio. Concluſio eſt hæretica, & propoſitio Liceti ſapiens hæreſim.

Senſum falsũ tribuit cõcilio Oriẽtali.
Creatio damnata cõcilio. udatur,

84 Error.pag.112.lin.32. " *Neque quod proprium eſt creationis vel propriiſſimè ſumptè fieri ex nihilo, vel propriæ dictæ ſimpliciter, fieri ex indiſpoſito ſubiecto, tribuendum eſt generationi potiſſimum Filij Dei, quam colimus. quoniam illud Arium ſcriſſe ſtatim admonet Hilarius inquiens: Hæreſis ergo creaturam eſſe Dei Filium profiteri auſa, damnatur, quia impiam creaturæ Dei ex nihilo, opinionem, impaſſibili per eam diuinitatis perfectione monſtrata, conſequens profeſſio naturalis generationis extinguat.* "

Lice-

Licetus verè dicit de creatione ex nihilo: quòd ab Hilario damnetur; non verè de creatione ex ſubiecto diſpoſito, vel indiſpoſito; ſed contra fidem concilij relati ab Hilario, Licetus adiungit de ſuo. vt propriiſſima à Liceto.

Rurſus. Creationem ex nihilo cõcilium,& Hilarius impiam dicunt: ſed Licetus illam creationem ex nihilo præfert omnibus vt propriiſſimè dictam.

85 Pag.116.lin.3. "*Creatio eſt productio creaturæ ſolo iuſſu ac imperio voluntatis creatoris,qui formaliter nihil ſuæ naturæ communicat Creato. verum creationem promouet vt Dominus immutabilis.* Creatio malè definitur, ne ſcriptura, concilia Patres recipiantur.

Aut Licetus iſtam creationem, quam deſcribit applicat Filio Dei, & iudaiſmum ſeminat, ſentiens quòd Filius Dei non habet ſubſtantiam Dei Patris, nec eſt Deus. Aut debet dare aliam definitionem, quæ conueniat etiam Verbo diuino iuxta Liceti ſententiam; quo dato, aut illa definitio ſoli Verbo conueniet & Licetus petit principium; aut exhibebit definitionem communem, quæ conueniat Filio Dei ad intra, & alijs ad extra, & cogitur venire ad definitionem communem, quam fugit contra Scripturam, & concilium Orientale, in quibus de Filio Dei intelligitur dictum prouerb.8. *Dominus creauit me* ſicut etiam in concilio Romano ſub Sancto Dionyſio *Dominus creauit me* eſt *præfecit me*. Sicut ex Pontificibus, Euariſto & Ioan.2. *qui creauit me*, eſt qui *genuit me*.

Denique vel danda eſt vna definitio communis de creatione ex aliquo, quæ conueniat iſtis ſignificationibus à Concilio orientali, à Romano, ab Euariſto explicatis de Filio Dei: aut ſunt ſignificata ſingula, vt vocis æquiuocæ ſeiunctim retinenda. Tunc autem, ſi dicta de vno ſignificato creationis, transferantur ad aliud, vt Licetus facit, ſophiſticè per æquiuocationem agitur.

Hic enim Licetus, quia concilium Orientale negat à Filio creationem ex nihilo, vult contra concilium, & Scripturam negare creationem, quæ eſt productio ex aliquo, vel creationem in omni ſignificato.

86 Error. pag.117.lin.20. *Rectè Sacra Scriptura frequenter negare videtur creationem paſſiuam Filio, concedereque, ſolam generationem paſſiuam, ipſum dicens genitum non factum, neque creatum, ſed increatum, vt antea vidimus Eccleſiam ſanctam aſſumere tùm ex Niceno, tum ex Athanaſij Symbolo.* Falſa Scriptura citatur, & falſũ Conciliũ Nicenũ.

Primus error eſt in citatione Scripturæ. Affirmatio, quòd Filius dicatur genitus eſt vera; ſed negatio, quòd *Filius negetur creatus* in ſcriptura, eſt falſa. Ne ſemel quidem negatur de Filio creatio paſſiua in ſcriptura; ſed de ſapientia Dei genita,& producta affirmatur, quòd creata ſit, in prouerbijs 8. ex Conſtitutionibus Apoſtolicis lib.5.cap. vlt. in concilio Romano,& concilio Orientali. Et in Eccli.cap.24. ex Euariſto & Ioanne Pontificibus. In Eccli. cap.1. ex Lirano cum ſequacibus multis. Quare iſta duo de Filio, *Neque creatum*, ſed *increatum* contra ſcripturam citantur tanquam ſcriptura.

Secundus error: iſtæ duæ partes, *Neque creatum, ſed Increatum* falsò attribuuntur Concilio Niceno. Licetus eſt ſibi concilia, & ſcripturæ.

87 Error. pag. 117. lin. 25. " *Quod ex Damaſo ſumit etiam Diuus Thomas aſſeuerante.*

Citat Damaſum lib. 4. cap. 5.

Citat D. Thomam. 3. p. q. 16. 8. ad 2.

Falsò citatur Patres.

Error in grammatica, *Thomas aſſeuerante*, refundatur in impreſſore; ſed error in theologia, quo citatur Damaſus pro Damaſceno eſt authoris, qui abbreuiationem à Diuo Thoma poſitam Damaſ. malè extendit.

Scriptura cõfunditur cũ expoſitione Scripturæ.

88 Error. pag. 118. lin. 20. " *Diſtinctio creationis in ſcholaſticè ſumptam, ac theologicè firma non eſt, quia ſcholaſtici nihilominus theologi ſunt, quàm alij, qui poſitiui nuncupari ſolent.* "

Error primus. Ego comparaui Scripturam ſacram tanquam theologiam cum ſcholaſticis. Licetus theologiam poſitiuam vſurpat pro ſcriptura, quod magni erroris eſt. Scriptura diuina habet ſuos libros determinatos in Concilio Trid. ſeſſ. 4. Theologia poſitiua eſt exponens Scripturam. theologia ſcholaſtica eſt per rationem diſputans de reuelatis in Scriptura. Confundere Scripturam cum expoſitione ſcripturæ eſt erroneum, ne quid amplius dicam.

Secundus error; Non ponere differentiam inter ſcholaſticos, & ſcholaſticos theologos. quam differentiam in libro defenſionis ad num. 9. ex Pererio poſui, lib. 1. & eodem libro num. 27. ferè totidem verbis repetij ſcholaſtici ſunt, qui veritates ſibi propoſitas arguendo pro, & contra excutiunt, defendendo veritatem, impugnando falſitatem. ſcholaſtici multi ſunt philoſophi vt diſputatores in logica, phyſica, metaphyſica, morali: ſcholaſtici multi ſunt Theologi vti ſunt Albertus, Alenſis, Scotus, & SS. Thoma, ac Bonauentura, qui ſumma cum vtilitate reuelata examinarunt.

Sacra ſcriptura nõ eſt Theologia.

Liceto Sacra Scriptura non eſt Theologia. Etenim theologia tanquam genus in ſcholaſticam, & poſitiuam diſtinguitur. Sed ſcriptura Sacra nec eſt ſcholaſtica, nec poſitiua, vt patet conſiderando definitiones datas à Liceto. Ergo Scriptura diuina non erit theologia. quod eſt cõtra S. Dionyſiũ Areopagitam, de Cæleſti Hierarchia cap. 2. & 13. atque in epiſtola ad Timotheum. Contra Cyrillum lib. 1. in Ioann. cap. 5. (qui Ioannem Euangeliſtam Theologum, & ſummum veritatis theologum vocat) & S. Bon. in prologo Breuiloquij. Vide in reſponſiua ad Baldum pag. 99.

Tertius error. Non diſtinguere, quod eſt propriè theologicum, & quod nõ propriè; ſacra ſcriptura diuinitus reuelata eſt, & ad ſolam ſacram Theologiam ſpectat. Scholaſtica diſputatio extenditur ad omnes ſcientias, ſpeculatiuam, actiuam, factiuam: ad omnes veritates, naturali, vel ſupernaturali lumine cognitas. Quod igitur eſt commune ſcholaſticis tàm philoſophis, quàm theologis, non poteſt eſ-

ſe

ſe proprium theologis ſcholaſticis. Sed *creatiò ex nihilo* eſt communis ſcholaſticis philoſophis ex Auerroe, & Auicenna, & eorum ſcholis. Eſt item communis Theologis ſcholaſticis ex Magiſtro ſent. in 2.d.1. Ergo nō eſt propria theologiæ ſcholaſticę, & meritò dicta eſt creatio ſcholaſticè accepta; ſicuti meritò creatio theologicè appellatur, quæ propria ſacræ Theologiæ eſt, & è Scriptura accepta eſt.

89 Error. pag. 119. lin. penuit. " *Caueat ergo ſibi, qui contra communem & vnanimem conſenſum Patrum definientium creationem eſſe productionem ex nihilo.* Omnes Patres citat de creatione cōtra Patres, contra concilia, contra Pontifices.

2 *Docentiumque Deum omnia ex nihilo creaſſe.*

3 *Conſtituuntque creationem e nihilo cum factione ex nihilo tanquam cum ſynonymo conuenire.* "

Iactantia falſa dicens, quòd conſenſus Patrum vnanimis definit creationem ſic. *Creatio eſt productio ex nihilo:* nec tamen affertur vllus ex Patribus. Liceti calamus eſt omnes Patres. Certè S. Iuſtinus in oratione ad gentes, & S. Auguſtinus in libro de moribus Manicheorum cap. 7. & in libro 1. contra Aduerſarium legis, & prophetarum cap. 23. oppoſitum tenent, quòd creare eſt ex eo, quod erat.

S. Dionyſius in concilio Romano decreuit de filio intelligi dictum *Dominus creauit me*, ſed hereſis eſt dicere Filium Dei eſſe ex nihilo; & concilium orientale apud S. Hilarium præcipit ſub anathemate, vt dicamus de Filio intelligi, Dominus creauit me; ſed creationem ex nihilo attribuere Filio impium dicit; ergo in iſtis concilijs creatio approbata cum Scriptura non ſignificat factionem ex nihilo. Similiter locum Eccl. 24. *qui creauit me* à S. Euariſto explicatur per genuit, vt idem ibi ſint generatio, & creatio. Quòd etiam Athanaſius ſermone 3. contra Arianos intellexit de textu Prouerb. 8. Dominus creauit me: lege in reſponſiua ad Baldum pag. 71. & 72.

Tandem Sacra Scriptura expreſsè continet creationem ex aliquo. Sapientiæ 11. Eccl. 17. & 33. & 38. Geneſis 1. de piſcibus, 1. & 2. de hominibus. Dicere autem, quòd vnanimis conſenſus Patrum definiat creationem contra Scripturam ſine diſtinctione vlla, eſt error in fide. Patres ſunt vnanimes cōtra Scripturam.

Secunda particula Liceti. Deum omnia creaſſe ex nihilo diſtinguatur cum S. Auguſtino in 1. contra Aduerſ. legis ſi facere & creare confuſè accipiantur, conceditur Deum feciſſe omnia de nihilo, & creaſſe omnia de nihilo. Si diſtinctè ſumantur. Deus fecit omnia de nihilo prout in 2. Machabeorum 7. eſt ſcriptum, & à S. Auguſtino declaratum in libro de fide, & ſymbolo cap. 2. Non autem creata ſunt omnia ex nihilo, ſed ex eo quod eſt.

Adiungo ſingularem ex Dominico Bannes annotationem in 1. p. q. 45. art. 2. qui dicit, Omnes res eſſe creatas " non quaſi quodlibet indiuiduum in particulari ſit ſecundum ſe immediatè creatum; Nam Adam ex limo terræ factus eſt, & non per creationem ex nihilo. Sed

ſenſus eſt, quod mediatè vel immediatè cuncta ex nihilo produxit, quia res omnes, vel productæ ſunt ex nihilo per creationem, vel ex materia, quæ per creationem proceſſit. „Ergo ipſa factio ex nihilo immediatè eſt in ſola materia, quæ tamen propriè non eſt creata, neque creabilis ex D. Thoma 1. p. q. 45. art. 4.

Creare & facere ſunt idē, contra Cōciliū Rom.

Tertia particula Liceti aſſerit creationem ex nihilo, & factionem ex nihilo eſſe ſynonyma ex vnanimi conſenſu Patrum. S. Auguſtinus ſi creare, & facere confunduntur, vt in prima acceptione concedit. Si diſcernuntur, negat quia *creare eſt ex eo, quod erat vel ex eo quod eſt*. Sed id quod eſt, non eſt nihil; ergo apud S. Auguſtinum creatio, & factio non ſunt ſynonyma. Sicut neque apud S. Iuſtinum, qui accipit voces facere, & creare ſicut Auguſtinus accipit. Sed concilij Romani decretum relatum à S. Athanaſio de decretis Nicenis, & receptum à tota Eccleſia orientali, atque occidentali condemnat hunc tertium errorem Liceti. Definiuit Pontifex cum concilio Romano, quòd creauit non eſt fecit in Prouerb. 8. *Creauit me* non eſt *fecit me. Creauit te* non eſt *fecit te*: Deut. 32. differūt enim facere, & creare: ergo Licetus contra concilium loquitur, & contra totam Eccleſiam; & tamen prætendit, ſed falsò, concilia, & Patres, & Eccleſiam.

Contra ſymbolū Athanaſij dicit, Filiū eſſe creatum.

90 Error pag. 120. lin. 7. *Aſſerit eſſe contra ſymbolum Athanaſij dicere, Filium eſſe creatum.*

Licetus in cap. vltimo tres concluſiones ponit in quibus aſſerit, Filium eſſe creatum, primam ſcilicet ſecundam & ſextam. ergo turpiter contra Athanaſium, & Eccleſiam loquitur.

Si Licetus ſincerè ad veritatem incederet, diceret me non loqui de creatione ex nihilo, de qua loquitur Athanaſius contra Arium, ſed loqui me de creatione ex aliquo, ſicuti perſona Patris *ex ſe ipſa creauit genitum*, vnde eſt æquiuocatio in voce, non contradictio; ſed Licetus æquiuocatione hæreticali vtitur, quæ contra ipſum vertenda eſt.

Concil. Orient. can. 5. ex Hilar. de Synod.

Cōciliū Nicen. additione violatur.

91 Error. pag. 120. lin. 19. *citat ſymbolum concilij magni, Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ.*

Pag. 128. lin. 21. Symbolum concilij Niceni citat ſimiliter.

Error Liceti eſt citare concilia, & ea non legere. Symbolum concilij Niceni eſt in 1. tom. concil. car. 532. referturque à multis concilijs & Patribus, vt in obſeruatione 61.

Et in illo ſymbolo non eſt particula *factorem cæli, & terræ*.

Reſponderi poſſet, in alio concilio id haberi. Fuit quippe in concilio Conſtantinopolitano 1. appoſita iſta particula ad ſymbolum.

Facere, & creare idem, cōtra concilij Rom.

Replico: neutrum concilium legit, qui falsò citat.

92 Error. Licetus à pag. 120. vſque ad 129. probat quòd *facere, & creare ſint ſynonyma afferendo multas ſcripturas.*

S. Auguſtinus contra Maximinum lib. 3. Obijcit hæretico, quòd probet

ea,

ea, quæ nos concedimus, quaſi nos illa negemus. Etenim in lib.1. Defenſionis num.9. & in lib.2.num.203. conceſſi cum S.Auguſtino, quòd facere, & creare quandoque confunduntur: & ſicut facere eſt indifferens ad ex aliquo, & ex nihilo in Scripturis, ſic etiam creare eſt indifferens.quandoque facere,& creare diſcernuntur,& facere eſt quod omnino non erat: Creare ex eo, quod erat, ordinando aliquid conſtituere. qui duo modi accipiendi hæc vocabula ſunt à D.Auguſtino educti à diuina Scriptura.

Illud noto, quòd genus,& ſpecies non poſſunt eſſe ſynonyma nam genus,& ſpecies non conuertuntur; genus enim ſemper de pluribus prædicatur, quàm ſpecies per 4.top. loco 9. quo circa nullus locus Scripturarum citatus ad probandum,quòd creare, & facere ſint ſynonyma habet pro genere ipſum facere; quod eſt abſurdum, maximè contra ſcholaſticos, & contra Licetum.

93 Error. pag.122.lin.13. & pag.138.lin.2. Eodem ſenſu de creatione dæmonum agit Licetus dicens. *Agens Eccleſiaſticus de creatione dæmonum ait: ſunt ſpiritus, qui ad vindictam creati ſunt, & in furore ſuo confirmauerunt tormenta ſua, & in tempore conſumationis effundent virtutem, & furorem eius, qui fecit illos confundent. Modò ſpiritualis Dæmonum ſubſtantia de nihilo creata fuit à Deo, non ex vllo principio præſuppoſito permanente in ipſis.* id ipſum repetit de creatione dæmonum in pag.155. lin.24. Deus creauit angelos ad vindictã in prima pductione.

Caluini hæreſis eſt, quòd Deus creauit in prima creatione dæmones ad vindictam. Lege errorem Caluini in Beccano tractatu 1. cap.16. ex Veneta impreſſione 1628. in pag.129. col.2. Iacobo Gualterio in anathome Caluiniſmi dilemmate 56. Deus enim creauit angelos omnes, & omnes homines ad Beatitudinem, & Sanctitatem. S.Bonauentura 2.d.3.q.7.nu.46. Nihil quod Deus facit eſt ordinabile in pœnam. S.Fulgent. in toto lib.de prædeſtinatione duplici. Sed poſtquam creati ſunt ex proprio libero arbitrio peccauerunt angeli: & voluntate conſequenti à Deo deputati ſunt ad vindictam, vel patiendam,vel inferendam, vt Liranus expoſuit, dicens creationem in iſto Eccli.cap.39. accipi non pro dæmonum productione prima, ſed pro deputatione conſequenti. Sub hoc contradictorio dicto à Lirano palliare volet Licetus ſuam caluiniſticam aſſertionem, ſed fruſtra; ter dixit dæmones à Deo in ipſa creatione prima, ex nihilo, eſſe creatos ad vindictam.

94 Error. pag.127.lin.9. *Obſeruo facere, & creare non eſſe prorſus, & omnino ſynonyma; ſed facere quid vniuerſalius eſſe, quàm creare. quoniam ab eo non fit conuerſio ſecundum ſubſiſtendi conſequentiam; Etenim omnia creata verè dicuntur facta, ſed non omnia facta propriè dicuntur creata.* Omne creare eſt facere, cõtra Cõcilіũ Rom.cõtra Pontifices, & Patres.

Error contra concilium Romanum ſub S.Dionyſio, ſi facere & creare ſunt ſynonyma, vt Licetus prętẽdit;ergo de quo dicitur *creauit*, de eo dicen-

dicendum eſt *fecit*, cum ſint idem; ſed concilium Romanum ſtatuit, quòd *creauit non eſt fecit*, quod facere & create differunt.

Secundò. Si creare eſt minus vniuerſale, & facere magis vniuerſale; arguo, omne minus vniuerſale per neceſſariam conſequentiam infert ſuum magis vniuerſale, ſicut homo infert animal; ſicut binarius numerum, ſed per Licetum creare eſt minus vniuerſale, facere magis vniuerſale, ergo omne creare infert facere per neceſſariã conſequentiam, & omne creauit eſt fecit, quod eſt contra concilium citatum, & contra vniuerſalem Eccleſiam, quæ illud concilium approbauit. Semper enim poſt illud concilium Sabelliani habiti ſunt pro hæreticis, & Dionyſius Alexandrinus pro catholico, qui & ab Eccleſia orientali & accidentali colitur tanquam Sanctus: a Iſtud verò iudicium de Sabellianis & Dionyſio Alexandrino factum eſt in Concilio Romano à S. Dionyſio Papa, ex Baron. ad ann. 263. Aliter patet idipſum, quia S. Euariſtus Papa vocem *creauit* in Eccl. 24. intellexit de filio, & expoſuit per vocem *genuit*. Euariſtum citat cum communi ſenſu Eccleſiæ Licetus in pag. 102. Si ergo creauit eſt fecit, & omne creatum eſt factum, ſequitur, quòd Filius Dei eſt factus. Argumentum ſit ex maiore Liceti.

a Martyrolog. Rom. 17. Nouẽb.

Omne creatum eſt factum ex Liceto.

Filius Dei eſt creatus ex Euariſto, & Dionyſio, imò & ex conſenſu Patrum.

Ergo Filius Dei eſt factus. Concluſio eſt hæretica damnata in ſymbolo Niceno. Maior eſt Sabellij, & Arij, nam ſi concluſio eſt hæretica, neceſſario aliqua propoſitio eſt falſa. Non Minor, quæ eſt ex ſcriptura, atque definitione Pontificum, & Conciliorum, & Patrum, quos citaui in reſponſiua ad Baldum; ergo maior ſapit hæreſim, niſi limitetur, vt eam limitauit Athanaſius de decretis Nicenis.

Cauſa erroris eſt æquiuocatio, qua Licetus diſputat ad nomen, non ad rem ſignificatam: ponit ipſum creare, ſed non dicit in quo ſignificato.

Symbolũ Apoſtolicum, & Nicenũ eſt ſacra ſcriptura noui Teſtamẽti.

95 Error. pag. 128. lin. 19. *Et in nouo ſimiliter teſtamento S. Mater Eccleſia ſuſcipit à ſymbolo tùm Apoſtolorum, Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ: tùm etiam à magno Concilij Niceni: Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cæli & terræ viſibilium omnium, & inuiſibilium. Igitur in ſacra Scriptura Tò facere coincidit cum ipſo creare theologicè, non autem ab eo contradiſtinguitur.*

Reſponſio facilis eſt. Facere coincidit cum creare in primo ſignificato per S. Auguſtinum, in ſecundò ſignificato contra diſtinguitur.

Difficillimum verò eſt audire, quòd ſymbolum Apoſtolorum, & ſymbolum Nicenum in nouo teſtamento ſit ſacra Scriptura, quod idem affirmatur à Liceto in pag. 152. lin. 21. Poſſem multis reprobare hunc errorem in fide Catholica: eo quòd neutrũ ſymbolum eſt ſacra

Scriptu-

Scriptura. Sed Concilium Tridentinum ſeſſione 4. libros ſacræ Scripturæ numerauit; inter quos ſymbolum Nicenum, aut Apoſtolicum non continetur.

Accedit alter error repetitus, quòd in ſymbolo Niceno ſit clauſula, *factorem cœli, & terræ.* Nicenũ ſymbolũ falsò citetur.

96 Error. pag. 130. lin. 27. *Caueat dum aſſerit Creatum Dei Filium ex ſubſtantia Dei Patris: caueat inquam ne talia dicens coincidat cum radice dogmatis hæretici à Diuo Auguſtino damnati.* Licetus coincidit cum radice hæretici.

Nam Filius, quatenus producitur ex ſubſtantia Patris, eatenus generatur, non autem creatur; quia nulla creatura propriè dicta formaliter eſt ex ſubſtantia creatoris. Eadem dicuntur pag. 31. à lin. 10.

Prima propoſitio Liceti eſt. Filium creari de ſubſtantia Patris, coincidit cum radice dogmatis hæretici.

Sed Licetus cap. vltimo in 1. 2. & 6. concluſione aſſerit Filium eſſe creatum ad intra, aut igitur Licetus aſſerit Filium ad intra eſſe creatum de nihilo, & creationem Arianam atque impiam ex Concilio orientali, applicat Filio Dei. Aut aſſerit creari Filium de aliqua ſubſtantia aliena à ſubſtantia Patris, & iudaiſmum ſimul cum Arianiſmo ſeminat. Aut tertiò aſſerit creari de ſubſtantia Patris & coincidit cum radice hæretici dogmatis damnati ab Auguſtino.

Secunda propoſitio Liceti eſt reduplicatiua, *quatenus producitur ex ſubſtantia Patris, generatur, non creatur.* Quod procedit de ſubſtãtia Patris, generatur.

Sub reduplicatiua accipio minorem; ſed Spiritus ſanctus producitur ex ſubſtantia Patris. ergo Spiritus ſanctus generatur. Concluſio eſt hæretica, & minor eſt de fide, ergo maior Liceti ſapit hæreſim.

Tertia propoſitio. *Nulla creatura propriè dicta formaliter eſt ex ſubſtantia creantis.* Particulam *propriè* adiungit callidè, quia in capitibus 7. & 8. Secundum Licetum creare propriè eſt ex materia diſpoſita, vel indiſpoſita: de qua creatione, neque hæreticus loquitur apud Auguſtinum, neque Arius. Neque creatio ſcripturalis, quæ eſt ex aliquo, & neceſſariò ex ſubſtantia creantis: eſt enim indifferens creatio ſcripturalis ad eſſe de aliqua re cauſata, vel incauſata: de re interna, vel non interna creanti. Sed ad generationem requiritur, vt ſit de ſubſtantia interna producentis, non tamen hoc ſufficit: quia tunc Spiritus ſanctus eſſet genitus.

Quartò in prima propoſitione Liceti: creari de ſubſtantia Patris coincidit cum radice hæretici dogmatis; ſed ex concilio Orientali indemutabilis natura parentis *Creauit ex ſeipſa, quod genuit,* ideſt ex natura & ſubſtantia parentis. ergo concilium Orientale coincidit cum radice dogmatis hæretici, quod eſt abſurdiſſimum. Non enim Licetus damnat concilium, ſed damnatur ab eo. Concilium Oriẽtale coincidit cũ hæretico.

97 Error pag. 132. lin. 3. "*Vt omne ſubterfugium, cauillumque remoueret ab Aduerſario legis, & prophetarum Auguſtinus diſputationis ergo, non concedens, dat homini hæretico prophetam hiſce duobus verbis vſum* Spiritus propheticus accu

ad

ſatur vt ſpiritus hæreticus.

ad varia ſignificanda, ſed tamen non ea quæ volebat aduerſarius; nam ſubdit, aut ſi vllam ſoluiſſet propheticus ſpiritus hic eſſe diſtantiam, multò accomodatius ſit acciperemus hæc verba, vt intelligeremus id fieri, quod ſi non fieret, omnino non eſſet: creari autem ex eo, quod erat condi aliquid, vel conſtitui, ſicut diximus creari magiſtratus, atque vrbes.

Primus error. Auguſtinus ait: *Si ſpiritus propheticus hic vllam voluit eſſe diſtantiam,* Sed Licetus vult hoc eſſe dictum ex ſpiritu hæretici. ergo Auguſtinus ex propria mente hoc dat, quærens ſenſum ſpiritus diuini, non hæretici.

Secundò. D.Thomas 1.p. q.45. art.1. hoc citauit tanquam S. Auguſtini placitum; at magis credendum eſt D. Thomæ de ſenſu Auguſtini, quàm Liceto: igitur facere, & creare diſcernuntur non ad placitum hæretici, ſed ad placitum Auguſtini.

Tertiò: Auguſtinus in libro de moribus Manichæorum cap.7. eodem ferè modo diſtinxit de *facere, & creare*. Sed liber de moribus Manichæorum eſt editus, fortè antequam naſceretur Marcioniſta aduerſarius legis, & prophetarum: certè multò tempore antequam liber Marcioniſtæ perueniret ad Auguſtinum, vt conſtat ex hiſtoria librorum Auguſtini in retractationibus, cap.7. lib.1. & cap.58. lib.2.

Quartò. In omni diuiſione, membra diuidentia debent contineri, ſub diuiſo; ſed Auguſtinus quærens ſignificata vocum *facere, & creare* in ſacris litteris, diſiungit per particulam *aut*, primum, & ſecundum ſignificatum, ergo vtrumque eſt iuxta ſacras litteras, non iuxta execrabilem hæreticum.

Quintò. In ſcriptura ita reperitur, vt Auguſtinus dicit. Creare etenim expreſsè conſtruitur cum ablatiuo ſignificante aliquod ens, ſiuè *id quod eſt*, vt *creauit orbem ex materia*, creauit *hominem de terra*. *Euam ex ipſo homine*, nunquam reperitur explicitè, & formaliter creare conſtrui cum particula ex nihilo aut æquiualenti; facere autem reperitur expreſsè cũ particula ex nihilo in 2. Machabeorum 7. quo omnia dicuntur facta ex nihilo. Cõſtruitur item facere expreſsè cum particula ex aliquo: ſed tamen, ex libro de fide & Symbolo cap.2. Omne quod factum eſt, eſt factum ex nihilo, aut ratione ſui, aut ratione materiæ. Denique Auguſtinus loco citato ſolutionem primam confusè accipiendo *facere, & creare*; ſecundam diſtinctè accipiendo ponit, & vtramque probabilem ad locum Iſaiæ. Conditionalis, *Si ſpiritus propheticus,* eſt de loco Iſaiæ, & eius expoſitione; non eſt conditionalis de ſignificatis vocum *facere, & creare.*

Concilium Epheſinũ falsò citat.

98 Error pag.134. lin.32. "*Dicentes Beatam Virginem eſſe Matrem Chriſti concilium Epheſinum damnat anathemate.*

Error. Quia in Concilio Epheſino tom.1. cap.14. ſunt 12. anathematiſmi, in quibus non eſt hæc Liceti aſſertio. Acta Concilij ſunt in tom.2. & 4. Epheſini. Legi Acta, & inueni Licetum falsò citare, quia non legit concilia, etſi citat concilia, quæ non legit.

Error.

99 Error. pag.134.lin.12. ex Auguſtino ait. „ *Nam hæretici ſententiam apertè damnat aſſerentis creationem eſſe productionem creati de ſubſtantia creantis.* „

Creatio de ſubſtā tia creantis, eſt hę retica.

Verba Auguſtini relata ibidem à Liceto nihil tale dicunt; & ipſa propoſitio Liceti repugnat dictis Hilarij & concilij Orientali de perſona Patris, *quæ creauit ex ſe ipſa, quod genuit.*

100 Error. pag.134. lin.14. " *quinimo ſtatim admonet* (Auguſtinus) *iſtam opinionem nouam, quaſi ſpiritu prophetico nouerit non eſſe ponendam, vt potè periculoſam, & falſam, non minus, quàm ſit illi conſimilis Ariana* & infra. "*Quantus quippe conflictus aduerſus Arianos fuerit excitatus, ne vnigenitum Filium dicerent eſſe creaturam, idem putantes creatum eſſe quod genitum, iſte fortaſſis ignorat.*

Contra cōcil. Orientale, & Euariſtum Papam.

Certè nouæ opinionis author apertè dicit, non ſemel de *Vnigenito Filio Dei idem eſſe creatum, quod genitum & eius generationem eſſe creationem, licet aliud genus creationis ab Ariana comminiſcatur.*

Cum tamen æquè vtraque diuerſa ſit ab eius generatione formaliter accepta, ſicuti D. Thomas & Hilarius ex orientali concilio catholico decernunt.

Primus error. S.Thomas 1.p.q.41.ar.3. docet, *quòd filius Dei dicitur creatus, & genitus*; nec tamen alius Filius eſt creatus, alius genitus, ſed idem Filius Dei, & creatus & genitus eſt. Hoc dixit D.Thomas, hoc ego dixi. Aut ergo D.Thomas damnatur ab Auguſtino, aut Licetus errat. Quòd Auguſtinus refert ad vocum ſignificata ſecundum Arianos, vt idem ſit creatum, & genitum ſine vlla differentia in ſcripturis; Licetus refert ad perſonam Filij.

D. Thomæ dictū damnatur vt hæreticum.

Secundò, Concilium orientale de Filio exponit, quòd Dominus ipſum *genuit, & creauit*, ergo idem eſt creatus, & genitus. ita S.Euariſtus pro eodem accipit *genuit, & creaut* de Filio. Quod autem generatio, & creatio in rebus extra Deum (dico creationem ex nihilo cum Thoma, & Hilario) differunt re, verum eſt; quòd in Deo differant ratione Deum translatæ verum eſt. Sed ſunt idem, & vnum re perfectè ex Hilario. At quòd generatio, & creatio in Filio formaliter differant & reali formalitate, imò & eſſentialiter Liceti dictum eſt, non diui Thomæ.

Concil. Oriētale, & S. Euariſtus, vt hæretici accuſantur.

Confeſſio Liceti, quod aliud genus creationis Arianæ ſit, aliud genus creationis ſcripturalis à me poſitum, eſt vera confeſſio; ſed error Liceti eſt, decretum Auguſtini de creatione Ariana, quæ eſt incompatibilis cum generatione, intelligere de creatione ex aliquo, quæ ex concilio orientali coniungitur in Filio cum generatione.

101 Error. pag.135. lin.4. " *Quantò magis Nicenum Concilium anathemate damnaſſet hoc nouum dogma, quo Filius Dei ponitur creatus, quod anathematè damnauit hæreſim Arianam, ponentem Dei Filium eſſe creatum, & ea creatione, quæ falsò ponitur idem eſſe cum eius generatione formaliter.*

Zz PRI-

Scriptura, & traditio Apoſtolica damnatur nouitatis.

Primus error. hoc dogma *Filius Dei eſt creatus*, eſt nouum.

Error eſt. quia in ſacra Scriptura Prouerb. 8. & Eccli. 1. & 24. Sapientia genita, quæ eſt Filius, creata eſt; & S. Petrus in concilio Apoſtolorum, ac diſcipuli Apoſtolorum, Ignatius, Iuſtinus, alijque Patres: & concilia Romanum, atque orientale docuerunt, quod Filius eſt creatus, prout in reſponſiua ad Baldum. & arguo.

Iterum. Quod eſt definitum in concilio Romano, præſidente perſonaliter Summo Pontifice, eſt de fide abſolutè tenendum, & illius contradictorium, vt hæreticum fugiendum, nec ſine determinatione catholica proponendum; Sed hæc propoſitio *Deus creauit Filium*, de fide determinata eſt in concilio Romano, præſidente ſummo Pontifice: ergo de fide tenendum eſt, quòd Deus creauit Filium, & Filius ſit creatus à Deo. Concilium iſtud eſt antiquiſſimum, celebratum quadraginta circiter annos ante Nicenum.

Filiũ eſſe creatum, eſt Arianũ.

Secundus error; quia ponit, vt hæreſim Arianam iſtam propoſitionem, *Filium Dei eſſe creatum*; quod ſummæ licentiæ eſt, ac deteſtabilis, vt propoſitionem definitam de fide à Pontifice, & concilio, audeat Licetus, vt hæreſim reprobare.

Conciliũ Nicenum falſificatũ. Concilium cõcilio contrarium eſt.

Tertius error, quòd concilium Nicenum damnauit hanc propoſitionem *Filius Dei eſt creatus*. Ponit enim hic error, vnum concilium approbatum eſſe contrarium alij concilio approbato. quod ſi ſemel concedatur: tota authoritas conciliorum funditus euertitur, & fundamentum fidei catholicæ concidit: id quod maximè vellent Lutherani, & Caluiniſtæ, quibus vtinam non faueat Licetus.

Scripturam contra conſenſum Patrum explicat.

102 Error pag. 138. & 151. Geneſis 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Vbi Licetus dixit expreſsè ſcriptum eſſe *creauit de nihilo.* Sic arguit, quia *cælum, non legitur factum de præſuppoſita materia.*

Error callidus, cum Scriptura dicat, *cælum, & terram*, Licetus de *cælo*, inquit, non legi, tacet de terra, quia Sapient. 11: ſcriptum eſt, *creauit orbem terrarum de materia inuiſa, ſiuè informi.* Cum ergo eadem creatione ſcribatur de cælo, & terra; quòd Deus explicauit de terra, explicandum eſt etiam de cælo. Particula *ex nihilo* eſt contra conſenſum Patrum communem, vt D. Thomas 1. p. q. 65. art. 1. ex conſenſu Patrum docet, omnia corpora formata eſſe de materia: ergo non de nihilo immediatè.

103 Error. pag. 148. lin. 2. "*Secundum hanc veram doctrinam in diuinis Pater Filium non creat, ſed generat: cui communicat ſuam naturam, non tamen illi tribuit eſſe ſimpliciter, vt malè blaſphemabat Arius.*

Veram doctrinam vocat Licetus doctrinam traditam de concurſu cauſæ primæ cum ſecunda; quæ tractatio iacet ſub anathemate

latæ

latæ ſententiæ, & reſeruato ſummo Pontifici. Ego non tangam de anathemate, nec illam doctrinam recipiam, vt veram, donec à *Sancta Sede* fuerit definitum.

1. Error eſt, cum ait *Pater non creat Filium*, contra S. Dionyſium Papam, & concilium Romanum. contra S. Euariſtum & Ioannem ſecundum. Sabellianiſmus, & iudaiſmus eſt negare, quòd *Deus Pater creauit Filium*, accepta creatione in ſenſu Scripturæ, & Patrum.

Pater nõ creat Filium, Contra Cõcilia, & Pontifices.

Secundus error. *Pater non tribuit Filio eſſe ſimpliciter*, dicit hanc eſſe blaſphemiam Arij: Liceti potius eſt; nam Bellarminus lib. 2. de Chriſto cap. 6. col. 321. contra Sabellianos probat, quòd Filius accipit eſſe à Patre.

S. Thomas 1. p. q. 27. art. 2. *quod eſt genitum in diuinis, accipit eſſe à generante, non quod illud eſſe ſit receptum in aliqua materia, aut ſubiecto, quod repugnat ſubſiſtentiæ diuini eſſe. Sed ſecundum hoc dicitur eſſe acceptum, in quantum procedens ab alio habet eſſe diuinum, non quaſi aliud ab eſſe diuino exiſtens.*

Pater æternus non tribuit Filio eſſe ſimpliciter.

104 Error. pag. 150. lin. 12. pag. 152. 155. 157. Contendit Licetus, quòd facere eſt genus creationis, & magis vniuerſale; & ſtatuit concluſionem, omne creatum eſt factum.

Omne creare eſt facere, contra concilium Rom.

Error eſt contra concilium Romanum, in quo definitur, quòd creauit non eſt fecit, & per conſequens creatum non eſt factum in ſcripturis à Pontifice declaratis & ſimilibus. Ita S. Auguſtinus, dum diſcernit inter facere, & creare, accipit iſta tanquam diſparata, quorum vnum non poteſt conuenire alteri. Sed Sanctus Euariſtus cum Ioanne ſecundo exponens *creauit* per *genuit* in Eccl. 24. non concedit, quòd creauit ſit fecit; neque concilium orientale intelligens de Filio, *Dominus creauit me*, intelligit, quod creauit, ſit fecit.

Teneatur. quòd à Summo Pontifice cum concilio Romano eſt determinatum: reliqua moderatè diſputentur.

105 Error. pag. 156. lin. 11. " *Noua opinio negat definitionem creationis vniuocè, ac propriiſſimè ſumpta communiter accepta in concilijs orthodoxis.*

Concilia citat ſine Cõcilijs.

Vtinam Licetus in particulari nobis afferret verba iſtorum conciliorum; ſed tamen falsò dicit, à me negari definitionem creationis ſcholaſticæ: qui diſtinguit vocem æquiuocam in plura ſignificata, omnia ſignificata illa approbat, alioqui non diſtingueret: neque ex illis vnum eligeret, alterum deſereret. Poſui ſignificatum theologicum, & ſcholaſticum, primum cum Scriptura, ſecundum cum ſcholaſtica.

Licetus pergit loco citato. " *Cum tamen eā ſuſcepta nihilominùs concilium Nicenum, & alia catholicæ Synodi rectiſſimè ſoluant argumentum Arij.*

Falsò citat Cõcil. Nicenū.

Error, quia in concilio Niceno nihil reſolutum eſt de voce creationis. In diſputatione concilij ſolutio data ab Euſebio Pamphili recta non eſt, quia præter traditiones Patrum eſt ex confeſſione ipſius Euſebij.

2. Quia contra concilium Romanum,& contra concilium Apoſtolorum negat intelligi debere de Filio Dei, prou.8.

3. Quia Euſebius erat fautor Arianorum, ideò noluit verum ſolutionem dare. Et propter hoc forte ex impreſſione Romana concilij Niceni tota illa diſputatio reiecta eſt.

Senſus catholicus non ſignificatur à Concilijs, & Patribus catholicis.

106 Error pag.159. lin.8. Refert mea Licetus. Ego expreſsè doceo, Filium Dei eſſe productum,non ex nihilo, ſed ex ſubſtantia Patris præſuppoſita ordine originis vel naturæ, vel rationis Filio producto: in quo ſenſu catholicorum dicitur Filius creatus.

Licetus concedit hunc eſſe ſenſum catholicorum ſubdens. "*Sed procul à vero nimium abeſt, & à fide catholica in hoc ſenſu ab orthodoxis dici Filium creatum.*

Ergo ſenſus eſt catholicorum. Reſtat Liceto litigium de vocabulo; quaſi definitum ſit de fide, quòd creatum non accipiatur in iſto ſenſu. At quando vox *creatum* attribuitur Filio, remouetur ab ea particula *ex nihilo* tanquam impia in concilio orientali,& ab Hilario; remouetur,& à Cyrillo in 4.de Trinit. Ergo in hoc ſenſu Filius dicitur creari,& non de nihilo.

Quantum ad genus,quod eſt productio, S.Cyrillus docet creationem in prouerbijs 8.tributam Filio,eſse productionem,& Licetus in cap. 10. productionem applicat nomine Thomæ,& Hilarij; qui tamen vocem *productionis* non habent; aut ergo Licetus non eſt orthodoxus, aut orthodoxi productionem attribuunt pro genere in illa creatione, quæ Filio adſcribitur. Item S.Euariſtus *creauit*,de Filio exponit per *genuit*; ſed genuit per ſe primo modo includit ipſum produxit: ergo orthodoxi pro genere creationis Verbo adſcripto intelligunt productionem.

Supereſt de differentia ex principio præſuppoſito, ſed interno in producto; quæ conditio duplex requiritur,& ſufficit ad creationem ex aliquo in communi. ſed applicando ad Filium, concilium orientale ait, quòd perſona Patris *creauit ex ſe ipſa,quod genuit; ex ſe ipſa*, igitur *ex ſubſtantia ſua*. ergo contra orthodoxos Patres, & fidem loquitur Licetus, non ego. Proſequitur Licetus errores notatos circa caput decimum, mordaciter valdè & cum multis falsò mihi impoſitis: Deus miſereatur noſtri.

Filium eſſe creatū ex ipſo Patre,

107 Error. pag.160. lin.20. "*Nihil magis abeſt à ſenſu catholico Patrum orthodoxi concilij memoratorum, quàm dicere, Filium æternum Dei creatum eſſe ex aliquo: quia productus ſit ex ſubſtantia Patris cum hoc ad generationem Filij pertineat, quatenus contra di-*

ſtin-

ſtinguitur eſſentialiter ab eius creatione. ,,

Pag.106.lin.14. conſonat *communicationem naturæ producentis nihil attinere prorſus ad creationis eſſentiam, ſed illi penitus extraneam eſſe.* ,,

negat cõtra concil. Oriẽtale.

Hæreſis eſt ponere in Deo duas eſſentias, vel duas res eſſentialiter diſtinctas. Licetus ponit in Deo eſſentiam communicationis naturæ, quam ipſe vocat generationem, eſſe extraneam ab eſſentia creationis. Alia eſt eſſentia generationis, alia creationis in Filio, ſicut nunc dicit *generationem Filij eſſentialiter contradiſtingui* ab eius creatione.

Plures eſſentiæ in Deo. Creatio, qua creatur Filius, diſtinguitur eſſentialiter à generatione Filij.

108 Error. pag.161.lin.17. Quia Filius dicitur creatus, & genitus, dicit non ſequi, quòd eius generatio eſt creatio. Repetit rationem, quod Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnus Deus: nec Pater eſt Filius tamen. Sic Pater & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, nec tamen Pater eſt Filius ex D.Thoma, & D. Bonauentura. Sic & Pater, Filius, Spiritus ſanctus, ſunt vnum principium creaturæ. Sed Pater non eſt Filius.

Vult dicere, quòd licet ſint vnum in aliquo tertio, non ſint vnum inter ſe.

Plures ſunt productiones ſecũdæ perſonæ, generatio, & creatio.

Vnum verbum S. Thomæ relatum à Liceto ſoluit, quòd Pater, & Filius in omnibus vnum ſunt, in quibus non diſtinguit inter eos relationis oppoſitio; Sed productio Filij vnica numero per Licetum eſt generatio, & creatio. & inter creationem, atque generationem non obuiat relationis oppoſitio: igitur generatio, & creatio ſunt vnum inter ſe.

Vna S. Bonauenturæ animaduerſio in 3. d. 7. q. 1. ſatis eſt. Si extrema conueniunt in tertio communicabili, non ſequitur, vt ſint vnum inter ſe. Si conueniunt in aliquo incommunicabili, euadunt vnum inter ſe. At generatio, & creatio in Filio per Licetum conueniunt in productione Filij, quæ eſt incommunicabilis.

Tertiò Licetus non aduertit differentiam inter abſolutum, & relatiuum in Deo. Abſolutum non diſtinguitur in pluribus. Sed relatio originis diſtinguitur; ideò productio in communi conuenit generationi, & ſpirationi. Sed omnes concedunt, quòd in diuinis ſint duæ productiones. Ita ſi generatio, & creatio Filij eſſent diſtinctæ in Filio, duæ eſſent productiones Filij, non vna numero.

Vltimò Licetus in 1.pag. dicebat. tres perſonas eſse tres rationes creandi; nunc S. Auguſtinum contra ſe affert dicentem. "Ad creaturas verò Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus vnum principium, ſicut vnus creator, & vnus Dominus.

Error

109 Error.pag.169. lin.14." Quia definitionẽ creationis ab Auguſtino, datam, *Creare eſt ex eo, quod iam erat ordinando aliquid conſtituere* applicaueram ad ordinem originis inter Patrem, & Filium. Contra Licetus ait. *Auguſtinus ſignificat actum ordinandi factum ab ipſo conditore, vt ordinatio ſit modus actionem creationis temperans.* tunc ſubdit. " *Quare non erat, vt vocabulum ordinando ſignificans Auguſtino functionem creantis vrbes, & mala, violenter aſtraheretur ad nomen ordinis in origine, non à conditore pendentis, &c.*

Ordo originis in Deo non eſt à producẽte.

Error, & quidem grauis. Ordo originis, à quo alius, & qui ab alio, eſt inter originans, & originatum; ſed iſte ordo, in diuinis præciſè eſt ab originante, & producente vt à principio *quod*, à ratione producendi, & originandi, vt à principio *quo*. Quare dum ſapientia, inquit Prouerb.8. *ab æterno ordinata ſum*; ordo paſſiuè eſt in ſapientia à Patre actiuè producente.

110 Error.pag.171. ad finem. Licetus volens peruertere locum S.Cyrilli à me citatum ex lib.4. dialogorum de Trinitate, dicit locum à me mutilum allatum: ſed re vera ipſe primam partem mutilat. Afferam locum integrum, quoad neceſſaria, quæ non neceſſaria ſunt Licetus tranſcripſit.

Hermias proponit argumentum Arianorum, quo probant Filium Dei eſſe facturam ex prouerb.8. Dominus condidit me initium viarum ſuarum. Reſpondet Cyrillus. " *Etenim abſque dubio conditum eſſe ſe ipſum, dixit Filius, idque non abſque cauſa dicit hoc ſibi euenire, ad opera autem magis illius, & initium viarum illius, nempe Dei, ac Patris;* „ (Hãc partem totam Licetus mutilat, ne appareat quod abſque dubio Filius Dei ſit conditus ad opera Patris, ſequitur Cyrillus.) " *Igitur creatura in his verbis, non ſignificat eam, quæ ex nihilo, abſit: ſed eam, quæ eſt exiſtentis, & ſubſiſtentis in talibus quibuſdam faciendis productionem.* „ Licetus adhæc ait." *Ait enim apertè Cyrillus. Igitur creatura in his verbis non ſignificat eam, quæ ex nihilo; abſit. (non negat hic abſolutè creationem ex nihilo, ſed illam omnino ſupponens, amouet à Verbo ſimul, & à ſenſu dogmatum oraculi prouerb. & ſapientiæ, quibus abutebantur Ariani, ſubdens) ſed eam quæ eſt exiſtentis, & ſubſiſtentis in talibus quibuſdam faciendis productionem.* „

Creatio Filij non eſt ſubſiſtentis.

Inde tranſcribit multa Licetus non neceſſaria, & exponit modũ creationis alieniſſimum ex re ſubſiſtenti, ad aliquid faciendum; quem Filio Dei concedit: & hic eſt primus error. Cyrillus ait, quòd Creatio eſt productio rei exiſtentis, & ſubſiſtentis, quod eſt ſignum termini producti; Licetus genitiuum transfert in ablatiuum, eſt *productio ex re ſubſiſtenti*.

Secundus error. Licetus ab iſta creatione, quam ponit in filio, remouet particulam *ex nihilo* vt ſit productio non *ex nihilo*; quare debet ponere contradictorium, eſt productio *ex aliquo* vt habeamus,

& prin-

& principium *ex quo* eſt productio, & terminum cuius eſt productio; Licetus aufert vnum contradictorium ab eo, *ex quo*: non vult ponere alterum, ſed terminum ponit loco principij.

Tertio ſubdit Licetus. "*Sic ergo Cyrillus explicat creationem Filij Dei, non quo ad eſſe ſimpliciter, vt putabant Ariani, ſimul & nunc exiſtimat opinio noua, ſed pro eo quod eſt Filium à Patre conditum eſſe principium ad opera ſua.*"

Tertius error eſt, non attendere ad ſenſum Arij, & ad ſenſum Cyrilli oppoſitum Ario: Arius voluit, quòd filius eſt factus ex nihilo, quare & quòd tranſierit à non eſſe ſimpliciter ad eſſe ſimpliciter; nec fuerit æternus, ſicut nec aliæ facturæ. Cyrillus contra hoc, negat creationem filij eſſe tranſitum ex nihilo in eſſe ſimpliciter; non tamen negat, quin per creationem illam ſignificatam à Salomone, filius producatur in eſſe ſimpliciter: eſſe enim exiſtentis, & ſubſiſtentis eſt eſſe ſimpliciter. Eſſe principium omnium operum Dei eſt eſſe ſimpliciter, non eſſe ſecundum quid, quaſi particula diminuens de ratione Dei, vel de ratione Filij. Sed ideò Cyrillus conſiderat particulam *ad opera ſua*, vel *ad aliqua facienda*; vt ſicut in inſtrumentis ad faciendam telam cum applicantur ad opus, non ſignificatur inceptio à non eſſe ad eſſe, ſed abſque inceptione est applicatio. Sic intelligamus in Filio Dei applicationem ſine inceptione.

Filius nō eſt genitus in eſſe ſimpliciter; nec creatus in eſſe ſimpliciter.

Filius Dei non habet eſſe ſimpliciter.

Porrò iuxta regulam S. Cyrilli, nunquam exempla rerum noſtrarum ſunt perfectè ſimilia, ſed tamen coadiuuant. Ideò cum iſta ſimilitudine inter inſtrumenta, & Filium eſt diſſimilitudo; quia Filius ipſa productione ex ſubſtantia Patris, & producitur in eſſe ſubſiſtentis ab æterno, & applicatur ad opera; ſed in inſtrumentis productio ad eſſe, & applicatio ſeparantur. Certè Cyrillus ait, Creationem Filij eſſe productionem exiſtentis, & non ex nihilo, ſed exiſtentia Filij, qua ipſe exiſtit per productionem eſt eſſe ſimpliciter, eſſe diuinum. quod eſſe in Filio negabatur ab Ario, non autem tribuebatur, vt Licetus ait. Etenim Arius aliam eſſentiam & eſſe diuinum ponebat in Deo: aliam eſſentiam, & eſſe non diuinum in Filio. Cuius eſſentia, & eſſe, eſſet in infinitum inferior ipſa eſſentia, & eſſe diuino.

Filio tribuere eſſe ſimpliciter, eſt Arianū.

Quod deinde S. Cyrillus eundem locum prouerb. 8. etiam explicauerit de Filio incarnato, ego quoque dixi, ſi legat meum ſcriptum.

Vnum adiungo. Licetus mihi attribuit in cap. 18. quòd dixerim à Cyrillo negatam eſſe creationem ex nihilo. Non eſt ita, legat in reſponſiua ad Baldum pag. 131. & inueniat penè totidem verbis reſcriptum in ea, id quod eſt ſcriptum in refutatione Liceto tradita antequatuor annos. Dixi autem in 5. Theſauri cap. 4. diſtingui à Cyrillo; id *quod creatur*, nam dicitur vel de eo, quod non

eſt,

eſt, & ſignificat productionem ex nihilo: vel de *eo, quod eſt,* & ſignificat translationem in aliud. Pro ſignificato priori creationis nullam adducit Scripturam; pro poſteriori quatuor. Licetus tranſcripſit magnam partem iſtius capitis in pag.173. & 174. Vbi Cyrilli ex Scriptura authoritates videat pro ſecundo ſignificato, pro primo non videbit. Hæc mea intentio eſt oſtendere, quòd creatio ex nihilo, non reperitur explicitè, ſiue expreſsè in Scriptura; non autem negare dari talem creationem ex nihilo. Aliud eſt quod creatio ex nihilo non ſit expreſsè in Scriptura, aliud an detur, nec ne creatio ex nihilo. Hoc ſecundum eſſe in vſu apud ſcholaſticos affirmo. Omnes enim ſcientifici poſſunt terminos ſibi opportunos accipere.

Verbum acquiſiuit dignitatem in Incarnatione. Filius eſt mutabilis.

111 Error. pag.176. lin.8. de Cyrillo. " *Concedens creationem improprijſſimè dictam primi modi, quæ tranſitus eſt rei ſubſiſtentis ad nouum gradum dignitatis, quem acquiſiuit Verbum in aſſumptione carnis humanæ, Creatus author, & promulgator Euangelij.* "

Primus error. Creatio primi modi apud Licetum pag.38. eſt mutatio quælibet. Si Verbum ſit creatum primo modo, ergo mutatum eſt. At Verbum eſſe mutatum ſiuè ab æterno, ſiuè in aſſumptione humanitatis, ſiuè in actionibus, vel paſſionibus in humanitate receptis, hæreſis eſt.

Secundus error. quòd Verbum per aſſumptionem humanitatis acquiſiuerit nouum gradum dignitatis. Nullum gradum dignitatis nouum acquiſiuit Verbum. Tunc enim ab æterno non fuiſſet infinitæ dignitatis, ſi ei poſſet fieri dignitatis acquiſitio. Filius quoque per nouas dignitates acquiſitas eſſet maior Patre, & Spiritu ſancto, qui humanitatem non aſſumpſerunt. Itaque gradus dignitatis nouus, acquiſitus eſt humanitati aſſumptæ non Verbo aſſumenti. Ita S.Leo epiſt.10. ad Flauianum cap.2. car.105. colum. 1. C. " *Quæ natiuitas temporalis illi natiuitati diuinæ, & ſempiternæ nihil minuit, nihil contulit.*

Scriptura exponitur cõtra Pontificem, & Concilium. Pater, & Spiritus ſanctus eſt genitus, & primogenitus.

112 Error. pag.183. lin.20. Eccleſiaſt.24. de Sapientia. " Ego *ex ore Altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam* ex D.Paulo contendit per vocem *primogenita*, non indicari Filij productionem, ac originem, ſed dignitatem & primatum ſuper omnes creaturas. Et pag.184. lin.2. "Paulus explicat *Filium dici primogenitum omnis creaturæ, quia eſt primatum tenens, atque principium omnium creaturarum: quod attributum conuenit etiam Deo Patri, & Spiritui ſancto.* "

Primus error. S. Sixtus ſecundus, & concilium Francfordien: locum exponunt de generatione Filij. Licetus ipſe (non D.Paulus) contra concilium, & Pontificem loquitur.

Secundus error. Pater & Spiritus ſanctus ſunt primogenitus omnis creaturæ. Sed Spiritum ſanctum eſſe genitum eſt hæreſis eſſe primoge-

mogenitum, ſicuti Filius, eſt alia hæreſis: nam origo Filij eſt quodammodo prior origine Spiritus ſancti. At ſi Spiritus ſanctus eſt primogenitus, iam Filius eſſet poſterior genitus, nec eſſet principium producens Spiritum ſanctum.

Tertius error, quòd *Pater ſit primogenitus*, nam eſſet genitus ab aliquo priori, nec Pater eſſet prima perſona. Certè Pater nec ad intra, nec ad extra eſt genitus, aut primogenitus. Pater æternus eſt primo genitus & genitus.

Quartus error. Licetus confundit rationem primogeniti, quæ eſt notionalis in Filio cum primatu cauſali, qui eſt eſſentialis. Verè enim Filius ad intra eſt genitus, & vnigenitus, & primogenitus, quia nullus eo prior genitus eſt.

113 Error. pag.185. lin.1. "*Licet Deus dicatur etiam Pater per generationem phyſicam rerum omnium, ad quam promendam, promouendamque cum cauſis particularibus, & ſecundis concurrit, Ariſtotelis obſeruatu, tanquam cauſa prima, & vniuerſalis phyſicè mouens immobilis. Hinc Homerus, & ex eo Ariſtoteles Deum appellat Patrem hominum, & Deorum.*" Deus eſt Pater naturalis hominũ.

Primus error; ponit Deum phyſicè ideſt naturali neceſſitate agere ad extra cum Ariſtotele. Etiam ſi Deus ſit author, & adminiſtrator naturæ: tamen ad extra agit liberè, & contingenter. Vide ad errorem 28. de Petro Abailardo. Deus agit ad extra naturali neceſſitate.

Secundus error. Dictum Homeri Bellarminus in *lib.1.* de Chriſto cap.3. colum.238. meritò reijcit.

114 Error. pag.185. lin.14. "*Illa verba, Ante omnem creaturam, apertiſſimè demonſtrant Filium Dei creatum non eſſe prorſus vlla ratione.*" Contra Concil. Romanũ, & Orientale. Filius nulla ratione eſt creatus.

Contradicit ſibi Licetus, nam in cap. vlt. concedit Filium eſſe creatum ad intra triplici ratione: vt in concluſione 1. 2. & 6.

Secundo pugnat cum S. Dionyſio, & concilio Romano declarantibus de Filio prouerb.8. *Dominus creauit me.* Cum concilio orientali canon.5. adde his SS. Hilarium & Thomam, imò adde conſenſum Patrum & Doctorum, qui relati ſunt in epiſtola ad Baldum.

115 Error. pag.186. lin.31. & pag.193. lin.20. 194. lin.4. 195. lin.3. ex Prouerb.8. ponit in Filio generationem diſtributam in duas functiones, conceptionem, & partum, & præter eas creationem; & diffuſè proſequitur hoc tota pag.187. cum tamen vnica, & ſimpliciſſima ſit productio Filij. Sed hic contradicit præcedenti errori. Filius triplici pductio ne originatus.

116 Error. pag.188. lin.20. "Tribuit Ario talem ſyllogiſmum. *Elenchum ſibi formant Arius, & opinio noua, dum ita ſyllogizant: Dominus creauit me initium viarum ſuarum: Ergo Dominus creauit me.*" Iſtam concluſionem, vt attigi ſupra caput tertium Liceti, dicit eſſe falſam, & Arianam. Concluſio ſcripturæ, & Pontificũ eſt Ariana.

Error eſt. Concluſio illa non eſt Arij, ſed eſt propoſitio ſacræ Scripturæ Eccli. 24. *Qui creauit me*, & à Pontificibus Euariſto,

ac Ioanne ſecundo explicatur de Filio, legentibus: *qui genuit me.* Tam audax eſt Licetus, vt propoſitionem Scripturæ, & expoſitionem Pontificum damnet.

117 Error. pag. 191. lin. 8. "*Dum tamen Verbo, iam genito ab æterno tribuit poteſtatem omnem, ſpeciatimque propterea condendi creaturas omnes, ipſum ſecum conſtituens Creatorem ſimul & Conditorem omnium, communicans eidem virtutem dominij, hoc agit vt Dominus condominum ſibi condens.* "In eadem pag. 191. lin. 2. Dominus condidit me. "*Rectè Dominus, quia creatio eſt operatio dominij, & poteſtatis creatoris ſupra creaturam, &c.*

In Filio duæ productiones. Primus error, ponit in Filio duas productiones, generationem priorem, creationem poſteriorem; per primam producitur in eſſe Filij; per ſecundam in eſſe Creatoris, vel Domini.

Filius producitur virtute dominij, & poteſtatis. Secundus error, quòd Verbum iam genitum producatur à Domino vt Domino, virtute Dominij, ac poteſtatis creatoris ſupra creaturam. Actio Dominij eſt voluntatis, non naturæ, vt ipſe Licetus ait. ergo Filius eſſet productus, etiam voluntate vt creatura adextra. Sic enim ratio Dominij & poteſtatis reſpicit ea, quæ ſunt ad extra, non ad intra. S.Tho. 1. p. q. 27. art. vlt. ad primum.

Legit omnes orthodoxos. 118 Error. pag. 191. lin. 20. "Dominus condidit me, &c. *longe alud mihi, & omnibus orthodoxis cenſetur creare aliquid abſolutè ſecundum eſſe ſui, & creare aliquid principium viarum Dei.*

Eſſe Filij, & eſſe principium viarum non ſunt idē in Filio. Licetus non aduertit vtramque loquutionem eſſe in Scriptura ſicut & à me in lib. Defenſionis pag. 34. poſita eſt loquutio abſoluta, *Ante ſæcula creata ſum*; & cum addito *Dominus creauit me principium*. Sed tamen neque concilium Romanum, neque concilium orientale vim faciunt in illa particula *principium viarum*, imo tam Vulgata, quam Concilium Romanum non legunt *principium viarum*, ſed legunt, *in initio viarum*, vt non ſit magna vis facienda in hac parte. Veruntamen vt dictum eſt in obſeruatione 97. in caſu noſtro licet arguere à creatione cum addito, ad creationem abſolutè: quia particula *principium viarum* non eſt diminuens.

119 Error. pag. 192. lin. 29. "*Throni tres poſiti ſunt tribus perſonis, & antiquus dierum vnus Deus ſedit, ita Filius vnus eſt ex antiquis.*

In Trinitate tres poteſtates, non vna. Thronus ſignificat regiam poteſtatem; at in tribus perſonis non ſunt tres poteſtates regiæ, ſed vna. S. Cyrillus 8. Theſ. cap. 2. cart. 38. "*Comparatio ergo de naturalibus dignitatibus hic eſt & de honoribus, qui naturæ debentur: quòd in eodem ſolio Filius cum Patre ſedeat quòd etiam ab Angelis adoretur; vnde naturæ quoque proprietas intelligitur, quòd non ſit creaturis connumerabilis Filius, ſed aliud præter creaturas, Deus ſcilicet verus, & Verbum Patris æternum.*" Vnus ergo, & idem Thronus, ſiue ſolium eſt Patris, & Filij, & eadem

ratio-

ratione Spiritus ſancti,non tres Throni.& in Eccl.cap.1.*Deus altiſſimus ſedet ſuper thronum ſapientiæ*, nam idem eſt thronus trium perſonarum.

Conſideretur item,quod antiquus dierum vnus Deus ſedit; quare antiquus eſt nomen eſſentiale, & malè dicitur, Filius vnus *eſt ex antiquis*, ſicut malè diceretur *vnus ex Deis*.

120 Error.pag.195. à lin.14. ad 18. 19. "*Quam creationem rerum cunctarum vna cum Patre ſimul molitus fuerit (Filius) ab initio mundi ſingulis ſex diebus hebdomadæ primæ,&c. in communicando eſſe participato ſingulis creaturis, ab ſe productis per Veram,& vniuocam, proprijſſimèque dictam creationem.*"

Deus creauit omnia, & ſingula immediatè de nihilo.

Error. Creatio proprijſſimè dicta ex Liceto cap.9. eſt productio ex nihilo. Sed opera ſex dierum facta, & creata ſunt ex ſubſtantia corporum primorum, ante omnem diem productorum. Ita communiter Theologi ſentiunt de operibus diſtinctionis, & ornatus: & ſpeciatim S.Tho. 1.p. q.68. art.1. & S.Iuſtinus in orat. ad Antonin. to.1. car. 112. & 168. Certè piſces ex aqua, Gen.1. Ligna ex terra, Gen.2. homo ex limo terræ,Æua ex coſta. Gen.2. producta ſunt.

121 Pag.197. lin.13. "*Genuit Filium in ſplendoribus Sanctorum, videlicet, in perſonis diuinis altiſſimæ Trinitatis, quibus & ſplendorum & Sanctorum nomen appropriatum eſt ab Orthodoxis Patribus omnibus.*

Eſſentialia nomina pluraficantur.

Splendorum quidem, quia Filius procedit à Patre lumen de lumine,&c."

Ad lin.25. "*Quod etiam de attributo ſanctitatis apparet ex triſagio, quod vni Deo trino cantari Ioannes audiuit in cœlo. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt omnipotens.* Apoc.4."

Error eſt. Patrem, Filium,& Spiritum ſanctum dicere *ſplendores* in plurali. Nomina eſſentialia in diuinis ſunt vel ſubſtantiua, vel adiectiua. Nomina eſſentialia ſubſtantiua nunquam in plurali efferuntur, neque cum termino numerali; ſed ſemper in ſingulari, vt in ſymbolo Athanaſij. Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus: & tamen non tres Dij, ſed vnus eſt Deus. Sic non tres Domini, ſed vnus eſt Dominus.

S. Auguſt. quoque in 7. de Trinit.cap.3. "Lumen ergo Pater, lumen Filius, lumen Spiritus ſanctus: ſimul autem non tria lumina, ſed vnum lumen.

Et ideò ſapientia Pater, ſapientia Filius, ſapientia Spiritus ſanctus: & ſimul non tres ſapientiæ, ſed vna ſapientia."

Ita quoque Concilium Nicenum, lumen de lumine in ſingulari dixit:

xit, quod à Liceto malè affertur ad probandum pluraliter *ſplendores*. Siue igitur ſubſtantiua eſſentialia ſint propria, vt ſapientia, ſiue translatiua nomina, vt lumen, non poſſunt in plurali exprimi. Licetus legit apud Orthodoxos omnes (ſi omnes legit) quòd Filius ſit ſplendor; ſed quòd Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſint ſplendores, non legit: ſed fortè apud Arianos, diuidentes eſſentiam, & eſſentialia Dei, vel apud Tritheitas legit.

Nomina eſſentialia adiectiua, quando actu cum perſonis, vt ſubſtantiuis conſtruuntur, ponuntur in plurali, vt ſymbolum ſonat, *Tota tres perſonæ coæternæ ſunt, & coæquales*. Atque Concilium Lateran. ſub Innocentio III. extra de ſumma Trinit. & fide cathol. *Pater generans, Filius naſcens, & Spiritus ſanctus procedens, conſubſtantiales, & coæquales, & coomnipotentes, & coæterni*. In qua oratione Pater, Filius, Spiritus ſanctus per figuram, quæ ſynthesis eſt, ſunt ſubſtantiua adiectiui pluralis *Conſubſtantiales*. At quando non ponuntur perſonæ, ſymbolum citatum ait. *Non tres æterni, ſed vnus æternus. Sicut non tres increati, nec tres immenſi, ſed vnus increatus, & vnus immenſus*. Licetus autem ait, *Sanctorum*, non imitans citatam Scripturam, quæ ait, *Sanctus*, non *Sancti*, omnipotens, non omnipotentes.

Neque illa phraſis Liceti rectè ſonat. *Genuit Filium in perſonis diuinis altiſſimæ Trinitatis*. Non enim particula *in* poteſt ſignificare circuminceſſionem, cum Filius in ſe non habeat circuminceſſionem, ſed in perſonas diſtinctas. Nec ſignificat identitatem, quia Filius non habet diſtinctionem perſonalem à Trinitate cum identitate eſſentiali: eſt nanque à duabus alijs perſonis diſtinctus perſonaliter, non à ſeipſo. Nec *In* ſignificat principium originale, quia Filius non originatur à Trinitate.

Verbum produci ad intra in Deo, Arianũ eſt.

122 Error. pag. 198. lin. 22. *Verùm ſi dare voluerimus Ario ſimul, & opinioni nouæ Salomonem in eo loco prouerb. agere de ſola productione Verbi ad intra, non autem de conſtitutione Verbi in creatorem*, vt vidimus.

§. 2. (*quod illis diſputationis ergo damus, non concedemus vllo pacto.*)

§. 3. *habebimus nihilominus in ſacra pagina, quod dictam productionem, oſtendat, eſſe poſſeſſionem, creationemque impropriè ſecundi modi: nimirum Filij concepti, & partu editi veram, propriamque generationem, à creatione propriè dicta contradiſtinctam*.

Error. *Arius poſuit, Filium eſſe productum ad intra*. Non errat per ignorantiam Licetus: legit omnes Orthodoxos, vt proximè dixit:

xit: omnem ſcientiam profitetur. Scit, Arium poſuiſſe, Filium productum ad extra, vt nuper Auerſa ſcribit in 1. p. quæſt. 27. ſect. 3. poſt D. Thom. eadem quæſt. art.1. Scit, catholicos ponere Filium productum ad intra. Sed ideò veritatem catholicam Ario aſcribit, vt catholici fugientes ab aſſertis Arij, fugiant à veritate catholica, & incidant in Iudaiſmum. Iudæi enim in Deo ad intra nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum ſanctum volunt. Sed Deum improductum tantùm; omne productum extra Deum ponunt. Ideò Licetus tàm ſæpè inculcat, Arij dogma eſſe, quòd Filius, ſiue Verbum ſit productum intra Deum, vt negetur intra Deum Trinitas perſonarum, ponatur Trinitas extra vnum Deum, quod volunt Ariani, & Iudæi.

Secundus error. Quòd Arius in prouerb.8. hoc ſolùm voluit, nempe Verbum eſſe productum ad intra. Imò nihil minus voluit. Aſſeruit quippe, Filium eſſe diuerſum eſſentialiter à Deo: ſicut Licetus aſſeruit, Filium creatum creatione eſſentialiter diſtincta ab eſſentia generationis. Sic aliquando totum, aliquando partem Iudaiſmi ſtatuit.

Tertio. Imponit mihi falsò, quòd locum prouerb.8. de ſola productione ad intra expoſuerim. Imò in refutatione ſcripta, primò poſui ſeriem Patrum, exponentium de Filio producto in diuinitate: ſecundò ſeriem exponentium de Filio in humanitate. Relegat Scriptum, nam Licetus volens falſum mihi imponit.

Tertius error circa fidem eſt: cognoſcit in Scriptura ipſam productionem Filij ad intra, ideſt, generationem. Quod Scriptura dicit, generationẽ eſſe creationẽ aliquando, nullo pacto cōcedendum eſt.

Cognouit, quòd in Scriptura generatio appellatur creatio, vt ipſe diſtinguit, creatio ſecundo modo.

Igitur malè dicit, ſe hoc dare diſputationis ergo, ſed nullo modo concedere. Quod enim in Scriptura eſt, non concedere ſacrilegium eſt. Nec ſolùm Geneſ.4. vt citat Licetus, generatio dicitur creatio, ſicuti S. Baſil. legit vocem *Canisi* hebræam: ſed etiam in cap.2. Iſtæ ſunt generationes cæli, & terræ, quando creata ſunt, &c. Deut.32. Deum, qui te genuit, &c.

123 Error. pag.199. lin.28. *Conſtat apertiſſimè prouerb. oraculum, allatum ab Ario pridem, & ab opinione noua recenter inculcatum ad ſuorum dogmatum confirmationem, nihil omnino fauere ſententijs eorum*.

Conſtituentium Filium Dei ad intra creatum eſſe propriè dicta creatione Theologicè, quæ ſit euiſdem Verbi diuini productio, quantum ad eſſe ſimpliciter.

Primus error. Secundum Licetum Scriptura, qua abuſus eſt hæreti-

cus

cus, non debet à catholico in vſum aſſumi. Ideò me vel millies reprehendit Licetus, quia accipio eandem Scripturam Prouerb. 8. quam vſurpauit Arius. Hoc nil aliud eſt, quàm damnare omnes ſcripturales, ſeu poſitiuos Patres, etiam Sanctos, qui eadem ſcriptura vtuntur, qua hæretici abutuntur. Cum nulla oriatur hæreſis, quæ ſcriptura non abutatur. Damnentur ergo omnes Orthodoxi, & Eccleſia etiam, quæ recitat ſcripturas violatas ab hæreticis.

Scriptura eſt de ſerenda propter abuſum hæretici.

Confundit Scripturam, & intelligētiam hæretici.

Secundò. Non diſtinguit Licetus inter Scripturam, & hæreticam intelligentiam. Scriptura enim non eſt vitanda, ſed hæretica intelligentia. "Filius Dei ad intra verè, ac Theologicè creatus eſt. Diſtinguit Licetus has intelligentias ſic: "*Arius quidem putabat ex nihilo, contra noua opinio, ex ſubſtantia Patris præſuppoſita, & inexiſtente: ſed vterque ſuæ rationis cardinem ex prouerbijs habet;* "Nil commune, niſi ſcriptura eſt; ſed intelligentia eſt contraria.

Confitetur hoc Licetus pag. 30. lin. 20.
pag. 109. lin. 28.
pag. 113. lin. 20.
pag. 101. & ſæpè.

me loqui de alia creatione, & alio creationis genere à creatione, de qua Arius. Sociat ergo me, non propter intelligentiam, in qua prorſus diſcrepo ab Ario: ſed propter vocem ſcripturæ, in qua non ego cum Ario, ſed Arius cum catholicis conuenit.

Propoſitio Scripturæ eſt cōcluſio hæretici.

Tertiò. Confundit concluſionem hæretici cum propoſitione.

Duæ ſunt propoſitiones, vna concluſio.

Omne creatum eſt factum ex nihilo.

Filius eſt creatus, prouerb. 8.

Ergo Filius eſt factus ex nihilo.

Concluſio Arij damnata eſt in anathematiſmo Niceno. Dicentes, Filium Dei eſſe factum ex non ſubſtantibus anathematizat Eccleſia. Licetus concluſionem Arij damnatam confundit cum minore propoſitione ſcripturæ, & illam ſcripturam cenſet eſſe damnatam.

Quartus error. Maiorem Arij Licetus toto cap. 9. maximè approbat, vt proprijſſimam, & ſæpè, ſupra centies. At in illa maiore tota vis argumenti Ariani conſiſtit, & falſa Arij intelligentia. *Dominus creauit me* de Filio intellexit Euariſtus, intellexit Dionyſius Papa. Arius, atque Sabellius per creatum intelligunt factum ex nihilo; idem Licetus intelligit, nempe Arij intelligentiam accipit; & propoſitionem erroris damnatam à S. Dionyſio, amplectitur, ſcilicet, quòd *creauit me* in iſta ſcriptura ſit *fecit me*.

Quin-

Quintus error. In 2.§. ſcribit Licetus, eſſe *Arianum dicere, quòd Filius ſit productus ad intra, quantum ad eſſe ſimpliciter*. Aut vult dicere, quòd Filius non ſit productus, neque ad intra, neque ad extra, & Sabellianiſmum reſtituit: aut quòd Filius ſit productus ad extra, & Arianiſmum ſimul cum Iudaiſmo ſtatuit.

Filiũ eſſe pductũ ad intra quo ad eſſe ſimpliciter eſt Arianum.

Sextus error. Arium dixiſſe, Filium eſſe creatum ad intra, aut productum ad intra, quantum ad eſſe ſimpliciter, eſt purus error: non dixit hoc Arius. Legatur D.Tho.1. q.27.art.1. Vnde eſt pura, vel praua ignorantia, ignorare terminos fidei, & hæreſis: hæreſis Arij eſt, Filium eſſe factum ad extra, creatum ad extra: Fides catholica eſt, Filium eſſe productum ad intra, creatum ad intra, vt patet in D.Tho.1.p.q.28.art.4. & ex traditione probaui in reſponſiua ad Baldum. Conueniunt Patres in propoſitione, *Deus creauit Filium*, licet ſenſibus diuerſis exponant, veris tamen; vt in diſputatione Boſchia.

Septimus error. Creare Theologicè propriè apud me eſt creare, creatione expreſſa in ſcripturis, quæ eſt productio ex aliquo, vt Auguſt. dixit, in Scriptura eſſe. Lege Sap.11. creauit ex materia, Eccl.17. creauit de terra; ex coſta, oſſibus, carnibus, viro, Gen.2. Gen.1. creauit ex aqua piſces, & aues, tabernaculum legale ex donarijs, iunge Hebr.9. & Exod.35.

Æquiuocatio hæreticalis inducitur in vocabulo *Creatio*.

Creatio Arij *eſt factio ex nihilo*, quæ in ſcriptura expreſsè non eſt. Creatio Liceti propria ex materia diſpoſita, vel indiſpoſita. Ideò dicere Theologicè propriè apud Arium, propriè apud me, propriè apud Licetum eſt facere æquiuocationem hæreticalem.

8 Cognoſcitur hinc, quòd Liceti titulus libri *de creatione ad intra*, iuxta Liceti placitum eſt titulus hæreticus, qui libro catholico præponi abſolutè non debuit.

Titulus libri Liceti eſt hæreticus.

124 Error. pag.200. lin.6. *Verbum à Patre Deo genitum eſt, non propriè creatum ante ſæcula, ſed impropriè, communiter, & abuſiuè; nimirum non creatum ad intra, quantum ad eſſe ſui, ſicut voluit Arius olim, & opinio noua noſtræ tempeſtatis.*

Filius Dei eſt creatus ad extra nõ ad intra.

Primus error repetitus. Arius ſtatuit, Filium eſſe creatum ad intra, quantum ad eſſe ſui. Falſum eſt, poſuit creatum ad extra, vti Ciril.1. Theſau. cap.7. & Tho.1. q.27. art.1.

Secundus error. Arius poſuit Filium creatum ante ſæcula: falſum eſt. Damnatus eſt Arius, quia Filium in tempore productum dicebat: vnde in prima particula anathematiſmi Niceni, dicentes de Filio: *Erat quando non erat: & antequam naſceretur, non erat*, anathematizat Eccleſia.

Arius dixit, Filiũ eſſe creatum ante ſæcula.

Tertius. Proprietas creationis ex vſu ſcripturarum in ſacra Theologia accipienda eſt. Sed Filium, ſeu ſapientiam, genitam dici creatam, eſt in prouerb.8. Eccli. & Eccl.24. cum doctoribus citatis

Arius propriè, ſcriptura impropriè,

& abuſiuè loquitur.

tatis in reſponſiua ad Baldum, & in diſputat. Boſchia. Errat ergo dicens, Arium accepiſſe creationem propriè, Scripturam impropriè, abuſiuè, communiter. Scilicet, laudat hæreticum, Scripturam damnat. Certè melius eſt loqui propriè, quàm impropriè, communiter, abuſiuè. Sed in Decreto diſt. 9. cap. quis neſciat; & in Auguſt. 2. docet Chriſt. cap. 7. " *Debemus cogitare potius, & credere id eſſe melius, & verius, quod ibi ſcriptum* eſt. 1. in Scriptura ſacra.

Dominus creauit me, eſt cōcluſio Ariana.

125 Error pag. 200. *Tùm Arius ipſe pridem, tum opinio noua nunc argumentum texit à coniunctis ad diuiſa fallaciſſimum, ſiue à ſecundum quid ad ſimpliciter, vt oſtendimus. Quod non pigeat in re tanti momenti repetere. Dicunt autem; Dominus Deus Pater creauit Filium initium viarum ſuarum: ergo Dominus Deus Pater Filium ſuum creauit. Paralogizant apertè, perinde, ac ſi dicerent: Verbum factum eſt caro: ergo Verbum factum eſt.* „

Error eſt. In enthymemate primo conſequens eſt verum, in ſecundo Liceti falſum, & hæreticum; erratque Licetus tùm in Theologia, exiſtimans, primum conſequens eſſe falſum, & Arianum, ſicut ſecundum conſequens falſum, & Arianum eſt. Tùm in logica, quia primum enthymema non eſt fallax, eo quod additum, *initium viarum Dei*, non eſt conditio diminuens de eſſe Dei, vel Filij, ſiue ratione eſſentiæ, ſiue ratione perſonæ. Secundum enthymema fallax eſt, quia particula, *factum eſt*, diminuit, atque diſtrahit eſſe Dei, & Filij, hoc eſt, & rationem eſſentiæ, & rationem perſonæ. Multiplicat Licetus exempla falſa; ſed ſi regulas à D. Tho. in lib. de fallacijs datas, vel ab Ariſt. poſitas in 2. de interpret. legiſſet; neque in re logica, neque in re theologica aberraſſet. Neque vel vicies eadem repetijſſet: vide obſeruationem. 96. 97.

Conſequens autem primi enthymematis eſſe verum, patet in Eccl. 24. *Qui* (ideſt Deus) *creauit me*; ideſt, *genuit me*, explicantibus Euariſto, & Ioanne Pontificibus Romanis. At Filius abſolutè de ſe veriſſimè dicit. *Dominus genuit me*. Patet & in decreto S. Dionyſij Papæ cum Concilio Romano (quod Concilium à me ſcripto datum Liceto, Licetus ſemper tacuit, non ad veritatem, ſed ad Iudaiſmum tendens) *Dominus creauit me*, abſolutè Pontifex dicit, non autem *initium viarum*; ſic enim non legebat. *Sed creauit me in initio viarum ſuarum*. Vnde in illo Concilio abſolutè ponitur, *Dominus creauit me*, ſed non fecit; ſicut *factum* abſolutè eſt in conſequente ſecundi enthymematis. Similiter in Concilio Orientali abſolutè de Filio dictum eſt, *creauit me*. De voce *initium, ſeu principium*, nihil. Conſequens igitur primum eſt etiam in concilio Orientali poſitum, ſicut in Romano. Nec debet

Scriptura, Pōtifices, Con-

Lice-

Licetus ſcripturam, Pontifices, Concilia traducere, vt fallaciſſimè concludentes falſum, & Arianum conſequens. cilia fallaciſſimè falsũ cõcludunt.

126 Error. pag.201. lin.13. "Itaque plumbeo pugione contra communem Orthodoxorum Patrum ſententiam, concilij Niceni, catholicæque S. Matris Eccleſiæ ſanctionem militant Arius, & opinio noua.„

2. §. Dum ex allato prouerb. textu colligere conantur, Verbum diuinum ad intra, Filiumque Dei Proprijſſimè creatum eſſe ſimpliciter, Arius quidem ex nihilo. Filius nõ eſt productus ad intra. Nã hoc Arij eſt.

Noua verò opinio ex præſuppoſito principio, permanente in Filio producto.„

Primus Error, quòd Arius poſuerit Verbum ad intra. Ita Licetus catholicos, vt Arianos traducit; & dogma catholicum, quòd Filius ſit ad intra in Deo, ſit productus ad intra, tanquam dogma hæreticum reprobat: ſubuertens Chriſtianos, & eos Iudæos faciens, ne credant Filium, & Spiritum ſanctum eſſe in Deo ad intra.

Secundus Error. Quòd Arius poſuerit in Deo ad intra aliquid eſſe creatum. Imò Iudæi, Sabelliani, Ariani concordes ſunt, vt nihil ſit productum in Deo ad intra: ſed quicquid productum eſt, ad extra ſit productum, ad extra creatum, & factum. Arius poſuit aliqd creatũ ad intra.

Tertius Error. Quòd voce *Proprijſſimè ſimpliciter* in deſignanda creatione Arius ſit vſus. Impoſtura eſt ſemper vitanda, etiam quando aduerſus hæreticos diſputatur. Ne diſputator conuictus impoſturæ, & calumniæ fide, indignus fiat. Impoſtura in hæreticum.

Quartus Error. Quando coniungit me cum Ario, dicit, me creationem *proprijſſimè ſimpliciter* poſuiſſe in Deo ad intra: impoſtura eſt. Sed hoc ſit delictum contra me. At contra catholicam fidem eſt, ſenſum iſtum tanquam hæreticum damnare. quòd Impoſtura in catholicũ.

Verbum eſt ad intra creatum, ideſt productum ex aliquo principio præſuppoſito, permanente in Filio producto. Iſta enim propoſitio eſt catholica & quo ad ſingulas partes, & quo ad totum. Illiuſque contradictoria, quam Licetus intendit, eſt Iudaiſmi ſemen, dicens, Verbum non eſſe productum ad intra ex principio præſuppoſito, permanente in Filio: quod principium præſuppoſitum eſt ſubſtantia Dei Patris, interna in Filio manens, vti dixi ſæpè & hic, & primitus in lib.1. Defenſionis num.28. pag.34. Filiũ eſſe pductũ ad intra, & in hoc ſẽſu creatum, eſt ſenſus hęreticus.

Si quæras, quid intelligit Licetus per creationem proprijſſimè ſimpliciter; dico id à Liceto explicatum fuiſſe cap.9. Sed & in eadem pag.201. lin.29. ait *creatio proprijſſimè differat à generatione, tùm ratione termini à quo, qui in creatione eſt non ens abſolutè, ac verè*

nihil, contradictorie oppoſitum ipſi eſſe ſimpliciter in rerum natura. "

Tribuere mihi talem creationem proprijſſimè, qui nunquam voce *proprijſſimè, ſimpliciterque* vſus ſum in creatione deſignanda, eſt fides callida Liceti.

Filius Dei eſt mutabilis.

127 Error. pag. 202. lin. 13. prima concluſio ait. "*Filius Dei ad intra creatus eſt primo modo creationis alieniſſimo.*

Error primus quia in cap. 5. pag. 38. lin. 1. creatio primo modo ſumitur pro quacunque mutatione. Si Filius Dei ad intra creatus dicatur per mutationem, hæreſis eſt, qua pro Iudæis infamantur Chriſtiani, quaſi in Deo ad intra ponant mutationem.

Hæreſis etiam Ariana eſt, in quarta parte anathematiſmi Niceni, damnantis dicentes, Filium Dei eſſe mutabilem.

In Filio Dei eſt accidẽs.

Secundus Error. Quia Licetus cap. 17. cart. 188. ait, creatio iſta eſt poſt præſuppoſitam ſubſtantiam ad accidens ex D. Auguſtino. At hæreſis eſt, in Deo ponere ad intra accidens aliquod.

Sanctos, & eorum dicta peruertit.

Tertius Error. Quia in pag. 202. pro hac concluſione citat Auguſt. Nazianz. Cyril. quaſi dicant, Filium prius eſſe genitum, poſterius eſſe creatum creatione iſtà ex prouerb. 8. Cum nullus iſtorum Patrum vel mutationem, vel accidens, vel duas productiones in Filio Dei ad intra ponat, vt in eis Licetus imponit.

Denique Licetus pag. 169. lin. penult. ait, creationem iſtam ex Auguſt. deſcriptam, nec debere, nec poſſe trahi ad creationem Filij. Nunc illudit lectoribus, eam tribuens Filio Dei.

Cõtradicit Sãcto Euariſto Papæ.

128 Error. pag. 202. lin. 24. "*Filius Dei ad intra creatus eſt ſecundo modo creationis, æquiuocè dicta, ſumpto nomine creationis ad indicandam propriè dictam Filij Dei generationem æternam.*" Probat ex Euariſto Papa.

Si generatio Filij Dei æterna eſt dicta creatio à S. Euariſto; quare ſexcentis locis id contra me negat Licetus? Sed ſuperius cap. 6. toto Licetus oſtendit, quòd Filio neque in diuinitate, neque in humanitate competit creatio in iſto ſignificato ſecundo. Illudit ſanctis, nunc enim recipit, quos prius refutauit acerrimè.

Secundo cõtradicit Sãctó Euariſto.

129 Error. pag. 203. lin. 14. Eccl. 24. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, &c.* quæ de Filio Dei verificantur, non niſi quantum ad aſſumptam humanitatem.

Error. In pag. 202. lin. 29. *Qui creauit me*, exponit de Filio ſecundum æternam generationem Euariſtus. In pag. immediatè ſequenti 203. lin. 17. negat intelligi de Filio ſecundum diuinitatem, concedit ſolùm dici ſecundum humanitatem.

Poterat nè magis lucidè Papæ declarationem ſtatim refutare? ſcilicet ex Papæ voluntate concedit, Filium creari, ideſt, generari: ex ſe negat.

130 Pag.203. lin.20. ponit concluſionem. *Filius Dei ad intra propriiſſimè creatus non eſt ex nihilo contra perfidiam Arij.* Filium creari ad intra, eſt Arij dictum.

Error frequentatus, tribuere Ario creationem Filij ad intra. Ergo Licetus contrarium tenet, ſcilicet, Filium creari ad extra. At hoc eſt verè Arianiſmus, & Iudaiſmus.

131 Error. pag.204. lin.18. "*Quare mirandum eſt, iſtam opinionem nouam non ſolùm collaudatam eſſe ſubſcriptionibus aliquorum, etiam hoc eſt Theologorum apud nos vel ex D.Tho. profitentium.*" Laicus poteſt legitimè iudicare de legitimis doctoribus Theologiæ.

Lin.25. *Cæterùm, vt de ſubſcriptoribus illis exiſtimare liceat, eos non tàm argumentis, & authoritate primi magiſtri recentis opinionis perſuaſos, atque permotos, quàm obſequij cauſa, rogatos ab amico ſubſcripſiſſe nouo placito,*

Reclamante nequicquam Ariſt. veritatem amicitiæ ſemper anteponendam."

Primus error. Damnare nouitatis propoſitiones ſacræ Scripturæ. *Dominus creauit me in initio viarum ſuarum; Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*, & ſimiles; atque Summorum Pontificum, & Conciliorum antiquiſſimas declarationes earum ſcripturarum: error eſt grauiſſimus. Propoſitiones ſcripturę cum declarationibus Pōtificū, & Conciliorum damnātur nouitatis.

Secundus error. Laicum, ideſt, illegitimum verbi Dei miniſtrum, velle iudicare de Doctoribus Theologis, hoc eſt, legitimis miniſtris: eoſque damnare tanquam deſertores veritatis catholicæ, propter hominis amicitiam, grauis eſt error.

Tertius error. D.Thomæ ſequaces, & præcipuè doctiſſimum Theologum publicum, in via D. Thomæ exercitatiſſimum, tanquam D.Thomæ non fidelem taxare, eſt error.

Circa ſecundum errorem, docui ſupra, extra de hæret. in 6. cap. *Quicunque* ſub pœna anathematis prohibitum eſſe laicis, ne publicè, aut priuatè de rebus fidei diſputent: cum ratione Alphonſi de Caſtro lib.1. de iuſta hæreticorum punit. cap.20. Nunc duas affero rationes ad Liceti laici vxorati errorem commonſtrandum, & ſimul comprobandam Summi Pontificis legem.

In Eccleſia.n.Dei non omnes fideles habent eundem actum; ſed ex 1.Corint.12.28. "Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundò prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum. Nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur?" Qui igitur non eſt inſtitutus à Deo legitimus Doctor & miniſter verbi Dei; & nihilominus audet exercere miniſterium verbi Dei, Doctoris Eccleſiaſtici, interpretari ſacras ſcripturas: ille authoritatem Dei vſurpat, quia Dei eſt inſtituere legitimos doctores. At ille, quaſi eſſet Deus, ſe-

ipſum inſtituit. Secundò legitimorum doctorum officium turbat, eo quòd non legitimus doctor contra, & ſupra legitimos Doctores non ſuum exercet officium. Tertiò Eccleſiæ ordinem euertit, quia non doctor doctor eſt: qua ratione omnes doctores fient, omnes prophetæ, omnes interpretes verbi Dei, ſicut fit apud Lutheranos, contra Apoſtoli, imò contra Spiritus ſancti doctrinam, per Apoſtolum loquentis.

Idcircò, cum Catechiſmus Romanus de Sacramento ordinis §.2. dixiſſet, Epiſcopos, ac Sacerdotes, tanquam Dei interpretes, & internuntios quoſdam eſſe, qui eius nomine diuinam legem, & vitæ præcepta homines edocent.

In 3.§. ſubdit, deplorans illos, qui abſque legitima inſtitutione ſeipſos intrudunt in miniſterium docendi legem, & præcepta Dei. Sic autem ait. *Deinde verò quemadmodum Saluator noſter à Patre, Apoſtoli autem, & diſcipuli in vniuerſum mundum à Chriſto domino miſſi ſunt; ita quotidie Sacerdotes eadem, qua illi, poteſtate præditi, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti mittuntur. Huius igitur tanti officij munus nemini temerè imponendum eſt, ſed ijs tantùm, qui illud vitæ ſanctitate, doctrina, fide, prudentia, ſuſtinere poſſint. Nec verò quiſquam ſibi ſumat honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam* Aaron. *Vocari autem à Deo dicuntur, qui à legitimis Eccleſiæ miniſtris vocantur. Nam qui in hoc miniſterium ſeipſos arroganter inferunt, atque intrudunt, de his Dominum intellexiſſe docendum eſt, cum inquit. Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant. Quo quidem hominum genere nihil infelicius, ac miſerius, nihil Eccleſiæ Dei calamitoſius eſſe poteſt.* „

Cum ergo Laicus accipiendo officium diſputandi de fide, ille & ſibi miſeriam, & exitium Eccleſiæ, & Deo contemptum, Deique miniſtris, eorum officium vſurpando, afferat: iuſtiſſimè ſummus Pontifex, Eccleſiæ vigil, & vindex prohibet laicis, ne doceant de fide, vel diſputent. Quantocunque enim habitu ſcientiæ præditi eſſent, non legitimè, & authenticè docerent; quia non ex legitima, ſed ex præſumpta, & vſurpata authoritate hoc facerent.

Secunda ratio eſt tribus propoſitionibus innixa.

Prima ex Cano de locis lib.2. cap.14. car.129. " Magnus, inquit, error eorum eſt, qui ſine Spiritus ſancti peculiari donò ſcripturam ſacram exiſtimant, ſe poſſe vel intelligere, vel interpretari. „

Probatur ex 2. Pet.1. " Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco: hoc primum intelligentes, quòd omnis prophe-

tia

tia Scripturæ propria interpretatione non fit: non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines. „ Igitur ſcripturis explicandis eodem ſpiritu opus eſt, quo ſunt conditæ.

Sanctus Hierony. aſtipulatur & eſt in decreto 1. q.1. cap.64. *Marcion.* " Marcion, & Baſilides, & cæteræ hæreticorum peſtes non habent Dei Euangelium, quia non habent Spiritum ſanctum, ſine quo humanum fit euangelium, quod docetur. „

Secunda propoſitio. Spiritus ſanctus peculiari aſſiſtentia, & illuminatione aſſiſtit legitimis miniſtris verbi Dei, & legitimis doctoribus immediatè: alijs fidelibus, non niſi mediantibus legitimis miniſtris, & doctoribus, quibus ex promiſſione Chriſti ſpiritus eſt promiſſus, & datus vſque ad conſummationem Sanctorum.

Ioan.14. "Spiritus ſanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia„ Ioan.14.16. "Rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis. „

Ioan.15.26. "Ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis. „ Spiritus ſanctus in æternum aſſiſtet vobis, vos docebit omnem veritatem, teſtimonium perhibebit vobis, vos populis. Sic enim Apoſtolos miſit doctores. Mat.28. "Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: docentes eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis. „ Diſtinguit doctores, quibus Spiritum ſanctum promiſit, & miſit doctorem à gentibus audituris. Talis eſt ordo ex legitimis doctoribus in Eccleſia; ideſt Epiſcopis, & Sacerdotibus, vt ſuperioribus, & ex laicis, vt inferioris notæ ordinibus, quorum fides à maiorum fide dependet.

Tertia propoſitio. Ex legitimis miniſtris, atque doctoribus, quibus ſpeciali lumine datur intellectus, & ſcientia veritatum reuelatarum: nonnulli non ex defectu ſpiritus, ſed ex humano defectu labuntur in errorem. Vt Iudas ex Apoſtolo apoſtata factus, Nicolaus Diaconus ex catholico hæreticus. Sic Arius presbyter, Neſtorius Epiſcopus, & alij plures. Vbi autem eſt ſpecialis aſſiſtentia Spiritus ſancti ad intelligendas, & explicandas ſcripturas, ibi eſt minus periculum lapſus: vbi autem humana fragilitas ſibi relinquatur ſine ſpeciali aſſiſtentia, ibi verò eſt maximum periculum præcipitij circa fidem, & reuelata.

Quapropter multò maius periculum errandi eſt in laicis Chriſtianis, quàm in legitimis miniſtris: Vbi autem periculum eſt manifeſtum, & maximum, ibi maximè debet Summus Pontifex præcauere ruinam, & prohibere ſeueris legibus, ac pœnis, ne ſe laici periculo euidenti exponant, ne ſe illegitimos miniſtros faciant, ne ſpiritu.

pro-

proprio ducti, de ſacris dogmatibus tractent, ſcripturas ſacras volent, fideles peruertant. Propterea Licetus non obediens Deo, Dei permiſſu in plurimos, & grauiſſimos errores lapſus eſt, vſque ad illum ſummum, quo in Deo ad intra negatur Trinitas perſonarum.

Perperam ergo Licetus ſibi aſſumit pag. 15. Sancti Pauli verba ex 2. Corint. 10. "Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem inobedientiam extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.,,

Licetus à quo deſignatus eſt Chriſti miles? à quo legitimo ſuperiore arma recepit? Quo iure à ſupremo duce militare prohibitus, aggreditur munitiones? inobediens inobedientiam proſternere vult? extollens ſe contra ſcientiam Dei extollentem deturbare, & non captiuans intellectum proprium in obſequium Chriſti, captiuare ſperat?

De legitimis miniſtris ſubditus iudicans, ideſt, de ſeptem Theologis, nonne læſæ maieſtatis diuinæ, & Pontificiæ reatum incurrit, dum contra Dei inſtitutionem, & Pontificis ſupremi iuſſionem, ſine aſſiſtentia ſpiritus ſpiritualia ſecreta, & perſonas miſcere audet? Non in verbis eſt virtus, ſed in ſpiritu, qui reuelat, docet, impugnat, expugnat, captiuat. At ſpiritus veritatis non adeſt non vocatis, non miſſis.

In hoc apparet differentia inter me, & Licetum. Ego auditis rumoribus à Liceto excitatis per Vrbem Patauinam apud ſacros, ſæculares, viros, mulieres: ſtatim conſului Patrum traditiones: nec mihi fidens, ad ſacros, legitimoſque in Eccleſia Doctores iudicium detuli: nolui ex meis, ne domeſtici teſtes eſſent ſuſpecti. Sancti Thomæ diſcipulos obreſtatus ſum, vt relictis de opinione controuerſijs, iudicarent, ſi quid in meo ſcripto fidei catholicæ eſſet aduerſum, & catholica ſinceritate indicarent, vt poſſem emendare. Omnes approbarunt, & ſubſcripſerunt. Quid enim iuſtius approbarent, quàm S. Thomæ doctrinam, & eam ex traditione Patrum, ſanctione Pontificum, & conciliorum, atque ſacrarum Scripturarum fontibus deriuatam?

Ita S. Paulus Galat. 2. Secundum reuelationem aſcendit Ieroſolymam, & cum Apoſtolis, Petro, Iacobo, Ioanne contulit Euangelium, ne fortè in vanum curreret, aut cucurriſſet. Sic, obſecro, faciant illi, qui de ſacris rebus conſulunt laicum. Sequantur reuelationem Paulo factam, & conferant cum legitimis verbi Dei miniſtris, atque doctoribus. Licetus autem ſe Doctorem, ſed illegitimum, doctorum Theologiæ & cenſorem & iudicem fecit; atque

ſex & optimos, & doctiſſimos Theologos infamat, quòd propter amicitiam hominis deſertores ſint catholicæ veritatis.

Accedit à Liceto publicè dictum eſſe, quòd contra me ſcripſerit, in vltionem eorum, quæ quidam, meus olim diſcipulus, oblocutus eſt contra Liceti opus, prætitulatum, De pietate Ariſtotelis. Non ergo ſpiritu Dei, & dilectionis, ſed ſpiritu odij, & vltionis ſcripſit, & ſcripſit de ſacris ſcripturis, atque dogmatibus ſine ſpiritu veritatis, & charitatis.

Hac in re tria dico, & quidem veriſſima. Primum, me de illis obtrectarionibus, aut libro in Licetum nihil prorſus præſciuiſſe. Sed neque poſt opus editum, & mihi ab authore oblatum. Dum enim legerem, nonnulla diſplicebant; cum autem veni ad illam partem, in qua me fingit carceribus mancipatum, librum abieci, nec legi amplius.

Secundo. Librum de pietate Ariſt. præter pauculas paginas, nondum legi, alijs diſtentus negotijs. Si legero, conſiderabo, quid facto opus ſit. Scio enim multa contra Scotum, & Scotiſtas in eo libro contineri, ex pauculis lectis.

Tertiò. Me nimiùm laudauiſſe Licetum, parcius in veſtigationibus, copioſius in Defenſione, vt pag.380. & pag.478. & alibi. Reddidit pro perca ſcorpium. Sic Deus me ſæpè errantem, per ea puniri voluit, per quæ peccaueram. Tot.n.tamque atrocibus conuitijs, impoſturis, calumnijs contra me agit, incipiendo à cap.2. ad finem epiſtolæ vltimum, in quo maximè effudit ſtomachum contra me, vt deprecer illi à Deo, atque mihi miſericordiam.

Poſtremò reuocat me ad catholicam veritatem. At impoſſibile eſt, vt ad eam, à qua nunquam receſſi, reuertar. Reuocat me ad Scotum. At non ſcio quænam in propoſita controuerſia ſint Scoti argumenta contra me; ſed neque Licetus ſcit. Nam ſi ſciuiſſet, vt alia, quæ vel falsò ponit, ſic & iſta creberrimè reculcaſſet. Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis, illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.

L A V S   D E O.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Sub pedibus S.R.E.

LIBER SEXTVS.

REFVTATIO

Propoſitio Maſtrij.

1. AVTHORITAS ex Prou. 8. *Dominus poſſedit me in initio viarũ ſuarum,* ſiue vt 70. legunt: *Dominus creauit me:* non debet intelligi de ſapientia genita, ſiue de Verbo. car. 647. col. 2.

Maſtrius in to. poſteriore Metaph. tria dicta circa iſtam authoritatem ponit, vt ineluctabiliter oſtendat eam non eſſe de Verbo.

Primum Dictum. Patres Niceni negabant conſtantiſſimè intelligendam eſſe de Filio, vel ſapientia genita, vt patet in diſputatione cum Philoſopho, qui contendebat, vt Ferchius, eam eſſe de ſapientia genita. Ita Maſtrius ad paginam 647. col. 2. & pag. 648. col. 1.

Secundum Dictum. Patres explicabant illud de ſapientia rationali creata, ideſt, de natura tàm angelica, quàm humana, quia prioritate intentionis, & dignitatis ab æterno eſt natura angelica, & humana. Hæc Maſtrius pag. 647. col. 2. verſus finem. Et repetit vtrunque dictum pag. 651. col. 1. Quòd ſic explicuerunt Patres Niceni, ne anſam Ario præberent fundandi ſuum errorem in ſcriptura.

Tertium Dictum. Explicatio citatæ authoritatis de Filio eſt Ariana, quia & Ariani vtebantur iſto loco ſcripturæ. Nec poteſt Filius ad intra dici creatus abſque manifeſto Arianiſmi periculo.

Maſtrius cart. 648. col. 2. & cart. 642. verſus finem, & ſæpius.

Refutationis Caput I.

2. S. Tho. in 1. p. q. 61. art. 2. in argumento pro parte vera ſcribit. *Sed contra eſt, quod dicitur in Prou. 8. ex perſona ſapientiæ genitæ, Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio. Sed angeli ſunt facti à Deo, vt oſtenſum eſt. Ergo angeli aliquando non fuerũt.* In qua S. Thomæ doctrina, primò adeſt affirmatiua, quòd Prou. 8. authoritas, *Dominus poſſedit me,* intelligitur de ſapiẽtia genita, & non facta. Secũdò. Adeſt negatiua, quòd nõ intelligitur de natura angelica, quę eſt facta, & non æterna. Si ergo dicta Maſtrij ſunt vera, hæc B. Thomæ doctrina eſt dãnata in cõcilio Niceno primo, quia Thomas affirmat, quod Patres Niceni cõſtantiſsimè negarũt, & negat, quod illi affirmarũt. Quare in duobus eſt damnatus, eiuſque explicatio ſentẽtiæ, *Dominus poſſedit me* eſt Ariana, & ſi lectio 70. interpretum accipiatur, eſt in manifeſtiſsimo Arianiſmi periculo. Cum D. Thoma tamẽ eſt Vaſquez in 1. p. diſput. 224. cap. 1. Et Gregorius de Valentia to. 1. col. 962. & ſine dubita-

 tione

S.Thomas aliam explicationem negat, non negat explicationem à Patribus Nicenis factam. Immò vt infra referam, & in 4. cont. gentes cap.8. Et in 1.p.q.41.art.3. exponens, quo pacto diuina generatio dicatur * creatio, & Filius diuinus vocetur genitus, & creatus: inter tres expoſitiones, primo loco ponit iſtam Patrum Nicenorum de ſcientia indita creaturis, ſecundo loco de ſapientia diuina in humanitate, tertio de ſapientia diuina in diuinitate.

Quo ad tertium dictum Maſtrij. Applicatio, & explicatio ſententiæ prou.8. *Dominus poſſedit*, vel *creauit*, vel *condidit me*, ad perſonam Filij ad intra, vel ad extra, eſt Catholica, & Apoſtolica: cępit enim ab Apoſtolis, & per manus tradita à Patribus conſeruata eſt vſque ad nos, vt mox probabo. Quòd ſi hæretici abutantur ſcriptura, non propter hoc ſcriptura deſinit eſſe diuina, neque explicatio Patrum deſinit eſſe Paterna, ſed hæreticorum peruerſio diabolica eſt. Tertium Dictum Maſtrij.

5\. Quam autem ſit vtilis Ferchij explicatio conſtat ex eo, quia fundamentum præcipuum, quo Arius cum ſuis infeſtabat catholicos, erat iſta prouerb. authoritas, ex qua arguebant. Creatio eſt factio ex nihilo: ſapientia Dei, ideſt Filius eſt creatus, ergo eſt factus ex nihilo, ſiue vt illi loquebantur, *ex non extantibus*, & erat aliquando, quando Filius non erat. At fundamentum Ferchij negat & genus, & differentiam creationis, nam productio eſt communior, & abſtrahit à factione, factioque non eſt genus creationis. *Ex nihilo* non eſt differentia creationis, ſed *ex aliquo*. Atque hoc totum probat Ferchius per ſcripturas expreſsè, & explicitè ponentes creationem ex aliquo præſuppoſito principio: vt Sap.11. *Creauit orbem terrarum de materia*. Eccli.33. *Omnes homines de ſolo, & ex terra, vnde creatus eſt Adam*. Eccli.17. *Deus creauit de terra hominem*. Et, *Creauit ex ipſo adiutorium ſimile ſibi*. Et Geneſ.1.atque 5. *Maſculum, & fœminam creauit eos*; ſed Geneſ.2. de limo, & coſta. Reliquæ authoritates ſuo loco. Conſequenter Ferchius negat Arianis, quòd Filius ſit *factus*, quòd ſit *ex nihilo*, quòd ſit *creatus*, vel *creatura* ad ſenſum Arianorum. In quo ſenſu ſi quis dixerit, Filium Dei eſſe *creatum, creaturam, factum, ex nihilo*, aliquando non fuiſſe, anathematizat cum Sancta Eccleſia catholica, & cum ea Ferchius Qui expreſsè docet, Filium eſſe productum non ex nihilo, ſed ex ſubſtantia Patris præſuppoſita ordine originis, vel naturæ, vel rationis, & interna Filio producto; in quo ſenſu catholicorum dicitur Filius creatus, & non in ſenſu Ariano. Legatur lib.1.defenſionis num.28. & 2.defenſ. num.97. quibus locis primo poſita eſt declaratio, quòd creatio accipitur pro productione ex aliquo, quàm ſic diceretur, Filius creatus. Idque factum eſt, vt nemo poſſet Ferchij, ideſt, meum ſenſum inuertere, niſi Maſtrius, truncando declarationem, & nudam propoſitionem afferendo illam, Verbum eſt creatum. At cum S.Thomas 1.p. q.41.art.3. in fine dicat, generationem Filij dici * creationem, & Filium nuncupari creatum: ſi ſumas propoſitionem hanc ſolam, ſine explicatione Catholica appo-

verò Athenagoræ hæc erat. Deus extitit mens æterna, ergo habuit in ipſo rationem,& verbum. Sed tamen non factum, quia Dominus creauit ipſum, vt principium viarum, ideſt, operationum ſuarum,& operum eius.

S. Iuſtinus de veritate Chriſtianæ religionis to.2. cart.117. ait. *Teſtimonium autem mihi dicet verbum ſapientiæ, quòd ipſum Deus iſte eſt à Patre huius vniuerſitatis genitus, qui verbum videlicet, & ſapientia, & virtus, & gloria generantis conſtat; & per Salomonem ita inquit. Cum annuntiauero vobis ea, quæ quotidie fiunt, quæ à ſæculo facta ſunt, memorans recenſebo. Dominus creauit me ab initio viarum ſuarum ad opera ſua, &c.* Applicat ergo Iuſtinus ad probandum, quòd ipſum Verbum ſit Deus. S. Iuſtinus.

Idem S.Iuſtinus de veritate Chriſtianæ religionis to.2.car.258. *Atque in ſapientia dictum eſt. Si annuntiauero vobis ea, quæ quotidie fiunt, memoranda, & recenſenda erunt, quæ à ſæculo facta ſunt. Dominus creauit me principium viarum ſuarum ad opera eius; ante ſæculum fundauit me, in principio, antequam terram faceret, & antequam abyſſos crearet, & priuſquam prodirent fontes aquarum, priuſquam montes conſiderent, ante colles omnes generat me. Iſta cum dixiſſem, induxi. Intelligitis, ò auditores, ſiquidem animum aduertitis, verbum declarare, tùm à Patre editum eſſe germen hoc ante creaturas vniuerſas, tùm germen ipſum numero aliud eſſe à generante. Id vnuſquiſque confitebitur. Atque aſſentientibus cunctis, &c.* explicat, *Creauit me* in paſſiuo, germen editum eſſe, & ex hoc concludit diſtinctionem germinis à generante, hoc eſt Filij à Patre, quæ editio non eſt, niſi generatio: ex qua & diſtinctio eſt Filij à Patre.

S.Cyprianus lib.2.ad Quirinum contra Iudæos cap.1.cart.319.col.2. *Chriſtum*, inquit, *primogenitum eſſe, & ipſum eſſe ſapientiam Dei, per quem omnia facta ſint, apud Salomonem in paramijs: Dominus condidit me initium viarum ſuarum in opera ſua, ante ſæculum fundauit me; in principio antequam terram faceret, &c.* Affert ſacrum textum ex prou. ad probandum, quòd Chriſtus eſt primogenitus Dei, eſt ſapientia Dei, per quem Chriſtum omnia facta ſint; quare ad probandum de generatione æterna,& deitate, atque omnipotentia effectrice omnium. S.Cyprianus.

8. Dionyſius Epiſcopus Romanus, referente S.Athanaſio de decretis Nicenæ Synodi in 1.to. Athanaſij ex editione Pariſienſi anno 1627. ad pag.276. *Cognoſcentes quæ abſurditates naſcantur ex eo, ſi Filius opus aliquod, & factitium quiddam nominetur, quas minimè videntur animaduertere, qui hac opinione ducuntur: ac propterea certo quodam modo à veritate aberrant, qui aliter accipiunt has voces: Dominus creauit me in initio viarum ſuarum, quàm ſacræ, & propheticæ ſcripturæ intelligant. Non enim ſimplex eſt, & vna ſignificatio, vt ſcitis huius verbi ἔκτισε. Hic enim ἔκτισε intelligendum non pro fecit, ſed præfecit operibus ſuis; ſed tamen per Filium conficiendis. Neutiquam enim illud ἔκτισε ita accipias,* Dionyſius Papa Côcil. Romanum.

tanquam

tanquam ſi dixiſſet, fecit me. *Differunt enim ſacere, & κτίσαι. Hinc illud. Nonne ipſe hic Pater tuus, poſſedit te, & fecit te, & creauit te?*

In qua ſummi Pontificis authoritate tria obſeruanda ſunt. Primum, quòd facere diſtinguitur ab ipſo create: vt S. Auguſtinus quoque dixit aſſignando propria ſignificata iſtarum vocum. Secundum, quòd Verbum non dicitur factum, vel factitium, ſed tamen dicitur creatum, vt verbum ἔκτισε ſignificat *creauit*, quia præfectus eſt operibus Dei faciendis, ſicut quando magiſtratus creantur, operibus reipubl. præficiuntur. Tertium, quòd ſi à verbo *creauit* auferas verbum *fecit*, iam Pontifex concedit Verbum *creauit* de Filio Dei.

Lactantius Firmianus. 9. Lactantius Firmianus lib. 4. cap. 6. *Videlicet & ipſe eſt Dei Filius, qui per Salomonem ſapientiſſimum regem diuino ſpiritu plenum loquutus eſt, ea ſubiecimus. Deus condidit me in initio viarum ſuarum in opera ſua ante ſæcula.* De Verbo, vt Verbo præciſè explicat.

S. Athanaſius. S. Athanaſius, etſi ſæpè de Chriſti perſona ſecundum humanitatem exponat prou. cap. 8. in ſerm. 3. contra Arianos col. 415. ſecundum diuinitatem quoque exponit. Quemadmodum etiam Gregorius de Valentia notat to. 1. de diuinitate Chriſti §. 21. col. 581. prouerbia explicanda eſſe docet Athanaſius pro ratione perſonarum. Inde infert. *Si igitur de angelo, aut alio quopiam creato, quales nos ſumus, ſermo inſtituitur, concedamus hoc verbum (creauit) ſimpliciter dictum eſſe. Sin autem de vera ſapientia Dei ſit mentio, in qua quicquid rerum eſt, conditum eſt, atque illa ipſa eſt, quæ iſta de ſeipſa loquitur: quid intelligendum dum illa de ſe hoc modò loquitur, quàm ſi ſeipſam genitam eſſe dixiſſet?* Hic ipſum vocabulum *creauit* exponitur per verbum *generauit*, & rectè quidem, vt poſtea dicam.

S. Epiphanius. S. Epiphanius hæreſ. 69. quæ eſt Arianorum col. 625. aduertit in Hebræo eſſe vocem *Canani*, loco vocis *creauit* in prou. 8. *Canani, inquit, quod poteſt dici, tùm inſtar pulli excluſit me, tùm poſſedit me. Verùm exactiſſimè dicitur, inſtar pulli excluſit me. Quis autem pullus non ex natura genitoris gignitur?* Et infra Libentius exponens de Filio ſecundum humanitatem, regreditur ad exponendum ſecundum diuinitatem. *Quo verò interpretemur Adonai Canani, hoc eſt Dominus inſtar pulli excludit me: omne, quod generat, ſimile quid generat: homo hominem gignit, & Deus Deum. Et homo quidem gignit ſecundum carnem, Deus verò ſecundum ſpiritum.*

Salazar. 10. Salazar. in cap. 8. prou. verſ. 22. de ſapientia increata eſſentiali, & de ſapientia perſonali exponit, & 3. de ſapientia incarnata: omnes expoſitiones has confirmat ex Patribus. De vi, ac poteſtate huius verbi creauit, multa Ianſen. in hunc locum, vbi pleraque alia loca commemorat, quibus ſapientia creata dicitur in ſcriptura. Eccli. 24. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum.* Eccli. 1. *Prior omnium creata eſt ſapientia*, & rurſus. *Ipſe creauit eam in Spiritu ſancto. Quibus locis cum ſapientia creata, condita, vel formata dicitur, id ſolùm intelligere debemus, quod fuerit, vel* ſub-

ubſtiterit: non autem quòd propriè ex nihilo aliquando exordium acceperit. Hæc ad num.238. ſed ad 241. de Verbo exponit.

Concilium Orientale catholicum citatur à S.Hilario in lib.de Synodis. S.Hilarius ipſe ſimiliter exponit cum concilio de Filio Dei, vt dicam cum Bellarmino. Concil. Orient. S. Hilar.

11. Bellarminus in to.1. lib.1. de Chriſto cap.18. duas ſacras authoritates obijcit ſibi ad probandum, quòd Chriſtus eſt creatura. Prima eſt ex prou.8. cum 70. *Dominus creauit me*. Secunda ex Eccli.24. *Tunc dixit mihi creator omnium,& qui creauit me,&c.* in col.306. Bellarm.quinque Patrum reſponſiones affert,quæ omnes accipiunt locum ex prou.8. de perſona Chriſti. Bellarm.

Prima. Eſt Dionyſij Romani ſuperius allata ad num.8.

Secunda. Eſt Athanaſij ſerm.3. contra Arianos,& Cyrilli lib.5. theſauri c.6. qui dicunt, ſcripturam promiſcuè vſurpare vocabula faciendi, creandi, gignendi. Nam Deuter.32. dicitur: *Deum, qui te genuit,dereliquiſti. Et tamen legimus Geneſ.1.& 2. fecit Deus hominem. Itaque non ex ſolo verbo creauit, aut genuit, ſed ex adiunctis ſenſum ſcripturæ elicere oportere. Et quia hic dicitur Filius creatus, antequam Deus quicquam faceret: apparet creatum dictum eſſe pro genitum.*

Tertia. Eſt Athanaſij ibidem,& Nazianzeni orat.4. de Theologia, Cyrilli lib.5. theſauri cap.4.5.6.7. Et Auguſtini lib.1. de Trinit. cap.12. qui monent in eodem capite, ſcriptum eſſe: Ante omnes colles ego parturiebar, & proinde hic explicari vtranque naturam Chriſti,naturam diuinam, cum dicitur, parturiebar; humanam, cum dicitur, creauit me.

Quarta. Eſt Baſilij lib.2. in Eunomium, Epiphanij hæreſ.69. & Hieronymi in epiſtola ad Cyprianum, qui monent recurrendum eſſe ad fontem hebraicum. Siquidem in Hebræo non eſt creauit, quod ipſi dicunt ברא ſed poſſedit קנה quo *verbo ſolet explicari vera generatio,vt Geneſ.4. Poſſedi hominem per Deum, dixit Eua.*

Quinta. Eſt pulcherrima (inquit Bellarminus) & ſeruit etiam ſequenti teſtimonio Eccl.24. *vbi non poteſt negari, quin ſcriptum ſit, creauit. Eſt autem hæc explicatio concilij cuiuſdam catholici orientalis can.5. apud Hilarium lib. de Synodis paulò poſt principium, & eandem ſequitur B.Thomas lib.4. contra gentes cap.8.*

Dicimus igitur, productionem Filij Dei nunc vocari generationem, nunc creationem: quia nullo vocabulo perfectè explicari poteſt. Nam generatio ſignificat productionem in eadem ſubſtantia, ſed cum mutatione quadam generantis, Creatio ſignificat productionem alterius ſubſtantiæ, ſed ſine mutatione creantis. Porrò Filius Dei ita producitur, vt recipiat ſubſtantiam gignentis, & ea ratione dici poteſt generari: ſed recipit ſine mutatione, aut alteratione producentis, & ea ratione dici poteſt creari. Vtrunque igitur dicitur, vt ex vtroque ſumatur, quod eſt perfectionis, & quod eſt imperfectionis omittatur. Hæc Bellarminus.

12. Nec ſolùm in 4.contra gentes cap.8. hanc doctrinam habet S.Thomas,

Papam in hæreſi fuiſſe, quamuis non eſſent hæretici,dum Verbum diuinum creari dixere?

Præterea. Neque alijs Patribus exponentibus de Verbo, qua homo eſt, licuit poſt concilium explicare ſcripturam *Dominus creauit me,* de perſona Chriſti; nam iuxta Maſtrium concilium explicauit eſſe intelligendum de ſubſtantia angelica. Aut igitur omnes Patres damnabimus: aut Maſtrium, qui falsò citat concilium, quaſi negauerit Patrum traditiones; quaſi explicauerit prou.8. intelligendum de ſubſtantia angelica. Itaque vt concludam applicatio,& explicatio hæc facta ab Apoſtolis, & Patribus,eſt Catholica, & Apoſtolica, tùm ante, tùm poſt concilium à Patribus tradita.

14. At obijcit Maſtrius. Ariani vſi ſunt hac ſententia prou.8. *Dominus creauit me* ad oſtendendũ,quòd Filius Dei,ſiue ſecũda perſona Sanctiſſimæ Trinitatis ſit creatura ex nihilo facta,& non conſubſtantialis Patri.

Reſpondetur cum S.Auguſtino 83.q. q.69. *Non poteſt oriri error palliatus nomine Chriſtiano,niſi de ſcripturis non intellectis.* Igitur omnes hæretici aburuntur ſacra Scriptura: nec tamen propter hoc ſcriptura eſt hæreticorum, ſed Eccleſiæ catholicæ. Ita quoque applicatio,& explicatio oraculi *Dominus creauit me,* ad ſecundam perſonam Triadis diuinæ, ſecundum productionem æternam, eſt Catholica, non Ariana, vel hæretica: quamuis hæretici Ariani abuſi ſunt tali applicatione. Sathanas transfigurat ſe in angelum lucis: Lux interim illa non eſt Sathanæ, ſed angeli ſancti eſt. Lupi veniunt ſub veſte ouium, nec tamen, inquit Auguſtinus lib.2.de ſerm.Domini in monte,oues debent pelles ſuas deponere, ſi aliquando eis lupi ſe contegant. Itidem & applicatio & explicatio Patrum Eccleſiæ non debet à filijs abijci, ſi Ariani illam arripiant: immo debent eam defendere, ne in malum abripiatur. Experiamur ergo,an Maſtrius,an Ferchius melius reſiſtant Arianico argumẽto. S. Auguſt.

15. Exeat,aliquis infeſtus Arianus,& arguat. Omne creatum eſt factum ex nihilo,atque ideò non conſubſtantiale Patri. Sed ſapientia genita,ſeù Verbum diuinum eſt creatum, ſecundum eſſe Verbi ante omnem creaturam aliam. Ergo Verbum diuinum eſt factum ex nihilo, nec eſt conſubſtantiale Patri. Minorem probabo,quia prou.8. ſapientia genita de ſe dicit. *Dominus creauit me,* qui textus à citatis Ignatio, Athenagora, Iuſtino, Cypriano, Dionyſio vſque ad Thomam,& Bellarminum explicatus eſt de Verbo ſecundum diuinam productionem.

Maſtrius ſecundum ſuam doctrinam negabit Patres iſtos eſſe recipiendos: eo quod in concilij Niceni diſputatione decretum eſt, textum hunc intelligendum eſſe de ſubſtantia angelica,& humana: negatumque eſt conſtantiſsimè de Verbo diuino intelligi.

At hæreticus triumphabit, dicetque ſe eſse legitimum filium,& hæredem Sanctorum Patrum, qui Patrum doctrinam, vt ſacram hæreditatem poſsideat. Maſtrium eſse ſpurium, qui Patrum catholicorum doctrinam hæreditariam ore impuro reijciat,& abneget. Quò ſe vertet

Maſtrius! Aut enim neganda eſt minor, negandi ſunt Patres, negandum eſt concilium orientale ab Hilario citatum: aut neganda eſt maior, pro qua fortiſſimè pugnat Maſtrius.

Ego Ferchius cōceſſa minore,& probatione,ſtatim negabo maiorem, propterea quod creatio in ſacris libris, aut nunquam, aut rarò ſignificat productionem ex nihilo. Sed frequentiſſimè, atque adeò ex inſtitutione Dei,& vſu per canonicos ſcriptores ſignificat productionem ex aliquo principio præſuppoſito,& interno rei productæ. Acceptoque ſacro codice oſtendam explicitè, creationem eſſe ex aliquo, vt Sap.11. *Creauit orbem terrarum de materia.* Eccli.33. *Ex terra, vnde creatus eſt Adam.* Geneſ.1. *Maſculum,& fœminam creauit eos*, nempe ex Geneſ.2. de limo,& de coſta. Alia quoque producam, in quibus nō explicitè, ſed tamen euidentiſſimè ponitur principium, ex quo eſt creatio. Vt hebræor.9. *Opera manufacta ſunt opera creationis.* Sed vt patet Exod.35. abſque dubio ex materia, vt figulus vaſa facit ex maſſa luti. Rom.9. & Eccli.39. ita de alijs artificibus. In pſal.101. Populus, qui creabitur, laudabit Dominum. Ex quo loco S.Athanaſius ſerm.3.cōtra Arian.probat, quòd creatio non ſemper eſt ex nihilo. Negata maiore, dicam Verbum creatum, ideſt, productum eſſe ab æterno, non eſſe factum, quia creatum eſt, vt principium operationum,& operum Dei, omniaque componit cum Deo, ergo non eſt Inter Opera Facta, ſed factor. Non eſt ex nihilo, quia eſt ex eadem ſubſtantia factoris Dei, vt eſt factor omnium operum cum Deo Patre. Itaque euerſum eſt ex diuina ſcriptura machinamentum Arij.

Sap.11. Eccl.33. Gen.1.& 2.

16. Obijcit Maſtrius. Nunquam Patres concilij contra Arium dixere, quòd creari eſt produci ex aliquo principio præſuppoſito,& interno ipſi producto. Ergo Filius, quamuis ſit creatus, non tamen eſt ortus ex nihilo. Nunquam vſi ſunt hoc argumento, quod tamen erat obuium ad conuincendum Arium. Nec vnquam contra ipſum vrſerunt, quòd impropriè acciperet creationis vocabulum. Signum ergo eſt, quòd quantum ad ſignificatum creationis cum Ario conueniebant.

Reſpondeo. Argumentum eſt ab authoritate negatiuè, ideò eſt fallacia conſequentis. Triennium,& eò amplius diſputatum eſt contra hæreticos,& philoſophos in concilio Niceno. Vnica diſputatio cum Phedone philoſopho eſt ſcripta: reliquæ deſiderantur. Quo igitur fundamento ſcire poſſumus, quæ à Patribus dicta, vel negata ſunt? Poſt concilium tamen Patres ſequentes dixere,& Athanaſius in primis, qui concilio interfuit, in ſerm.3.contra Arianos notauit, quòd creatio in ſcriptura ſæpè ſignificat productionem ex aliquo, non ſemper ex nihilo.

S. Athanaſ.

S.Cyrillus 5.Theſau.cap.4.negat maiorem Arij eſſe vniuerſalem, quia in ſcripturis creatio non ſemper ſignificat productionem ex nihilo. Atque ideò diſtinguit, quòd creatur dicitur vel de eo, quod non eſt,& ſignificat originem ex nihilo, vel de eo, quod eſt,& ſignificat profectum in melius. Pro ſignificato creationis priore nullam ſcripturam adducit: pro poſteriore ſignificato quatuor adducit ſcripturas.

S.Cyril.

S. Hie-

S. Hieronymus in cap.2. ad Epheſ. differentiam ponit inter id, quod poſſidetur, & quod creatur. Atque deſcribit id, quod creatur disiunctiuè ſic. *Creatur, inquit, ille, qui non erat, antequam fieret: aut certè de eo, quod erat, transfertur in aliud.* Pro ſecunda parte diſiunctiuæ tres profert ſcripturas; pro parte prima nullam, qui, ſi aliquam habuiſſet, vt erat in citando ardentiſſimus, illam ſcripturam citare non deſtitiſſet. Hieron.

S. Fulgentius in lib. ad obiectiones Arianorum, obiectione 3. ſimiliter diſtinguit, & affert ſcripturas pro creatione ex aliquo, ſed pro creatione ex nihilo nullam. Fulgent.

Alphonſus de Caſtro aduerſus hæreſ. lib.2. titulo *Anima.* errore 5. tradit, quòd creare in ſacris litteris non ſemper ſumitur pro eo, quod eſt producere ex nihilo, & ad hoc ſcripturas affert. Sed quòd creare ſit producere, ex nihilo, ex ſcriptura non probat. Quod argumento eſt, me verè in lib.2. defenſ. car.254. dixiſſe, quòd *ſemper*, vel *frequenter* creare ſignificat productionem ex aliquo in ſcriptura, hoc eſt in doctrina Chriſti. Nam quòd ſignificetur producere ex nihilo, ego non inueni, ſed neque Maſtrius, qui concedit nunquam expreſsè inueniri creationem ex nihilo expreſſam. Quod mihi ſatis eſt, vt doceam, quòd præter definitionem creationis ſcholaſticam, ſit in doctrina Chriſti cum S. Auguſtino, & ſcriptoribus canonicis danda definitio creationis ex aliquo. Quia verò forma ſanorum verborum, ex B. Paulo habenda eſt, formalitas huius ſacri vocabuli, vt in ſcriptoribus canonicis, immò in Dei Verbis eſt, ſana eſt, & vera eſt Pſal.11. *Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, &c.* Caſtren. Paul.

17. Secunda Pars reſponſionis Maſtrij, quòd alij Patres expoſuerint de ſapientia incarnata, quæ in mente diuina erat ab æterno, non refutabitur à me, ſed ab Eminentiſsimo Bellarmino in lib.2. de Chriſto cap.6. col. 321. qui probat, quòd Filius accipit eſſe à Patre; ait autem *Ac Filium quidem habere ipſum ſuum eſſe à Patre, probatur primò ex illo prou.8. Dominus poſſedit,* ideſt, *acquiſiuit per generationem; id enim ſignificat vox hebræa Canani.* Cont. 2. partem. Bellarm.

Et ne dicant, intelligi hoc de Chriſto homine in prædeſtinatione, ſeu præuiſione generato ante colles: ibidem dicitur. Cum eo eram cuncta componens. Nec enim is, qui ſolùm habebat eſſe in prædeſtinatione, poterat cum Patre mundum creare. Quod enim habet eſſe ſolùm in prædeſtinatione, non eſt, ſed futurum eſt; quod autem non eſt, operari non poteſt. Igitur Filius Dei, qui cum Patre cuncta compoſuit, in principio mundi iam erat, & tamen per generationem à Patre acceperat eſſe.

Diſputet cum Bellarmino Maſtrius, an id, quod in mente diuina tantùm eſt, vt humanitas ab æterno, ſit componens omnia: ſi id, quod non eſt, non poteſt operari, iuxta maximam. Agere præſupponit eſſe.

Inſuper Ambroſius à Pennaloſa Ieſuita Viennæ impreſsit librum de Chriſto, & Spiritus ſancti diuinitate contra Eniedinum Photinainum,

& Arianum: Contendit hæreticus, vti nunc Maſtrius in cap.8.prou.non loqui ſapientiam genitam, increatamque, ſed ſapientiam creatam.

Pennaloſa diſp.7.cap.5.& diſput.8.cap.1. de ſola ſapientia increata intelligit ſapientiam ex prou.8. Illa enim perſona, quæ ante ſæcula extitit, & ſimul cum Deo Patre omnia compoſuit, eſt Deus æternus. Sapientia, de qua Salomon, eſt huiuſmodi: ergo eſt Deus æternus. Sanè addo & diſtinctus à Patre, à quo concipitur, & parturitur: vt ſit realiter conceptum, quod eſt realiter faciens omnia.

18. Antequam imponam finem relationibus Patrum de perſona Chriſti ſecundum diuinitatem exponentium: citabo S. Irenæum lib.4. aduerſus hæreſes cap.37. vbi probās, quòd Verbum, & Spiritus erant apud Deum ante omnem mundi conſtitutionem, probat per illud Salomonis. Dominus creauit me principium viarum ſuarum, &c. Qui locus ſi de Spiritu ſancto intelligatur ab Irenæo, vt mihi videtur: non poteſt intelligi, niſi quòd Spiritus ſanctus ſit creatus ſecundum diuinitatem, quia Spiritus ſanctus non eſt vnitus perſonaliter naturæ creatæ. Si verò de Verbo intelligatur, probat etiam ſecundum diuinitatem Verbum creatum aſtitiſſe Patri ante omnem mundi conſtitutionem. Hoc monui, alij dijudicent.

S. Irenæus.

CAPVT III.

Afferuntur Patres exponentes illud. Dominus creauit *de Filio ratione humanitatis aſſumptæ.*

Conc. Hiſpal.

19. CONcilium Hiſpalenſe act.13.to.3. conc il. car.57. col.2. *Prophetia, inquit, in prouerbijs in vna, eademque perſona ſic declarat vtranque naturam: diuinam, ſecundum illud, ante omnes colles genuit me; humanam ſecundum hoc, Dominus creauit me in initio viarum ſuarum.*

Athanaſ.

S. Athanaſius in epiſt. ad Serapionem, quòd Filius non ſit creatura. In epiſt. de decretis Nicenæ Synodi, in ſerm.3. contra Arianos intelligit dictum, *Dominus creauit* in perſona Saluatoris, dictum tamen ratione carnis aſſumptæ. Et ex ſerm.3. contra Arianos refero. *Dominus creauit me initium viarum ſuarum, quod idem dictum eſt, ac ſi ita loqueretur: Pater mihi corpus perfecit, & inter homines me creando conſtituit.* Neque inuenio ego, aut Bellarminus, aut Valentia, quòd Athanaſius negauerit hoc dictum eſſe de Filio, vel affirmauerit dictum eſſe de natura angelica. Fuerat autem Athanaſius in concilio Niceno: quare ſi vel negaſſent Patres intelligendum de Filio, vel affirmaſſent eſſe intelligendum de angelo, Athanaſius in primis pro ſynodi decreto ſtetiſſet. Non ſtetit in hac parte duplici à Maſtrio prætenſa, ergo neutram partem Patres Niceni determinarunt.

Inſi-

Iuſtinianus Imperator in edicto fidei, 2. to. concil. cart. 658. col. 1. ſcribit. *Sed & S. Baſilius in 4. lib. contra Eunomium interpretans hoc, quod eſt, Dominus creauit me, & ante omnes colles genuit me,* ita ſcribit. *Intelligendum hoc quidem,* quod dicit, *Genuit* de Deo *Filio: hoc autem,* quod dicit: *Creauit* de eo, qui *formam ſerui accepit.* Iuſtinian. Imp.

S. Gregorius Nazianzenus orat. 4. de Theologia fusè, ſed in ſumma ait. *Si infernam hanc generationem ſpectes* (ſapientia) *creata: ſin ad primam illam, & multò magis incomprehenſibilem conuertaris, genita dicatur.* Nazianz.

S. Gregorius Nyſſenus apud Scholiaſten Iuſtini to. 2. cart. 120. *Non ex diuinitate, & immortalitate eſt vox illa, creauit me: ſed ex eo, quod iuxta diſpenſationem acceptum eſt à creata noſtra natura.* Similia de fide ad Simplicium. Nyſſen.

20. S. Cyrillus Alexand. in dialogo de Trinit. cum Hermia lib. 4. car. 111. pag. 2. ex verſione Caniſij Coloniæ impreſſa. *Etenim,* inquit, *abſque dubio conditum ſe eſſe dixit Filius, idque non abſque cauſa dicit, hoc ſibi euenire; ad opera autem magis illius, & initium viarum illius, nempe Dei, ac Patris. Igitur creatura in his verbis non ſignificat illam, quæ ex nihilo abſit: ſed illam, quæ eſt exiſtentis, & ſubſiſtentis, in talibus quibuſdam faciendis productionem.* Et reliqua diffusè. Ecce poſt concilium Nicenum primum, S. Cyrillus abſque dubitatione affirmat. prou. 8. dictum eſſe de Filio. Itidem quoque aſſerit, creationem non ſignificare productionem ex nihilo, *ſed rei exiſtentis, & ſubſiſtentis productionem ad aliqua facienda.* Idem Sanctus 5. Theſau. cap. 4. expreſſius de humanitate intelligit. Cyril. De diuinitate intellige primam partem.

Et hæc quidem expoſitio videtur de Filio ſecūdum diuinitatem, quia non dicitur creatus abſolutè, & quoad ſuum eſſe ex non entibus; ſed creatus ad opera, ſicuti Dominus dicitur *factus* non abſolutè, ſed ad aliquid aliud, vt in Pſal. 93. *Factus eſt mihi Dominus in refugium.*

Deinde adijcit, quòd ſi aduerſarij nollent benè intelligere, de diuinitate ſcilicet: poterant de humanitate, & concludit. *Igitur ille genitus quidem eſt à Patre Deus, conditus autem ſecundum carnem.*

S. Ioannes Damaſc. 4. fidei cap. 19. idipſum breuiter indicat, docens modos, quibus quædam dicuntur de Chriſto: & ait. *Quædam autem licet ſint futura, ſic tamen vt præterita dicuntur.* Exempli gratia. Hic Deus noſter, *poſt hæc in terra viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Et illud. *Dominus creauit me initium viarum ſuarum ad opera ſua.* Damaſc.

S. Epiphanius in Ancorato car. 966. col. 1. Non audet negare hunc locum *Dominus creauit me* intelligendum de ſapientia Patris, id eſt, Verbo, ſed exponit de Verbo ſecundum humanitatem aſſumptam. Ratio, quare non audet, redditur ad cart. 624. in hæreſ. 69. *Etenim,* inquit, *ex Patribus noſtris, & orthodoxis retulerunt hanc dictionem ad aduentum in carnem. Et ſi oporteat ſic dicere de hoc Dominus creauit me, & fundauit me; & hæc eſt pia ratiocinatio, magni Patres ſic expoſue-* Epiphan.

runt,

runt. Profert autem Epiphanius varias expoſitiones, ſed hæc nobis eſt vſui.

21. S. Hieronymus in cap. 2. ad Epheſ. ſuper verſiculo. *Ipſius factura ſumus, creati in Chriſto Ieſu*, ait. *Et quia ſemel ad nomen creaturæ venimus, & ſapientia in prou. Salomonis dicit, ſe creatam initium viarum Dei, multique timore, ne Chriſtum creaturam dicere compellantur, totum Chriſti myſterium negant, vt dicant, non Chriſtum in hac ſapientia, ſed mundi ſapientiam ſignificari. Nos liberè proclamamus, non eſſe periculum, eum dicere creaturam, quem vermem, & hominem, & crucifixum, & maledictionem tota ſpei noſtræ fiducia profitemur; maximè cum ex duobus verſiculis, qui præcedunt, ipſa ſapientia promittat, ſe eſſe dicturam, quæ poſt ſæcula ſunt. Cum autem ſæcula Chriſtus fecerit, & quæ deinceps loquitur, ea ſint, quæ poſt ſæcula dicturam ſe eſſe promiſerit: ad incarnationis myſterium, non ad naturam Dei referenda ſunt.*

Hieron.

S. Auguſtinus to. 3. in lib. de fide, & ſymbolo cap. 4. *Sed quoniam Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, eadem ſapientia, quæ de Deo genita eſt, dignata eſt etiam in hominibus creari. Quò pertinet illud: Dominus creauit me in principio viarum ſuarum.* In eodem ſenſu loquitur 1. de Trinit. cap. 12. & in to. 10. ſerm. 58. de Verbis Domini. Sed quia Salazar in prou. capitulum 8. vocat libri huius authorem Pſeudo Auguſtinum: cuiuſcunque ſit authoris, ille ſic exponit. *Chriſtus Filius Dei, Deus, & homo. Secundum diuinitatem ante tempora ſine initio inenarrabiliter à Patre genitus eſt, ſicut Iſaias dicit. Generationem eius quis enarrabit? Nouiſſimo autem tempore ſecundum humanitatem creatus eſt.*

Auguſt.

S. Fulgentius in lib. ad obiectiones Arianorum ad 3. ex prou. 8. *Neque enim* (inquit) *ignorare debemus, ipſum in ſæculo ſecundum carnem creatum ex homine, qui ſine initio ſecundum diuinitatem creator eſt generatus ex Patre.*

Fulgent.

Poſtremò Gabriel Vaſquez in 3. p. diſp. 10. num. 10. alios quoque Patres affert, exponentes *Dominus creauit* de perſona Chriſti ratione humanitatis, vt Cęſarium, Chryſoſtomum, Idacium.

Vaſquez.

22. Ex hoc diſcurſu Patrum applicantium ſententiam *Dominus creauit me* ad perſonam Verbi, & explicantium partim ad intra ſecundum diuinitatem, partem ad extra ſecundum humanitatem duo conſtant.

Primum, quòd hæc applicatio, & explicatio eſt catholica ſecundum conſenſum Patrum. Et ex conſequenti corrigendus eſt liber Maſtrij, qui dicit, explicationem eſſe Arianam, & in manifeſto Arianiſmi periculo. Neque enim propter falſum hæreticorum ſenſum negandus eſt verus ſenſus Sanctorum Patrum ab Apoſtolis ad noſtra tempora ſeruatus.

Correctio Maſtrij.

Secundum, quòd vocabulum *creationis*, ſiue intelligatur de generatione æterna, ſiue de generatione temporali ſecundum carnem, ſignificat apud illos Patres productionem ex aliquo, non ſignificat productionem

ctionem ex nihilo. Nam in generatione æterna Filius Dei non eſt ex nihilo productus, ſed ex ſubſtantia Dei Patris inexiſtente in Filio, vnde & Filius eſt conſubſtantialis Patri. In generatione temporaria Filius Dei non eſt ex nihilo productus, ſed ex Sanctiſſimæ Virginis ſanguinibus contra Eutychen, & alios hæreticos, qui non concedunt Chriſtum factum ex muliere, quod eſt contra Apoſtolum ad Galat.4. Neque concedunt factum ex ſemine Dauid ſecundum carnem, contra Apoſtolum ad Rom.1. qua de re variæ hæreſes ſunt apud authorem de Eccleſiaſticis dogmatibus commemoratæ. S.Leo cõtra Eutych.

Maſtrius contra iterum reſurget, vt ad cart.647.col.2.& 648.col.1.oppoſitum euinci ex diſputatione, quam Patres habuerunt in concilio Niceno contra Philoſophum, qui putabat, Filium Dei eſſe creatum ex illa authoritate *Dominus creauit me*. Contendebat enim Philoſophus, ſicut & Ferchius, diuinam ſapientiam, quæ eſt Verbum Dei, ita de ſe loqui; negabant hoc conſtantiſſimè Patres.

Reſpondeo, me in lib.2. defenſ. num.97. citauiſſe definitionem concilij, quæ eſt de fide: nam in ſymbolo Niceno poſitum eſt, Filium Dei eſſe genitum de ſubſtantia Patris, non eſſe factum. Sed vocabulum *creati* non eſt in ſymbolo. Nec eſt in anathematiſmo, vbi damnatur dictum ab Ario, quòd Verbum eſt factum ex non ſubſtantibus, quia ipſi Ario illud creatum eſt, quod eſt factum ex nihilo. Verbum autem neque eſt factum, neque factibile, ſed eſt principium omnium factibilium. Neque eſt, aut poteſt eſſe ex nihilo, cum ſit neceſſe eſſe ab æterno, & in æternum. Maſtrius autem non ex definitione concilij, ſed ex diſputatione argumentatur, ſed inefficaciter.

23. Quando enim Scotiſtis obijcitur ex concilio Florentino, ſubſtantiam, & perſonam, ſiue relationem ſola ratione, & intelligentia diſtingui.

Reſpondent, & verè, hoc eſſe dictum in diſputatione, quæ non eſt de fide: ſtandum verò eſſe definitioni, quæ eſt de fide. Quamobrem ſi Euſebius Pamphili inter diſputandum negauiſſet, textum *Dominus condidit me* eſſe de perſona Filij accipiendum: non tenebimur ad eius doctrinam, ſed ad Apoſtolorum, & Patrum traditiones. Scotiſtæ.

At Euſebius expreſsè confitetur traditiones maiorum. Sed præter illas aliam ſolutionem afferre vtilius iudicauit ad reſiſtendum aduerſario, vt ſuperius attigi.

Denique ſi negauiſſet (quod non negauit) intelligendus eſſet, negauiſſe Verbum eſſe creatum in ſenſu Ariano, pro quo diſputabat Philoſophus: negaſſet enim Euſebius, Filium Dei eſse *factum ex nihilo*: quod vtique ſcriptura non dixit. Non negauiſset in ſenſu catholico, & intento à Spiritu ſancto, quem ſenſum per traditionem recepit, & retinet Eccleſia.

De Lectione 70. Interpretum.

24. IN cuius rei gratiam obſeruo, quòd Apoſtoli vtebantur paſſim verſione 70.Interpretum, eamque tradiderunt toti Eccleſiæ Orientali, & Occidentali. Vnde per quatuor ſęcula ferè legebat Eccleſia tota, *Dominus creauit me* de ſapientia,quæ eſt genita ante omnia. Poſthac in Eccleſia Latina inualuit S.Hieronymi translatio, quæ eſt *Dominus poſſedit me*: nam Eccleſia Orientalis etiam nunc verſione 70. vtitur. Immò S.Auguſtinus tom.2.epiſt.10. rogabat S.Hieronymum, ne nouam translationem faceret ex Hebræo,fore enim dicebat, vt Eccleſia Orientis diuideretur ab Eccleſia Occidentis. (S. Auguſt.)

Si igitur tota Eccleſia Catholica legit cum Apoſtolis applicautibis de perſona Chriſti, aut in illis Verbis *Dominus creauit me* continetur aliquis ſenſus verus, & Catholicus de ſapientia genita, aut non. Si non continetur, ergo Eccleſia per quadringentos ferè annos,propoſitionem falſam,& hæreticam propoſuit fidelibus in ſcriptura,tanquam propoſitionem veram, & catholicam, atque à Deo reuelatam. At conſequens iſtud eſt impoſſibile, cum Eccleſia ſit columna, & firmamentum veritatis: atque in veritate immobilis ſuſtineatur à Chriſto Ieſu,dicente, *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*. Si autem adeſt in dicto oraculo ſenſus verus,& catholicus de Filio Dei, ideſt,de ſapientia genita, in vero, & catholico ſenſu vtique licebit dicere, ſapientia genita eſt creata, ſicuti Eccleſia in Patribus ab Apoſtolis edocta dixit. Neque enim propter falſitatem hæreticam negare debemus veritatem catholicam; quanquam tacere liceat, ſicut olim tacebant illud de Deipara *Mater Chriſti*. Sicut & Euſebius Pamphili tacuit Philoſopho traditiones,nouam afferens expoſitionem dicti, *Dominus creauit me*. (Euſeb.)

25. Præterea. Si 70.Interpretes in cellis diſtinctis ſcribentes in omnibus verbis conuenerunt, vt plures tradunt: quis tanto miraculo non victus, audebit Deo repugnare dicenti: *Dominus creauit me?* Si autem vniti ſcripſerunt, quis tanta teſtium nube doctiſſimorum Hebraici, & Græcanici eloquij non ſuperetur? Dicam igitur vocabulum hebræum *Canani* ſignificare poſſedit,non quomodocunque,ſed per productionem: nam res producta poſſidetur,vt proprium peculium à producente,ſicuti S.Cyrillus Alexand. in declaratione noni anathematiſmi ait, Spiritum ſanctum eſſe poſſeſſum à Filio, vt proprium peculium, ſcilicet propter productionem, qua producitur à Filio. Idem etiam ſignificat altera verſio, quam tangit S. Epiphanius ſupra citatus. *Vt pullum excluſit me*. Vbi ſignificatur productio per Verbum *Canani*. Idcirco 72. viri vt peritiſſimi vtriuſque linguæ intellexere, quòd ſapientiam genitam Deus produxit. Quia verò vocabulum ἔκτισε *creauit* ab eis in ſacra tranſlatione ſæpius poſitum erat in hoc ſignificato, vt ſignificet *productionem ex aliquo*, ſicut patet conſulendo loca ſcripturarum: dixerunt (Auguſt. 2. doct. Chriſt. cap.15.) (S. Cyril.) (Epiphar.)

Domi

Dominus creauit ideſt, produxit ex aliquo ſapientiam: iam quærantur conditiones producti,& producentis. Productum eſt aliquid,vt ſit principium effectiuum operum Dei, & de facto componens, ſiue efficiens omnia opera facta à Deo. Ita productum eſt factor omnium: Ita producens Deus eſt factor omnium. Si itaque eadem eſt potentia effectiua,& efficiens in Deo producente,& in ſapientia producta, profectò ſapientia producta in ſe includet eandem eſſentiam producentis, cum includat eandem potentiam, ideſt, principium operum, & eandem operationem, hoc eſt compoſitionem operum. Quapropter *Dominus creauit me*: eſt ac ſi diceret, Dominus produxit me ex ſua eſſentia, vt ſim principium viarum ſuarum ad opera ſua. Qui ſenſus planè eſt verus,& catholicus de Filio Dei ſecundum æternam productionem in diuinitate. Senſus omninò diuerſus ab Ariana impietate,quam anathematizat catholica Eccleſia,& ego eiſdē verbis Eccleſiæ anathematizo. Sicut anathematizo illos,qui dixerint, Filium Dei non eſſe productū ex ſubſtātia Dei Patris,& inexiſtēte ipſi Filio,cū ſit Filius æternus ex Patre æterno:Filius Deus ex Patre Deo:Filius non factus,ſed factor omniū ex Patre non facto, ſed factore omnium: quibus vnà cum Spiritu ſancto conſubſtantiali eiſdem, ſit honor, & gloria in ſempiternum. Amen. Nota cōtra Licetum.

Secunda Propoſitio Maſtrij.

26. AVthoritas Eccli.24. *Ab initio,& ante ſecula creata ſum. Et, qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo:* non debet intelligi de ſapientia genita in diuinis, hoc eſt de Verbo diuino.

Maſtrius in to.poſteriore metaph.cart.659.col.2. reſpondet ad hanc authoritatem, & ad præcedentem ex prou.8. quòd his authoritatibus valde nititur Ferchius, vt probet, Filium Dei ad intra eſſe creatum,ac Ariani quoque vtebantur ad eiuſdem propoſitionis probationem: ſatis explicuerunt Patres concilij Niceni relati ſupra num.58.& 59. ac etiam alij citati num.64. Hæc Maſtrius.

CAPVT I.

Afferuntur Theologi exponentes Eccli.24. De Filio Dei.

27. REuera tamen in concilij Niceni diſputatione tractatum eſt de prou.8. *Dominus creauit me*: non de Eccli.24. *Ab initio, & ante ſecula creata ſum*. Ideò Patres Niceni nihil directè de hac authoritate dixere in loco relato à Maſtrio.

2. Conſtat, quòd *Maſtrius* & hanc applicationem,atque explicationem authoritatis propoſitæ Arianam aſſerit: & ſimiliter negat, intelligendam de Verbo diuino, ſeù de ſapientia genita; ſed dicet explicandam eſſe de ſubſtantia rationali, angelica, vel humana.

Quocirca Theologorum aliquot catholicorum authoritates afferam; ad oſtendendum, quòd catholici Eccleſiaſticum 24. applicant ad Verbum diuinum,& catholicè explicant. Ferchius autem explicauit in ſenſu contrario Arianis,tantum abeſt, vt cum Arianis ſentiat. Hoc ſecundum in ſequenti quæſito,vel propoſitione oſtendendum eſt. Nunc proferamus catholicos viros.

Bannes. Dominicus Bannes in 1.p.q.45.art.1. tres acceptiones huius vocabuli *Creatio* tradit. Primò ſumitur. "Generaliter pro cuiuſcunque rei productione, præſertim ſubſtantiali. Et ſic D.Auguſtinus lib. de fide, & ſymbolo cap.4. dicit, quòd creare apud Latinos idem eſt, quòd generare. In quo ſenſu Eccli.24. ſapientia diuina dicitur, ante ſæcula creata, ideſt genita."

Auerſa. Raphael Auerſa 1.p. q.45. ſect.1. "creationis nomen non vnicum ſignificatum habet,ſed interdum latiſſimè ſumitur pro quacunque productione complectente etiam proceſsionem perſonarum in Deo, quo pacto prou.8.& Eccli.24. diuina ſapientia dicitur creata."

Angles. Ioſephus Angles in floribus ſecundi ſentent.pag.2. ponit quatuor ſignificata vocabuli *creare;* & ait. "*Tertio modo idem eſt,quod producere. Atque ita Filius dicitur creari: Eccli.*24. *inquit enim ſapientia. Ab initio, & ante ſæcula creata ſum.*"

Becanus. Martinus Becanus de Incarnatione cart.10. hoc eſt cap.1.q.6.nu.13. de productione æterna Filij ſcribit. *Nam illa productio, cum non poſſit vno vocabulo perfectè explicari, varijs modis efferri ſolet, aliquando enim vocatur generatio, vt Iſa.*53.8. *Generationem eius quis enarrabit? Aliquando creatio,vt Eccl.*24. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum.*

Molina. 28. Ludouicus Molina 1.p.q.45.art.1. *Creatio in primis ſumitur latiſſimè pro productione cuiuſcunque rei, etiam ſi non ſit de nihilo, ſed de aliquo producatur: quo pacto ſapientia Verbum æternum Eccli.* 24. *de ſe dicit. Ab initio,& ante ſæcula creata ſum, ideſt genita, & producta. Vt enim Auguſtinus de fide, & ſymbolo cap.*4. *ait. Creare apud Latinos idem eſt interdum, quod generare, ſeu producere.* Quæ verba integrè tranſſcripſit (in nullo contradicens) Franciſcus Aretinus in Commentarijs Scholaſticis in tria capita Geneſis pag.2. col.2. Molina inſuper plura confert ibidem teſtimonia ſcripturarum, quibus probat, quòd creare ſit producere ex aliquo, deinde ſubdit.

Aretinus.

Secundò ſumitur *Creatio pro productione eius,quod proximè,vel remotè originem traxit ex nihilo. Atque huiuſmodi productio dicitur factio, reſque producta, facta, creaturaque nuncupatur. Hoc modo de Filio Dei dicitur in ſymbolo Athanaſij. Non factus, nec creatus, ſed genitus.* Et in ſymbolo Miſſæ. *Genitum non factum. In hoc ſenſu negatur aduerſus Arium, Filium Dei eſſe creaturam.*

Hæc doctrina Molinæ prorſus conuenit cum ijs,quæ dixi in lib.2. defenſ.num.97. & lib.1. num.28. quòd creatio, vt eſt productio de aliquo,&c. tribuitur Filio: vt eſt factio de nihilo,negatur,nam Arius hanc

crea-

creationem prætendebat eſſe in Filio. Verba Molinæ in hoc ſecundo ſignificato ad amuſſim tranſcripta ſunt ab Aretino in lib. citato pag. 3. col. 1. ad finem in quinto ſignificato ſecundum Aretinum.

Gregorius de Valentia to. 1. diſput. 2. q. 1. De proceſsione diuinarum perſonarum col. 581. 582. expoſitiones quatuor affert ex Patribus, declarando, quomodo ſapientia genita dicatur creata. Et ſubdit. *Sed valent in primis allatæ expoſitiones pro quadam alio loco, Eccl. 24. vbi ſine controuerſia legitur ſapientia dicere. Ab initio creata ſum. Et rurſus. Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Quanquam Euariſtus Pontifex in epiſt. 1. non qui creauit me, ſed qui genuit me,* legit. Va'ētia.

Petrus Capullius Epiſcopus Conuerſanus in 2. d. 1. q. 1. puncto 1. cart. 7. col. 1. "Creandi Verbum multis modis dicitur; primo ſumitur latè, vt ſignificat quamcunque rei productionem, ſiue effectionem. Sic accipitur Eccl. 24. cum ſapientia genita de ſe dicit. *Ab initio creata ſum.*" Petrus Capullius.

Bellarminus loco in præcedenti diſput. relatus lib. 1. de Chriſto cap. 18. apertè de Verbo ſecundum diuinam generationem exponit, illud dictum. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.*

29. S. Tho. 1. p q. 41. art. 3. in vltimo ad oppoſitum arguit. Eccli. 24. dicitur ex ore ſapientiæ genitæ. *Ego ex ore altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* Et poſtea ex ore eiuſdem ſapientiæ dicitur. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum, &c.* Ergo Filius non eſt genitus ex aliquo, ſed ex nihilo. S. Thom.

Reſpondet ad vltimum, trifariam intelligi poſſe ſcripturam citatam.

Primò. De ſapientia creaturis indita.

Secundò. De ſapientia æterna, ſed incarnata.

Tertiò. De ſapientia æterna præcisè, cuius productio, & generatio, & creatio dicatur, atque Filius æternus & genitus, & creatus, nempe vt ex his productionibus perfectiones ponantur in productione Filij, remoueantur imperfectiones, vt ſuperiore diſquiſitione dixi. Hanc S. Thomæ doctrinam omninò ſequitur Theodorus Bergomenſis Cappuccinus de Trinitatis myſterio car. 51. col. 1. Aſſeritque S. Thomas tùm loco citato, tùm 4. cont. gentes cap. 8. ita fuiſſe à S. Hilario hunc locum Eccli. 24. declaratum, cum concilio Orientali catholico, referente Hilario lib. de ſynodis. Ferrarienſis in 4. contra gentes B. Thomæ ſubſcribit. Theodor. Bergom. Ferrarien.

Magiſter ſent. Petrus Lombardus in 1. d. 2. de productione Filij ad intra textum Eccli. intelligit. *Ecce aptum de æterna generatione teſtimonium, quo ipſa ſapientia perhibet ſe ante mundum conceptam eſſe, & parturiri, id eſt, genitam, & apud Patrem æternaliter exiſtere. Ipſa etiam alibi ait. Ego ex ore Altiſſimi prodij primogenita ante omnem creaturam.* Petr. Lōbar.

30 S. Auguſtinus to. 6. de quinque hæreſibus cap. 15. col. 1. *Ego* inquit *ex ore altiſſimi prodij. Quis dicit? Verbum. Et Verbum hoc, quod eſt Ioannes dicit, Deus erat Verbum, Et Verbum ergo, & cuius erat Verbum* S. Auguſt.

non duo, ſed vnum ſunt. Igitur Auguſtinus Eccli.24. Verbo, vt Deo, applicat; & ibidem etiam Prou.8. Verbo applicat contra Arianos illud *cum pararet cælum, aderam illi.* Et poſt pauca. *Eram ego apud illum cuncta diſponens,* &c.

Cypriа-n. S.Cyprianus lib.2.ad Quirinum probat contra Iudæos, Chriſtum primogenitum eſſe, & ipſum eſſe ſapientiam Dei, per quem facta ſunt omnia. Affert duo loca. Primum ex prou.8. *Dominus condidit me initium viarum ſuarum, &c.* Secundum ex Eccleſiaſtico dicens. Item apud eundem in Eccleſiaſtico. *Ego ex ore altiſſimi prodiui ante omnem creaturam. Ego in cælis feci, vt orıretur lumen indeficient, &c.*

Maxim. S.Maximus Taurinen. homil.2. de Paſcha pag.219. col.1. *Ipſe eſt enim dies Filius, cui Pater dies diuinitatis ſuæ eructat arcanum. Ipſa, inquam, eſt dies, qui ait per Salomonem. Ego feci, vt oriretur in cælo lumen indeficient.* Igitur ſapientia primogenita in Eccli. eſt Filius Dei à Patre recipiens diuinitatem.

CAPVT IIII.

Qua ratione Sapientia genita, quæ eſt Verbum Dei, & Dei Filius, creata dicatur.

31. SÆpè nocet Lectori non rectè accipere terminos propoſitionum. Terminus eſt principium internum, & vltimum, quem reſoluitur propoſitio ex 1. Priorum cap.1. & ex conſequenti eſt primum principium internum, ex quo propoſitio componitur. Quocirca ſi paruus error in principio, in fine fit perquam maximus: paruus error admiſſus in acceptione terminorum propoſitionis reuelatæ, erit in fine error grauiſſimus, & pernicioſus.

Creare, creatio, & cętera coniugata, ſi accipiantur, vti Arius cum ſua ſecta volebat, quòd *creare ſit facere ex nihilo:* planè ex iſto loco Eccli. ſecundum Arium intellecto naſcitur hæreſis pernicioſiſſima, quòd Verbum æternum ſit factum, & factura Dei, ſit ex nihilo, & aliquando non fuerit: non ſit conſubſtantiale Patri, neque Deus. Naſciturque contradictio quædam ſatis perplexa. Si ſapientia eſt primogenita ante omnem creaturam. Quod eſt genitum, non eſt creatum: at hæc eadem ſapientia dicit ſe creatam: creata eſt igitur, & non creata. Eſt ante omnem creaturam, & eſt creatura.

Si autem accipiatur *creare,* & *creatio,* vt Eccli. author has voces intelligit, ſine dubio in iſto loco Eccli. continetur ſenſus catholicus, & verus. Cum enim Deus per ſcriptores canonicos veritates, propoſitioneſque ſacras reuelauerit: ſicut à Deo recipimus totam propoſitionem

tionem

tionem, ſic à Deo recipimus terminos propoſitionis. Quamobrem diligenter exquirendum eſt, in quo ſignificato Deus terminos reuelatos accepit. Si nanque ita terminos accipimus, ſicut Deus tradidit: ſenſum à Deo intentum obtinebimus. Sin aliter Deus terminos tradidit, aliter nos accipimus, incidemus in ſenſus valdè diuerſos à reuelata propoſitione. Senſus enim literalis ſcripturæ is, qui ex verbis immediatè colligitur, eſt ſenſus Spiritus ſancti: vti docet Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei cap. 3. Quoniam autem Scripturæ aliquando loquuntur propriè, aliquando figuratè: errorque ſit, figuratam locutionem accipere vt propriam, vel propriam, vt figuratam: S. Auguſtinus in 3. de doctrina Chriſtiana cap. 10. demonſtrat modum inueniendæ locutionis propriæ, aut figuratæ. *Et iſte, inquit, omninò modus eſt, vt quicquid in ſermone diuino, neque ad morum honeſtatem, neque ad fidei veritatem propriè referri poteſt, figuratum eſſe cognoſcas, &c.* Sed articulus de creatione ſpectat ad fidei veritatem, vt in primo articulo fidei: igitur propriè, non figuratè accipiatur in ſcripturis. Bellarm. S. Aug.

32. Quid igitur Eccleſiaſticus intelligit per vocem *creare*, facere ex nihilo, vt Arius vult? An producere ex aliquo, vel conſtituere ex aliquo ente, vti S. Auguſtinus in lib. 1. contra aduerſarium legis, & prophetarum cap. 23. & in lib. de moribus Manich. cap. 7. dum condere pro creare accipit? Legamus ipſum Eccleſiaſticum Eccl. 33. *Et omnes homines de ſolo, & ex terra, vnde creatus eſt Adam.* Eccli. 38. *Altiſſimus creauit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa.* Eccli. 17. 1. *Deus creauit de terra hominem.* Et infra verſ. 5. *Creauit ex ipſo adiutorium ſimile ſibi.* Quibus conſentit Moyſes Geneſ. 1. 2. & 5. *Creauit enim Deus maſculum, & fœminam:* ſed maſculum ex limo terræ, fœminam ex coſta viri. In quibus locis expreſsè, & explicitè habet, quòd creare eſt ex aliquo ente, non ex nihilo. S. Aug. Eccli. Geneſ.

Quia verò Eccleſiaſticus aliquando non exprimit principium *ex quo* res creatur, nihilominus intelligendum eſt euidenter tale principium, vt creare ſit producere ens ex ente.

Eccli. 31. *Vinum in iucunditatem creatum eſt, non in ebrietatem:* creatur, ſed ex vuis.

Ibidem. *Nequius oculo quid creatum eſt?* Nempè ex materia oculi.

Eccli. 31. *Da locum medico, etenim illum Dominus creauit*, ſcilicet ex ſemine, & ſanguine parentum. Eodem modo alios Eccleſiaſtici locos percurre; & comperies, creationem ſemper ex aliquo eſſe: nec enim S. Auguſtinus ita in ſacris literis reperiri proprium ſignificatur creationis, vt à factione diſtinguitur, aſſeruiſſet, niſi ita in ſacris literis comperiſſet. Quare Eccleſiaſtici author accipit creationem ſenſu oppoſito ad ſenſum Arij: atque ideò cum ſapientia de ſe

cit.

cit. *Ab initio & ante ſæcula creata ſum*; creatam ſe dicit non ex nihilo, vt Arius, ſed ex aliquo principio præexiſtente, & in ea inexiſtente; ſicuti in alijs locis Eccleſiaſticus eſt locutus. Sic nanque ſapientia Patris genita, & primogenita ex ſubſtantia Patris, vt principio præſuppoſito ordine originis, vel rationis (ſicut abſolutum relatiuo eſt prius, commune proprio, eſſentiale perſonali) producitur, atque conſtituitur à Patre: ita tamen vt ſubſtantia Patris ſit interna ipſi ſapientiæ genitæ, ſicuti in alijs locis principium, ex quo res creatur, eſt internum rei, quæ creatur, prout inductio facta in ſuperioribus Eccleſiaſtici authoritatibus manifeſtat. Contrarius eſt ſenſus diuinus, & catholicus creationis in iſtis ſcripturæ locis ſenſui diabolico, & hæretico Arij. Arius ſapientiam ex nihilo facit, Deus ex ali quo ente, ideſt, ex ſua ſubſtantia producit.

33. Præterea. Sapientia ſe dicit effectricem omnium, & ante ſæcula creatam (Hebræor.1. de Filio dicitur. *Per quem fecit & ſæcula.*) *Ego in cęlis feci, vt oriretur lumen indeficiens; & ſicut nebula texi omnem terram, &c.* Sic ſapientia primogenita ex vna parte, omnem creaturam ex altera parte collocat. De qua creatura, vti de re facta ſubdit. Ego in cęlis feci, vt oriretur lumen, &c. & quando cętera fecit, fecit & ſæcula, quæ cum creatis ſubſtantijs cępերunt. Si autem *fecit omnia, N.E.I.F.*, ſed ante omnia facta, ſiuè facta ſint ſæcula, ſiuè res à ſeculis menſuratæ ſint factæ. Non igitur ſapientia primogenita eſt facta, ſed eſt primogenita, & eſt creata. Vnde concluditur, quòd creatio duplex eſt, alia, quæ eſt factio, ex qua creatura dicitur factura, & res facta: alia verò, quæ non eſt factio, ſed abſtrahit à factione, quæ quidem creatio eſt productio, quia productio eſt in Deo ad intra, ſi quidem generatio Filij eſt productio, & ſpiratio Spiritus ſancti eſt productio. Productio quoque eſt in rebus factis ad extra, vt Geneſ.1. Producat terra animam viuentem, &c. *Producant aquæ reptile animam viuentis.* Igitur productio paſſiua eſt communis ad diuinas perſonas, quæ non ſunt factæ, & ad res creatas, quæ ſunt factæ.

Addo, ſed creatio eſt in rebus factis, vt in omni creatura facta; eſt in ſapientia genita, quæ, cum ſit principium omnium factorum, non poteſt eſſe facta: ergo creatio in ſenſu Eccleſiaſtici eſt productio alicuius entis ex principio aliquo præſuppoſito, & interno rei productæ, ſiue vt Auguſtinus ex diuinis litteris per verbum *creare* deſcripſit contradiſtinguens ipſum creare ab ipſo facere. *Creare*, inquit, *eſt ex eo, quod iam erat, ordinando aliquid conſtituere*. Sic Pater æternus ſapientiam genitam ex eſſentia paterna, quæ ſemper eſt, ordine originis conſtituit Filium, atque in iſto ſenſu Pater creauit, ſapientia creata eſt, vtrunque enim dictum eſt in cap.24. Eccli. *Qui creauit me, & ante ſæcula creata ſum*. Qui ergo expoſuere authoritatem Eccleſiaſtici, *creata ſum* per

pro-

producta ſum, videntur mihi appoſitè expoſuiſſe, & proprietatem vocabuli aſſignaſſe.

34. Si quæras, es nè tu primus, qui exponas vocabulum *creare* aſſignando illi producere, vt genus? Reſpondeo, legatur Aſcanius Martinengus in gloſa magna ſuper caput 1. Geneſ. to. 1. à carte 115. dum declarat ſignificationem vocabuli *Barà* hebraici, & Latini *creare*, inuenietque, & ab eodem authore, & ante illum à Caetano, Steucho, Luſitano, & alijs viris doctis notatum, quòd in ſcriptura *Barà* ex vi verborum ſignificat producere, ſiuè ex aliquo, ſiuè ex nihilo. Ita quoque Vicomercatus, & Pererius.

Quo præſuppoſito apparet tùm in genere, tùm in differẽtia creationis aſſignanda, Eccleſiaſticum ab Ario diſcrepare. Arius *facere* pro genere, *ex nihilo* pro differentia aſsignat. Eccleſiaſticus *producere* pro genere, *ex aliquo ente* pro differentia ſumit. Conſequenter Arius inferebat, quòd omne creatum prius non eſt, poſterius eſt: hinc de Verbo dicebat. *Erat aliquando, quando non erat: & ex non entibus factum eſt, & creatum*. Eccleſiaſticus creationem ponit ab æterno etiam; nam ante omnem creaturam, ſcilicet, facturam, & ante ſæcula ſapientia primogenita eſt creata. Alia verò ſunt creata etiam in tempore, poſtquam non fuerant: vt propter hoc creatio ſit communis & productioni æternæ, & temporariæ. Sed ex aliquo vt ſic, ex ſententia Eccleſiaſtici.

35. Dices. Cum S.Thomas & in 4. contra gentes cap.8. & in 1.p.q.41. art.3. tres ſenſus attulerit illius propoſitionis de ſapientia. Ante ſæcula creata ſum.

Primum ſcilicet de ſapientia indita creaturis.

Secundum. De ſapientia genita in diuinis, ſed incarnata.

Tertium. De ſapientia genita in diuinis præcisè ſecundum generationem æternam: cur potius tertiam reſponſionem amplecteris?

Reſpondetur. S.Thomas omnes ſenſus illos tanquam catholicos poſuit, & reliquit in optione Lectoris eligere quemcunque ex illis. Tertius qui & S.Hilarij eſt, & Concilij Orientalis, magis placuit Bellarmino, magis & mihi.

Primus, qui fuit Euſebij Pamphili, difficilè aptatur textui ſacro. Nam ſapientia indita, ſiue infuſa creaturis, aut homini, eſt accidens. De illo accidente dicere: *Ego in cęlis feci vt oriretur lumen indeficiens, &c.* quaſi *ſapientia* indita ſit effectrix cęli & terræ, non eſt probabile.

Item. Sapientia in Eccleſiaſtico ait ibidem verſ.24. *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei.*

Rurſus. *In me omnis gratia viæ, & veritatis: in me omnis ſpes vitæ, & virtutis.* Quæ in ſapientiam Dei primogenitam optimè aptantur: ſed ſapientia communicata realiter creaturis, vel communicanda in eſſe cognito, vel volito, non videtur primogenita, neque effectrix omnium, neque mater charitatis, & ſpei, & cognitionis, neque in ea omnis ſpes

eſt,

quiritur declaratio. Ita poſſet cenſeri de illa propoſitione *Filius Dei eſt creatus*, in locis, ac temporibus catholicis. Cum enim propoſitio eſt dubia, in meliorem partem eſt interpretanda, vti probat Ioannes à Roias 2.p. de hæreticis num. 164. Si autem ex circumſtantijs non purgetur ſuſpitio ſatis, tunc malè ſentiendum eſt de propoſitione, & proponente, vt ibidem Roias, ex Melchiore Cano in lib.12. de locis Theologicis cap.11. ſcitè affirmat.

Si autem illa propoſitio proponatur cum declaratione ſtatim coniuncta, atque declaratio ſit catholica, ſitque hæretico ſenſui contraria, tunc iniuſta eſt mala ſuſpicio de proponente, aut propoſitione. Exemplum S.Thomas 1.p. q.41. art.3. ad vltimum, & 4.contra gentes cap.8. affirmat, quòd productio Filij dicatur generatio, * & creatio: quodque Filius eſt genitus, & creatus. Si quis igitur hanc partem truncatam ab alijs ſic nudam accipiat, & ad Tribunal S.Inquiſitionis deferat S.Thomam: quia contra ſymbolum Athanaſij dicit, in quo ita ſtatuitur. *Filius à ſolo Patre eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus*. Secundò. *Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus ſanctus*. Quid in hac parte ſentient catholicæ Fidei iudices? Nimirū Thomam rectè ſcripſiſſe, qui ſtatim adiecit declarationem ſuæ ſententiæ Catholicam, & iuxta S.Hilarij, atque cōcilij Orientalis catholici ſenſum: delatorem verò malignè partem Thomiſtici textus proferre, partem tacere, atque trūcare.

37. Iam ad mea conuertor. Maſtrius pro ſua ſinceritate, & ad Sanctæ Inquiſitionis Romanæ tribunal, & ad plures Lectores publicos Patauium, atque ad religioſos litteras ſine nomine mittentis miſit, atque mihi impoſuit, quòd dixerim, *Verbum diuinum eſſe creatum*. Sic ille per fraudem nudam propoſitionem mihi tribuens. Quæ (niſi memoria exciderim) nunquam eſt in meis libris: ſed ſemper eſt cum applicatione, & explicatione Catholica, & contra ſententiam hæreticam Arij.

Sanè in lib. 1. defenſ. num.29. cum dicerent Offenſores, meam de factione ex nihilo, & creatione ſententiam eſſe contra communem Theologorum ſententiam: tres claſſes Theologorum feci: vnam, quæ ad creationem requirit, & negationem omnis partis rei factæ, & negationem ſubiecti præſuppoſiti, in qua claſſe ſunt Offenſores, & Scotiſtæ. Secunda eſt, quæ requirit negationem omnis partis, non negationem ſubiecti; in qua ſunt Albertus, Alenſis, S.Bonauentura, Ioannes Bacconus. Has claſſes agnoſcebant Offenſores. Tertiam adiunxi, in qua eſt S.Auguſtinus, Canonici ſcriptores, & Deus per eos loquens. Rogauique, ne à communitate Theologorum hos auferrent, qui requirunt affirmationem ſubiecti, vel principij præſuppoſiti, vt creatio iuxta ſacras litteras ſit productio ex aliquo, non productio ex nihilo, obſeruante S.Auguſtino. Poſita hac declaratione, & probata vlterius proceſſi.

Iterum ad num.26. in lib.1. defenſ. obijciunt, quòd meam doctrinam vniuerſaliter negant Theologi omnes in materia de creatione.

Hinc ad num.27. diſtinguo de creatione theologicè, & ſcholaſticè

ſumpta. Scholaſticè creatio eſt factio ex nihilo: quod ſignificatum commune Theologis,& philoſophis multis,non eſt acceptum ex diuina Scriptura, hoc eſt ex Theologia ſacra, cuius philoſophi, quatenus huiuſmodi non ſunt participes. Hinc ſcribo ad num.28.

Creatio theologicè eſt productio entis ex aliquo principio præſuppoſito,& interno ipſi producto: & genus creationis eſt *productio*: extenditurque creatio & ad intra in Deo, & ad extra in creaturis. Adintra: ſapientia primogenita ante omnem creaturam,in Eccli.24.de ſe loquitur. *Ab initio,& ante ſæcula creata ſum*. Et cum 70. Interpretibus prou.8. *Dominus creauit me principium viarum ſuarum*, vt eſt apud S. Cyrillum 5.theſ. cap.1. & 4. Quoniam Filius Dei non ex nihilo, ſed ex ſubſtantia Patris præſuppoſita,& inexiſtente ipſi Filio productus eſt: idcircò & dicitur creatus. Ad extra Sap.11. *Non enim erat impotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum de materia,&c.*

In qua re non dico Filium, aut Verbum creatum eſſe,niſi cum applicatione ſacræ Scripturæ. At in ſacra Scriptura impoſſibile eſt hæreſim reperiri. Igitur applicatio ſcripturæ eſt catholica. Præceſſit explicatio vocabuli *creatio* tùm ad num.9. tùm hic ad num.28. vt creatio ſit productio ex aliquo principio, præſuppoſito, & interno ipſi producto: ſequitur declaratio explicans de Filio. Quoniam Filius Dei *non ex nihilo* (hoc eſt cõtra Arium) ſed ex ſubſtãtia Patris præſuppoſita, & inexiſtẽte ipſi Filio, productus eſt. Hæc declaratio ex primo concilio Niceno eſt; poſt declarationem ſubdo,*& idcircò creatus* dicitur. Prius ergo declaraui,& contra Arium de genere,quòd creationis genus eſt productio,non, vt ille volebat, factio. Prius de differentia,*ex nihilo*,quam volebat Arius, ſed quam ego nego:eſt enim creatio theologicè ex aliquo,non ex nihilo.

Attigi perſonam producentem, ſcilicet, Patrem, perſonam productam, ſcilicet, Filium, attigi id, *ex quo* Pater producit,& eſt ex ſubſtantia Patris, ideſt propria ſua: attigi conſtitutionem Filij in eſſe Dei, quia inexiſtit in Filio eſſentia Patris,quod maximè Ariani,& Euſebiani horrebant, vti S.Athanaſius in epiſt. de decretis Nicenæ Synodi conteſtatur. Declaratio planè contraria hæreticis, planè, & plenè catholica eſt præpoſita, antequam Filius dicatur creatus, nempe in ſenſu explicato, nè vllus poſſet decipi, aut eſſe dubius de ſenſu proponentis, vel propoſitionis. At Maſtrius infidè agens ponit propoſitionem, ſed truncat declarationem. Ponit quòd pro ſe eſt ad fraudem nectendam; quod pro fide eſt, quod contra hæreſim eſt, omittit, vt accuſet.

38. Similiter in lib.2. defenſ. num.97. cart.249. ſcripſi. *Ieſus filius Sirac* in lib.Eccleſiaſtici, &c. Applicat hoc verbum *Creare* ſecundæ perſonæ diuiniſſimæ Trinitatis, ideſt ſapientiæ dicenti de ſe Eccli.24. *Ego ex ore altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*. Nam hæc eadem ſapientia de ſe dicit. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum: &, qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*.

Ita Salomon in prou.8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, an-*

tequam

tequam quicquam faceret à principio. Vbi legunt 70. *Dominus creauit me initium viarum ſuarum*. Quibus locis certum eſt, Verbum Dei eſſe genitum de ſubſtantia Patris, tanquam de principio præſuppoſito, & interno ipſi Filio producto, non autem eſſe genitum ex nihilo. Quare in iſtis locis creari non ſignificat produci ex nihilo.

Eapropter in ſymbolo Niceno 1. vt 1.tom.concil. cart.532. dicitur Filius Dei *Natus*, non *factus*, *homouſios Patri, hoc eſt eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ, per quem omnia facta ſunt*. Cautè Sanctiſſimi Patres dixerunt. *Natum*, ſed negauerũt *factum:* non negauerunt, neque affirmauerũt *creatum*. Negauerunt Verbum Dei eſſe factum, probantes ex Euangelio Ioannis. Quoniam *per ipſum facta ſunt omnia*, ergo Verbum non eſt factum.

Non dixerũt eſſe *creatum*, ne loqueretur cũ Ario, qui dicebat, Filiũ Dei eſſe creatũ, intelligẽs, quòd creare eſt ſpecies quædam ipſius *facere:* volebat enim Arius, quòd creare ſit facere ex nihilo. Noluerunt negare eſſe creatũ, quia ſacra Scriptura attribuit vocem *creari* ipſi ſapientiæ genitæ.

Ex qua animaduerſione duo mihi videntur colligi. Primum, quòd creare abſtrahit ab ipſo facere, & includit ipſum producere: ſic enim creare ſignificat producere ex principio præſuppoſito ordine naturæ, vel temporis, & interno ipſi producto. In quo ſenſu & Salomon, & Eccleſiaſticus dixerunt, diuinam ſapientiam eſſe creatam, &c. Vnde creare in ſuo formali ſignificato non includit ipſum facere. Hæc ibi.

Secundum nunc adiungo, quòd creare in ſuo formali ſignificato non includit eſſe *ex nihilo*. Impoſſibile enim eſt, vt ſapientia genita ſit nihil, vel ex nihilo: at ſapientia genita in ſcriptura dicitur creari, ergo in ipſo creari non includitur eſſe ex nihilo, vel nihil.

39. In iſta declaratione non erat officij ſuſcepti probare, quòd Filius Dei dicatur creatus: ſed erat propoſitum probandi, quòd creatio non eſt factio ex nihilo. Quòd autem ſapientia genita apud Salomonem, & Eccl. dicatur creata, eſt in textu Scripturæ ſacræ, & per conſequens eſt de fide. Quòd etiam per ſapientiam genitam in illis locis ſcripturæ intelligatur Filius diuinus, apud multos Doctores catholicos legeram, quos omnes nec in mente habeo, nec ad manum: collegi tamen in præcedenti ſcripto ſatis multos. Collegit & Salazar in 1.to. ſuper prou. Salomonis ad cap.8. vbi incunctanter de Verbo Dei hunc textum, etiam ſecundum 70. lectum intelligit. Neque putaram apud Theologum exercitatum hanc applicationem, & explicationem à Bellarmino, S.Thoma, S.Hilario factam poſſe videri Arianam; & in concilio Niceno prohibitam. Si enim hoc putauiſſem, ſanè probauiſſem, id eſſe verum, quòd ſcilicet hæc loca ſcripturæ de Filio Dei intelligantur.

Interim in lib.defenſ.2.cart.249. ad num.95. applicatis authoritatibus ſcripturæ, quæ in ſe non continent, niſi ſenſum catholicum, ſtatim declaro me ſic. *Quibus locis certum eſt, Verbum Dei eſſe genitum de ſubſtantia Patris, tanquam de principio præſuppoſito, & de interno ipſi Filio producto, non autem eſſe genitum ex nihilo. Quare in iſtis locis creari non ſigni-*

ficat product ex nihilo. Profectò hæc declaratio eſt conformis concilio Niceno, & contraria Ario.

Cum ſubiungo. *Eapropter in ſymbolo Niceno 1. dicitur Filius Dei natus, non factus*, &c. Hæc ſunt fideliſsima verba concilij; declaratio, quòd affirmauerũt, *Natum*, fidelis, quòd negauerint *factum*, fidelis: quòd neque affirmauerint, neque negauerint *creatum*, fidelis. Et item in corollario deducto, quòd creare ſit producere, non facere: & quod Salomon, & Eccleſiaſticus dixerint, ſapiẽtiam diuinã eſſe creatam in hoc ſenſu, ſcilicet, productam, nõ factam. Sanè hæc declaratio catholica eſt. Neque tamen in iſto loco dixi explicitè, Verbum eſſe creatũ, ſed genitũ: ſed quòd à ſcriptura dicitur creari, ſcilicet, *produci*, ex ſubſtantia Patris, & nõ ex nihilo.

40. Nunc autem, vt magis conſtet, concilium Nicenum prohibuiſſe de Filio Dei duas particulas *factum*, & *ex nihilo*. Præter dicta in ſymbolo, affero anathematiſmum latum à concilio contra Arium, qui anathematiſmus ſtatim, poſt ſymbolum adiungitur in 1. to. concil. cart. 532.

Eos autem, qui dicunt: erat aliquando, quando non erat: & antequam naſceretur, non erat: & quia ex nullis ſubſtantibus factus eſt, aut ex alia ſubſiſtentia, aut ſubſtantia, dicunt eſſe τρεπτὸν *aut conuertibilem, vel mutabilem Filium Dei, anathematizat catholica, & apoſtolica Eccleſia*. In quo anathematiſmo duo damnantur principaliter, primum, quòd Filius ſit *ex nihilo*: hoc cum ſignificatur, dũ dicitur, aliquando Filius non erat, idest, erat nihil, ſicut cętera facta. Secũdum, quòd Filius ſit *factus*. At quòd ſit creatus, vel creatura, neque negatur, neque affirmatur quo ad vocabulum. Nam ſi in ſenſu hæretico accipiatur creatum, ideſt, factum ex nihilo, quo ad vtranque particulam & genus, & differentiam, damnatur anathemate. Si in ſenſu catholico accipiatur *creatum*, ideſt, *productum ex ſubſtantia Patris* inexiſtente ipſi Filio, ſicut ſcriptura diuina accipit vocabulum, hoc non damnatur, neque damnari poteſt iſte ſenſus: ſed tacetur, ne fiat communicatio in verbis cum hæretico. Atque in hoc ſenſu puto, alios catholicos Doctores *applicauiſſe ſcripturas haſce* Filio Dei, cum quibus ego ſentio.

Sicuti ergo S. Thomas, quia dicens Filium Dei creatum, & eius productionem eſſe creationem, reprehendi iuſtè non poteſt: eo quod ſufficienter ſe declarauit in ſenſu catholico; ſic exiſtimò, quia me ſufficienter declaraui in ſenſu catholico, me reprehendi iuſtè non poſſe.

Verùm declarationi catholicæ, & reprobatiuæ ſenſus hæretici Maſtrius non acquieſcit: igitur eſt ſuſpectus. Etenim cum illa propoſitio *Verbum eſt creatum* poſſit habere ſenſum catholicum, & hæreticum: quando authorem declarantem in ſenſu catholico, & contra hæreticum, tu accuſas: oſtendis te tenere oppoſitum, ſcilicet, ſenſum catholicum non eſſe catholicum, & ſenſum hæreticum non eſſe hæreticum. Ideò & in hoc Maſtrius eſt corrigendus.

Sub pedibus S. Rom. Eccleſiæ.

Fr. Matthæus Ferchius Veglenſis.

Die 11. *Nouembris* 1647.

Doctrinam, qua præſtantiſſimus, & Excellentiſs. vir Magiſter Matthæus Ferchius Veglenſis in publico Lycæo Patauino Sac.Theol. publicus interpres, oſtendit, contra Patrem Maſtrium, Verbum diuinum à Patre genitum poſſe quoque dici creatum, ſumma intellectus mei iucunditate perlegi, & examinaui, & adeò fulcitam, & roboratam ſacræ Scripturæ, ſacrorum concil., ac SS. Patrum Eccleſiæ catholicæ doctorum doctrina inueni, vt in verbo veritatis atteſter eam procul ab omni ſuſpitione hæreſis, & erroris, imò affirmem, qui nomen Doctoris catholici profitetur, eam amplecti, ac ſequi teneri. Ita ſubſcribo propria manu.

Ego Fr. Cyprianus Philippinus Magiſter, & in Vniuerſitate tate Patauina publicus Sac.Theol. interpres, Prouincialiſque Prouinciæ S.Dominici Ordinis Prædicatorum.

Die 19. *Septembris* 1647.

Qua potui diligentia propoſitionem Patris Maſtrij ex vna parte, ex altera verò refutationem Doctiſs. & Excell. Viri Patris Mag.Fr.Matthæi Ferchij Veglenſis Theologi publici in Patauina Vniuerſitate. Ego Fr. Benedictus Bartholinus Venetus Sac.Theol. Magiſter Ordinis Prædicatorum, & in eadem Vniuerſitate Patauina doctor Theologus perlegi, in qua quidem refutatione nihil reperi, quod à catholica fide ſit alienum. Immo authoris ingenium oblucet ſubtile, & in enodandis ſacrorum concil., & SS.Patrum, ac Angelici Doctoris ſenſibus præcipuè felix.

Die 28. Septembris 1647.

Exactiſsimè pro viribus ego D.Franciſcus Finettus Venetus Theatinus Sacr. Theol. profeſſor, examinaui hinc Patris Maſtrij propoſitionem; hinc verò Subtiliſs. & Excellentiſsimi Patris Magiſtri Fratris Matthæi Ferchij Veglenſis Theologi publici in Vniuerſitate Patauina doctiſsimam refutationem. In qua nihil non omninò conſonum reperi, tùm SS.Patribus, tùm diuinarum ſcripturarum germano ſenſui, catholicæque Fidei. Immo Excelentiſsimi authoris mirum ingenium admiratus, quod in omnibus tùm conciliorum, tùm SS. Patrum authoribus appoſitè ab ipſo allatis, mirificè eluceat. Vnde eius doctrinam verè piam, verè catholicam, & orthodoxam cenſeo.

Ego D.Franciſcus Finettus Venetus Theatinus Sacr.Theolog. Profeſſor.

Die 30. Septembris 1647.

Perſæpè legi, & relegi prædictam reſponſionem Excellentiſsimi P. Magiſtri Fratris Matthæi Ferchij Veglenſis in Patauina Vniuerſitate Theologi ad oppoſitiones P.Magiſtri Maſtrij, illamque reperi refertam doctrina, vndequaque ſana, catholica, orthodoxa, vt potè è ſanctarum ſcripturarum, SS. Patrum, & conciliorum germano ſenſu depromptam: quapropter demiratus tanti viri mihi per plures annos, cum hic Patauij Theologiam profiterer, notiſsimi, & Theologi celebratiſsimi, illam omni erroris metu depoſito, ab omnibus catholicis amplectendam eſse iudico ego.

Ioannes Morandus Clericus Regularis Sacr. Theologiæ Lector.

Pro-

Propoſitionem Excellentiſsimi, ac doctiſsimi Viri P. Magiſtri Ferchij Veglenſis in Patauina Vniuerſitate publici Theologiæ Lectoris, quòd nimirum Verbum diuinum à Patre genitum poſsit quoque dici creatum, doctrinamque, quam ad id demonſtrandum adhibet, quanta potui diligentia per aliquot dies examinaui, nihilque reperi, quod catholicæ Fidei aduerſetur: omnia enim ſacræ Scripturæ infallibili teſtimonio, ſacrorum concil. decretis, S. Patrum ſenſui, præcipuorumque Theologorum doctrinæ ſunt conſona. Quapropter ab omni hæreſis ſuſpicione alienam ſententiam de Arianiſmo ſuſpectam *Maſtrius* immeritò accuſauit. Ita fateor.

Ego Fr. Bernardus Princus Carm. Cremonenſis in Patauino Carmelitarum Collegio Regens Theologus.

12. *Kal. Nouembris* 1647.

Reuerend. Adm., & Excellentiſs. P. Magiſtri Matthæi Ferchij Veglenſis in celeberrimo Patauino Gymnaſio Doctoris Theologi Aſſertionem de creatione, quam ponit, & roborat in refutanda cenſura R.P. Magiſtri Maſtrij, ſeriò, ac ſedulò legi, accurateque recenſui. Ego Fr. Octauianus Ferrettus Peruſinus apud Eremitanos S. Auguſtini Regens, vbi nil mihi occurrit fidei orthodoxæ contrarium, concilijs repugnans, Patribus, Theologorumque placitis alienum, ſed potius theſaurus locupletiſsimus eruditione, & pietate refertus, quicquid immeritò Maſtrius reclamet. Ita Cenſeo.

Ego Fr. Octauianus Ferretus, qui ſupra.

AD LECTOREM.

HÆc Refutatio, ſtatim atque à ſupradictis Sacræ Theologiæ Doctoribus, pietate, ac eruditione præſtantiſſimis ſubſcripta fuit, tradita eſt Clar. Fortunio Liceto. Is titulum meo libello mutauit, vocauitque Apologiam ſecundam. Sine quo Libello neque ſcripta à Liceto in Epiſtola de creatione Filij Dei ad intra, neque obſeruationes meæ ſuper eadem Epiſtola probè intelligi poſſunt. In ea refutatione clareſcet, ad quæ non reſponderit, quæ impugnarit, quibus non obtemperauerit Licetus. Supereſt & Lectoribus meis, & mihi à Deo O.M. deprecari vitæ huius temporariæ curſum iuſte, commodeque traductum, & vitæ æternæ poſſeſſionem feliciſſimam.

Hic ſit finis primæ partis obſeruationum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

5-22